PHAEDRI AUGUSTI LIBERTI FABULARUM AESOPIARUM...



Ex Libris Ioannis Nencini
1870

PHAEDRI

AUGUSTI LIBERTI

FABULARUM AESOPIARUM

LIBRI V.

AD CODICES MSS. ET OPTIMAS EDITIONES

RECOGNOVIT

VARIETATEM LECTIONIS

ET

COMMENTARIUM PERPETUUM

ADJECIT

JOANN. GOTTLOB. SAM. SCHWABE.

ACCEDUNT

ROMULI

FABULARUM AESOPIARUM LIBRI IV.

AD

CODICEM DIVIONENSEM

ET

PERANTIQUAM EDITIONEM ULMENSEM

NUNC PRIMUM EMENDATI ET NOTIS ILLUSTRATI.

CUM TABULIS AERI INCISIS.

VOLUMEN PRIMUM.

BRUNSVIGAE,

SUMTU FRIDERICI VIEWEGII.

MDCCCVI.

PHAEDRI
AUGUSTI LIBERTI
FABULARUM AESOPIARUM
LIBRI V.



AD CODICES MSS. ET OPTIMAS EDITIONES
RECOGNOVIT
VARIETATEM LECTIONIS
ET
COMMENTARIUM PERPETUUM
ADJECIT
JOANN. GOTTLOB. SAM. SCHWABE.

DUO VOLUMINA.

BRUNSVIGAE, MDCCCVI.
SUMTU FRIDERICI VIEWEGII.

P r a e f a t i o.

Cum ante hos viginti et quatuor annos Editionem Phaedri, cum selectis Variorum Notis, quibus meas adjeceram Observationes, in lucem emisissem, ego quidem vehementer gaudebam, animaduertens, opellam meam qualemcunque Viris doctis non displicuisse, imo vero a plurimis magnos huic impertitos esse plausus. Neque etiam subsequenti tempore defuerunt elegantiae et doctrinae laude conspicui viri, qui meam Phaedri Editionem reliquas vtilitate superare censerent a). Ego vero, vt ingenue fatear, et vsu edoctus, et virorum doctorum suffragiis monitus, mox intelligere coepi, non pauca in hocce opusculo esse vel manca, vel non satis accurate exposita, quo maxime referendi Codicum MSS. nec non Editionum et Versionum Indices; quaedam quae, etsi vtilia, interpretando tamen Phaedro parum inservire viderentur; nonnulla etiam, quae essent aut male digesta, aut non satis lucide explicata; nonnulla denique textus loca, parum emendate

a) Vid. *Eschenburgii* V. Cl. Handbuch der klassischen Litteratur p. 248. Edit. II. Censor doctus in *Allg. Litt. Zeit.* ann. 1785. T. II. p. 195. *Lange* in praef. ad Phaedrum p. XV.

edita. Maxime erat optandum, vt Notae criticae a reliquis separatae comparuissent. Nunc demum enim intelligebam, tali Notarum permixtione vsum libri redditum esse difficiliorem et molestiorem. Hoc igitur erat in votis, vt si quando noua Phaedri Editio, me curante, in vulgus ederetur, ea quidem hisce occurreret omnibus, et si fieri posset, nouis aucta incrementis prodiret. Quibus votis an noua Editio, quam linguae Latinae et Litteraturae antiquae, nec non historiae litterariae cupidis, maxime Scholarum magistris offero, respondeat, de eo quidem doctrina praestantes et aequi rerum aestimatores nunc iudicent.

Maximam curam in eo posui, vt textum darem, quantum fieri poterat, castigatum et purum. Etsi enim recensio Burmanniana, adhuc a multis recepta, laudis palmam praeripere videbatur reliquis; tamen mihi erat persuasum, Burmannum, qui toties vulgatam lectionem contra novas Richardi Bentleji et Francisci Harii conjecturas recte tuitus erat, non raro sine necessitate eamdem neglexisse b), aliasque Lectiones, passim etiam elegantiores c), substituisse. At vero cum existimem, a vulgata librorum scriptorum Lectione non, nisi vrgente necessitate, esse receden-

---

b) Vid. e. c. L. I. F. IV. 6. F. VI. 3. F. XIII. 10. F. XXIII. 2. cet.

c) Vid. L. I. F. XVIII. 5. L. II. F. VI. 13. L. IV. F. V. 41. Et alibi.

dum; et Criticorum esse, textum auctoris, non ipsum auctorem emendare: vulgatam Lectionem, vbicunque a Burmanno sine caussa videretur esse neglecta, reposui: quo in genere passim recentiores Editores praeiuerant. Accedebant Lectiones Codicis Perotti, qui, a Dorvillio in Italia repertus, in manus demum veniebat Burmanni, Editione hujus majori, cum nouo Commentario jamjam impressa d), ita quidem, vt viro docto non liceret, meliores dicti Codicis Lectiones in suos vertere vsus. Istas igitur Lectiones, quas jam olim me recepisse constat, quasque ex parte alii post me erant amplexi, istas et in hac Phaedri Editione recepi. Atque etiam Anonymum Nilantii, quem dicunt, denuo diligenter excutiendum esse putabam: id quod mirum videri potest nemini, qui ponderare velit, quae infra, in Notitia litteraria de Phaedro, de Anonymo isto notauimus e). Non paucae enim bonae notae Lectiones fabulis illius confirmantur f), et passim habet Lectiones, a multis neglectas, sed paullo penitius inspiciendas est ponderandas, quo referendus, ne desit exemplum, locus L. I. F. II. 16. g), vt taceam de aliis, de quibus consu-

d) Leidae 1727. 4.

e) Vbi v. Script. Phaedrum illustrantes, antiquiores sub Lit. f.

f) Sic etiam in Fab. III. Anonymi legitur *fauce improba*, coll. Phaedri L. I. F. I. 3. vbi vide V. L. vt silentio praeteream alia.

g) Vbi vide Notas, coll. V. L. Adde Excurs. XI. ad L. I. F. XXV. 6. 7.

lendae sunt Notae nostrae. Neque silentio praetermittendus est Romulus Divionensis, cujus fabulas cum textu Phaedri diligenter contuli; nec sine fructu. Hunc enim et firmandis melioribus Phaedri lectionibus, et passim emendando poëtae inseruire posse intellexi. Porro inspexi, pro eo ac debui, Editiones Phaedri criticas, post meam Editionem juris factas publici, Brotierii, Desbillonii, Bipontinam, quos Phaedrum e sua ipsorum recensione edidisse constat. Hasce Editiones maxime, quibus adjungenda est Tzschuckiana, in textu denuo recognoscendo magno mihi vsui fuisse, fateor; etsi non vnam earum lectionem rejiciendam duxerim. Legi praeterea non paucos Criticorum illustriorum libros, quorum videndorum ante hos XXIV. annos in adornanda Phaedri Editione mihi non data fuerat potestas; legi etiam Virorum doctorum Obseruationes, post haec tempora scriptas h), et quicquid textui Phaedri vel emendando, vel illustrando inseruire posset, excerpsi. Jam vero Lectiones Varias cum Codicum MSS. veterumque Editionum, tum conjecturas Virorum doctissimorum enumeraui, non paucis tamen omissis, quas memorare et refellere non erat tanti. Singularem autem in eo collocaui operam, vt si fieri posset, rei criticae amantes notitiam Lectionum Codd. MSS. haberent cer-

---

h) Vide in Notitia Litteraria Scriptores, Phaedrum illustrantes, recentiores.

tam: qua in caussa praeter Notas Heinsii, Gudii, Schefferi, Rigaltii, Burmanni, non parum mihi profuerunt Editiones Brotierii et Desbillonii, quorum alter Codicem Pithoei nuper denuo contulit i); alter non vna Collectione Variarum e Codd. MSS. Lectionum vsus est k). Notas criticas breuiores a reliquis separatas textui subjunxi, historia locorum vexatissimorum critica, ne moles Notarum criticarum nimis cresceret, in *Excursus* conjecta. Non raro addidi rationes, ex quibus Lectiones vel defendendas, vel rejiciendas putarem, optimorum Criticorum opera vsus, quorum vnicuique τὸ suum reddere studui, non paucis adjectis de meo. Nulli autem temere obsecutus sum; nec quidquam in textu Burmanni mutaui sine rationibus idoneis; nil sine auctoritate librorum scriptorum; nil denique e conjectura, nisi vbi Codd. MSS. plane essent corrupti atque interpolati. Innumerabilem ac paene incredibilem conjecturarum multitudinem nouis augere non ausus sum, etsi vel hoc in genere qualecunque periculum facere poteram, si quorumdam Criticorum audaciam imitari libuisset. Nam puto, post tot virorum doctorum ausus, in tanta librorum scriptorum inopia, hodie innouationem omnem in textu Phaedri e conjectura, periculi et dubitationis habere plurimum, nisi lux afferatur

i) Vid. infra de Codd. MSS. n. 1. coll. de Editt. Phaedri ann. 1783.

k) Vid. Not. litter. de Editt. Phaedri ann. 1786.

conjecturis e Codicibus MSS. a viris doctis nondum collatis, sed aliquando in lucem proferendis; id quod nunc sperare vix ausim. Quod reliquum est, fabulam alias XXV. libri IV. cum Brotierio et Bipontinis Epilogum fieri jussi Libri III. cujus Prologo ad Eutychum optime respondet; pariterque, ne Libri V. Prologus esset duplex Libri IV. nullus, illius prologum priorem huic reddidi suumque Epilogum, qui Libri V. Fab. V. et VI. vulgo interpositus legitur. Sic quidem L. IV. totum Particuloni Librum V. Phileto sacrum esse volui 1). Sed fabula alias XX. Libri III. non sine ratione facta est Libri IV. prima.

Textui Phaedri subjeci Commentarium perpetuum. In explicandis autem fabulis diligenter comparandae videbantur Graecae Aesopi, Aphthonii atque Ignatii Diaconi fabellae, collatis Anonymi Nilantii et Romuli fabulis. Qua quidem comparatione Phaedro non raro lucem esse oblatam, non diffitebuntur curarum nostrarum cupidi lectores. Atque etiam sub finem cujuslibet fabulae nominaui poëtas, qui eamdem narrant fabulam, siue essent antiquiores, siue recentiores, id quod existimabam multis pergratum esse futurum. Loca paullo difficiliora ad intelligendum et obscura explanaui, ita, vt cum vnamquamque fabulam interpretatus essem, optimos Interpretes

---

1) Cf. Bipontinorum Not. litter. de Phaedro p. XXXIII. sq.

consulerem, eorumque placita in meos verterem vsus, saepius retentis ipsis Interpretum verbis. Praeter Schefferum, Heusingerum et Burmannum, quibus multa debeo, aliosque, quos vel in Praefatione ad P. III. Phaedri p. IV. vel in Notis hujus Editionis laudaui, nominandi sunt h. l. Desbillonius et Cl. Tzschuckius, quorum Editiones mihi fuere perutiles, vt praetermittam alias, in Notitia litteraria de Phaedro laudatas. Neque laude sua defraudandi sunt Censores eruditi aliique viri docti, qui vel scriptis minoribus, iisdemque perraris, Phaedrum illustrauerant, vel a quibus Censurae, ad Phaedrum spectantes, Diariis litterariis fuerant insertae m), e quibus omnibus vtilitatem cepi. Inprimis rationem Latinitatis Phaedri habui, adeo vt non solum elegantiam et vim verborum, aeque ac Latinitatem ostenderem, et ex aliis priscorum scriptorum locis illustrarem et vindicarem; verum etiam quae sunt in Phaedro singularia, nec non Idiotismos, proprietatem denique linguae latinae, varietatem et copiam accurate notarem. Hoc enim debebam scriptori lepidissimo, cujus γνησιότης vel ex capite Latinitatis fuerat impugnata; non tamen contigit, eumdem liberare a peccatis, vel ab initiis labentis tum elegantiae Latinae, vel ab interpolationibus magistrorum morum, monachorum

m) Cf. Ephemerides litterariae Goettingenses, Gothanae, Bibliotheca Germ. vniuersalis, Ephemerides Litteraturae vniuersal. Jenenses, al. quas suo loco citaui.

et librariorum ducendis n). Neque etiam quae pulcra, quae venusta sunt in Phaedro praetermisi, et notaui cum dictionem poëticam, tum breuiter laudaui fabularum virtutes; iis non omissis, in quibus fabulator noster vulgo solet reprehendi a Lessingio et nuper a cl. *Jacobs* *), aliis. Quo in genere ita sum versatus, vt non raro remitterem lectores ad Obseruationes *Jacobsii* V. Cl. T. I. praefixas, easdemque acute et erudite scriptas. Cumque interpretatio verborum et phrasium difficiliorum vernacula, priori Phaedri Editioni addita, viris doctis placuisset o), etiam hic aptam et congruam multorum locorum versionem Germanicam adjunxi, vsus versionibus Gerikii, maxime Sattleri, Professoris et Conrectoris Gymnasii Norimbergensis doctissimi, passim nonnullis additis de meo. De multis, quae pertinent ad historiam, ad antiquitates, rem litterariam, interpretationem denique locorum difficiliorum, in Excursibus disputaui vberius: quo referendi e. c. Excursus de Aesopo; de aequis Atheniensium legibus; de statu reipublicae Atheniensium tempore Pisistrati, nec non de anno arcis, ab hoc occupatae; de Personis tragicis; de Atriensi alticincto; de villa Tiberii Misenensi; de titulo Romanorum imperatorum *Dux* et *Domi-*

n) Cf. Notitia litterar. de Codd. MSS. n. 4.

*) Cf. *Nachträge zu Sulzers Theorie* T. VI. P. I. p. 29. sqq.

o) Vid. *Bibliothek für das Schul- und Erziehungswesen in Deutschland.* B. X. p. 143.

nus; de Eutycho, Phaedri patrono; de Centumuiris; de Demetrio Phalereo, et qui sunt hujus generis alii.

Huic Editioni praefixi *Vitam Phaedri ex Phaedro.* Cum enim omnia, quae pertinent ad vitam et fata Phaedri, lateant crassis occultata et circumfusa tenebris; ipsae fabulae vnicus fons putandae sunt, ex quo vitam ejus hauriamus. In ea autem conscribenda ea potissimum vtilitati mihi fuerunt, quae Schefferus, Funccius, Fabricius, Crusius, *Anglus*, Desbillonius de poëta nostro memoriae prodiderunt, ita vt placita eorum sub examen vocarem, nouasque passim conjecturas proponerem, fultus argumentis, vt ego quidem arbitror, non ineptis.

Notitia litteraria de Phaedro, Tomo I. praemissa, continet

I. Elenchum Codicum MSS. vel Phaedri, vel Romuli, de quibus paullo accuratius disserui, additis obseruationibus critico-litterariis. Descriptioni autem Codicis Divionensis, qui complectitur Romuli Fabularum Libros IV. adjecta est vberior descriptio libri longe rarissimi, Editionis nimirum Vlmensis, in qua insunt, praeter alia, Libri IV. Fabularum, eodem Romulo auctore.

Notitia litteraria complectitur

II. Indicem Editionum Phaedri locupletissimum, impressarum inde ab anno cIↄIↄLXXXXVI. vsque ad annum cIↄIↄCCCIII. Trecentas, et quod ex-

currit, Editiones recensui, adjunctis, si fieri posset, plenis titulis, aeque ac Notitia critico-litteraria. Quam plurima, ab aliis Litteratoribus et Editoribus omissa, suppleui; non pauca emendaui, ab aliis aut falso, aut parum accurate litteris consignata; at nonnulla, in suspenso relinquenda, lucem exspectant a viris doctis, rei litterariae gnaris. Indici Editionum subjunxi

III. Elenchum Versionum, editarum in Germania, Belgio, Anglia, Gallia, Italia cet. passim intermixtis Notis litterariis. Memoraui circiter XXVI. Germanorum Interpretes, a quibus vel vniuersas, vel singulas fabulas in linguam Germanicam translatas esse constat; Batauorum IV. Italorum VI. Anglorum XII. Gallorum ingentem sane numerum, quibus adjungendi erant Germani, qui Phaedrum verterunt Gallice; vt omittam alios aliarum nationum Interpretes.

Sed ne in Editione Phaedri pleniori quidquam desideraretur, disputaui

IV. De scriptoribus, Phaedrum illustrantibus; ac primo quidem de antiquioribus, qui sunt Babrius, Aphthonius, Ignatius *Diaconus*, Romulus, Anonymus Nilantii, Anonymus Neveleti, Vincentius *Bellovacensis*: de quorum nomine, aetate, qua floruere, aeque ac fabulis earumque Codicibus MSS. et Editionibus, aliisque rebus, ad rem litterariam pertinentibus expo-

sui paulo vberius. Neque etiam silentio praetermisi scriptores recentiores, in quorum vel operibus, vel scriptis minoribus, ex parte perraris, sciebam Phaedro multisque fabularum illius locis lucem esse affusam.

Cum denique jam olim a Scriverio et Christio, Professore Lipsiensi, et recentioribus temporibus a Marchesello, Italo, γνησιότης et antiquitas Phaedri in dubium essent vocatae, refragantibus Funccio, Fabricio, Ernestio, aliis; hoc loco non alienum esse putaui in peculiari disputatione, *de Phaedro antiquitatis scriptore*, commemorare, quae a viris doctis hanc in rem disputata essent; in quo ita versatus sum, vt multa, Phaedro objecta, diluerem, et argumentis, ex parte nouis, γνησιότητα poëtae et antiquitatem fabularum demonstrarem; certe ostenderem, non potuisse scribi a Perotto, Archiepiscopo Sipontino.

Fortasse erunt, quibus ego in multis hujus Editionis locis nimius et justo longior fuisse videar; at meminerint ii, propositum mihi fuisse, in vulgus edere pleniorem elegantissimi poëtae editionem, in qua nil desideraretur, quod abhinc annis CCC. et quod excurrit, a viris doctis de Phaedro et in Phaedrum ejusque fabulas scriptum excogitatumue fuit, ad poetam vel emendandum, vel interpretandum et illustrandum; si tamen aliquid momenti haberet, et aliqua ex parte videretur vtile. Neque etiam est, quod

quis objiciat, non pauca continere editionem nostram, quibus artis criticae periti aliique vastae eruditionis homines facile carere possint. Verum enim vero jam supra monui, me rationibus potissimum magistrorum scholarum voluisse consulere, quorum multos laboribus scholasticis ita constat esse obrutos, vt iis operose congerere, quae ad lectionem priscorum scriptorum opus sint, nec vacet, nec libeat. Hisce ego pergratum me facturum esse putabam, si operam meam in eo ponerem, vt in promtu iis esset, quicquid pertineret ad Phaedrum vel intelligendum, vel explicandum et emendandum.

Restat, vt Viris Illustribus, Excellentissimis, Clarissimis, eruditissimis, Fautoribus atque amicis aeternum colendis, qui pro suo in bonas litteras amore, et pro sua in me voluntate et humanitate, non pauca, quae ad rem meam facere viderentur, suppeditauerunt, publice gratum significem animum. Laudibus ornandi hoc nomine sunt: *Boettigerus*, Sacri Supremi Senatus a Consiliis, et Gymnasii illustris Wimariensis Director, multis variisque modis de Phaedro promeritus *); *Brüggemannus*, Sacri Senatus a Consiliis et Concionator aulicus apud Stettinenses, qui, blando hortatu cel. Schützii excitatus, Schedulas suas, ad rem litterariam Phaedri spe-

*) Cf. e. g. ejusdem Obseruationes archaeologicae ad L. I. F. VII. L. II. F. V. 11 — 13. L. V. F. VIII.

ctantes, humanissime mihi transmisit, e quibus Notitia litteraria de Phaedro, maxime si rationem habeas Litteraturae Anglorum et Italorum, ampla cepit incrementa; *Dafsdorfius*, Bibliothecae Electoralis Dresdensis Praefectus; *Henr. Carol. Abr. Eichstädt*, Ser. Ducis Saxo-Meiningensis a Consiliis Aulae, Professor Jenensis et Societatis Latinae Director; *Geiſslerus*, Ser. Ducis Gothani a Consiliis Aulae et Bibliothecae Praefectus, cui terra leuis sit; *Heynius*, Magnae Britanniae Regis a Consiliis intimis justitiae et Professor Göttingensis; *Fridericus Jacobs*, Gymn. ill. Gothani Professor; *Langerus*, Ser. Ducis Brunsuicensis a Consiliis Aulae et Bibliothecae Guelferbytanae Praefectus, a quo e Bibliothecae Guelferbytanae cimeliis mutuum accepi Codicem Fabularum Romuli Divionensem, nunc primum editum, nec non Editionem fabularum ejusdem Romuli Ulmensem **) quam cum dicto Codice contuli, Variis Lectionibus textui subjunctis; *Schützius*, Ser. Ducis Saxo-Wimariensis a Consiliis Aulae et Professor Jenensis; *E. A. Schmidius*, Bibliothecae Ducalis Wimariensis ab Epistolis; *Vulpius*, Bibliothecae Wimariensis ab Epistolis alter; *Wagnerus*, Gymnasii Merseburgensis Conrector. Qui omnes summi amicissimique Viri siue ex publicis, quibus

**) De vtroque libro vid. Notitia Litter. sub Nro. 4. de Codd. Phaedri MSS.

praefecti essent, bibliothecis, siue e lauta sua supellectile praestantissimorum et rarissimorum librorum benignissime mihi copiam fecerunt, pro quo viris praestantissimis hoc loco gratias ago quas debeo maximas, habebo autem immortales.

Tu vero, beneuole Lector, vale et conatui nostro faue! Scripsi Wimariae, ipsis Calendis Maji cIↃIↃCCCII.

J. G. S. Schwabe,
Gymnasii illustris Wimariensis Conrector,
Soc. Lat. Duc. quae Jenae floret, Sodalis.

EXPLICATIO

BREVIS

TABULARUM AERE SCULPTARUM.

VOLUMEN PRIMUM.

Tabula I.

In libri titulo. Exhibet Aesopum, sedentem, oculis in terram defixis, meditanti similem, quasi contexentem fabulam, et ad scribendum se accingentem. Fabula, quam meditari videtur, et quae non animo modo, sed prope oculis ejus obuersatur, est nota illa de Vulpe et Grue fabula *). Accedunt duo Genii pueri, quorum alter manu tenet coronam lauream, Aesopo imponendam, alter taeniam, qua coronam religet. Artifex, blando hortatu Böttigeri V. C. excitatus, in inueniendo hocce ornamento, basin fecit Imaginem Philostrati, cujus argumentum simplex et felix est, judicante Heynio V. S. **). Leguntur

---

*) Vid. *Aesopi* Fab. 327. Hauptm. coll. *Phaedr.* L. I. F. XXVI. Quas enim partes Aesopus grui dedit agendas, easdem dat Phaedrus ciconiae.

**) Cf. Ej. Opusc. Acad. Vol. V. p. 29.

**

autem apud Philostratum haec ***): Αἰσώπῳ παντὰ τῶν ἀνθρώπων ἐκμεμύθωται. καὶ λόγε τοῖς θηρίοις μεταδέδωκε, λόγε ἕνεκα. πλεονεξίαν τε γὰρ ἐπικόπτει, καὶ ὕβριν ἐλαύνει καὶ ἀπάτην. καὶ ταῦτα λέων τίς αὐτῷ ὑποκρίνεται, καὶ ἀλώπηξ, καί ἵππος, νὴ Δία, καὶ ἐδὲ ἡ χελώνη ἄφωνος, ὑφ' ὧν τὰ παιδία μαθηταὶ γίνονται τῶν τε βίε πραγμάτων. Ευδοκιμεντες ἐν ὁι Μῦθοι διὰ τόν Αισωπον, φυτῶσιν ἐπὶ τὰς θύρας τε σοφε, ταινίαις αὐτὸν ἀναδήσοντες, καὶ στεφανώσοντες αὐτόν θαλλε στεφάνῳ. ὁ δὲ, οἶμαι, τινα ὑφαίνει μῦθον. τὸ γὰρ μειδίαμα τε προσώπε, καὶ ὁι ὀφθαλμοί, κατὰ της γῆς ἑστῶτες τετο δηλεσιν. οἶδεν ὁ ζωγράφος, ὅτι αἱ τῶν μύθων φροντίδες ἀνειμένης τῆς ψυχῆς δέονται. φιλοσοφεῖ δὲ ἡ γραφὴ καὶ τὰ τῶν μύθων σώματα. θηρία γὰρ συμβάλλεσα ἀνθρώποις, περιΐστησι χορὸν τῷ Αἰσώπῳ, ἀπὸ τῆς ἐκείνε σκηνῆς συμπλάσασα. Κορυφάια δὲ τε χορε ἡ ἀλώπηξ γέγραπται. χρῆται γὰρ αὐτῇ ὁ Αισωπος διακόνῳ τῶν πλείστων ὑποθέσεων, ὥσπερ ἡ κωμωδία τῷ Δάῳ. In hac igitur Philostrati imagine accedunt Mythi, coronam frondeam taeniis religatam manu tenentes, qua cingant caput Aesopi. Qua specie, quo habitu accesserint, Philostratus non docet; placuit tamen artifici nostro, Mythorum partes tribuere Geniis pueris, qui ita designati, an esse possint pro Mythis, alii viderint. Mihi quidem in mentem veniebat, an forte respexerit artifex verba Philostrati: ὑφ' ὧν τὰ παιδία μαθηταὶ γίνονται τῶν τε βίε πραγμάτων. Jam vero Philostratus non diserte dicit, Aesopusne expressus fuerit s e d e n s, sed fit probabile Heynio, loco supra citato. Itaque hoc nomine laudibus ornandus est C a t e l i u s, qui etiam in reliquis Aesopum fere totum e Philostrato expressit. Apud eumdem Aesopus circumdatus est animantium choro, quae in ejus fabulis celebrantur, in-

***) Icon. L. 3.

ter quae primum locum occupat Vulpes, secundum haud dubie Lupus. Lupus enim secundas a Vulpe partes agere solet ****). Ex quo intelligi potest, Catelium prudenter legisse fabulam de Vulpe et Grue. Haec vna autem ei sufficere videbatur, ad notandum Aesopum, fabulatorem. Neque etiam in tam exiguo spatio iste animantium chorus commode reddi posse videbatur.

Tabula II.

In fronte Libri I. Haec, quae vides, petita sunt ex Picturis Herculanensibus T. IV. tab. XXXVII. p. 175. Visitur autem persona tragica, in suggestu, ad quem per aliquot gradus adscenditur, exposita. Erudite, vt solet, rem explicauit Böttiger V. C. cujus Notam lege ad L. I. F. VII. 1. 2. Complures ejusmodi personas caelo redditas vides libro cit. Tom. IV. tab. XXXIII — XXXIX. it. p. 11. 19. 23. 25. 73.

Tabula III.

In fronte Libri II. Ornamentum est e Picturis Vasculorum Graecorum Tischbeinianis T. II. n. 58. Exhibitus est seruulus, indutus tunica, corrugata plicis, scite compositis dominae sedenti, altera manu speculum, altera penicillum tenenti, aquam ad manus abluendas ministrans. Plura dabit Nota Böttigeri ad L. II. F. V. 11 — 13.

****) *Heyne* l. c. Non poenitet *Huschkium* V. Cl. conjecturae, qua adducitur, vt credat, tertio loco fuisse simium. Lege Diss. *de Fabul. Archilochi* in *Matthiae* V. C. *Miscell. Phil.* Vol. I. edit. Altenb. 1803. 8. maj.

VOLUMEN SECUNDUM.

Tabula I.

In fronte Libri III. Adumbratum est ornamentum e Picturis Herculanensibus T. I. tab. XXIX. p. 155. Quae ibi delineata visitur pictura exhibet columbam, in puluino cathedrae sedentem, et duos Genios pueros ludentes, quorum alter dextra frondem myrteam tenere videtur, alter sceptrum. Ex hoc monumento lux affundi potest fabulae Phaedri L. III. F. VIII. in qua poëta narrat, filiam turpissimam et insignem pulchra facie filium, pueriliter ludentes, forte speculum, in cathedra matris positum, inspexisse. Non obscurum est, in tabula nostra similes exhiberi lusus, et jamjam vidit Brotiér Not. ad Phaedri fabulam, paullo ante citatam. Sed quae fuerit istorum ludorum natura et indoles, difficile est definire. Confer dicta ad L. III. VIII. 2 — 5.

Tabula II.

In fronte Libri IV. Monumentum sepulcrale, petitum e L. Begeri Lucernis sepulcral. icon. P. I. tab. 1. Sedet Prometheus, auctor vulgi fictilis (Phaedr. IV. XIV. 5.) tenens spathulam fictoriam, et figuram puellarem, jam e luto fictam, attentius intuens, adstante Minerua. Fabulam de Prometheo, Japeti et Clymenes filio, quem fingunt hominem e luto formasse, non pauci antiquitatis scriptores commemorant, quos laudaui ad L. IV. F. XIV. 5. quibus addendus est Fulgentius a).

a) Mythol. L. II. C. 9.

Nec raro veteres artifices effinxerunt Prometheum ἀνθρωποπλάστην b): quem in faciendo hoc opere habuisse adjutricem Mineruam, praeter alia antiquitatis monumenta c), et praeter veterum scriptorum testimonia d), lucerna nostra sepulcralis comprobat, in qua vides Mineruam, homini a Prometheo ficto immortalem animam inspirantem, vnicum, vt ait Begerus e), **hominis donum, cujus virtute etiam post mortem viuit**, addens: id s**ine intendit, qui lucernam propositam effinxit**

---

b) Vid. e. c. Anaglyphum in *Visconti* V. C. *Museo Pio-Clement.* T. IV. tab. XXXIV.

c) Vid. monumentum in Edit. *Virgilii* Heyniana T. V. p. 318. Prometheus sedet, hominem, luto fictum, genu suo insistentem, manu ante se tenens, altera spathulam, qua fictores vtuntur: adstat Minerua, papilionem capiti hominis imponens, symbolum animae, adstante quoque eadem puelli forma jam absoluta. Est haec pars anaglyphi in sarcophago Villae Pamphiliae, vnde in *Admirandis* exhibitam videmus tab. 66. 67. in *Mus. Capit.* T. IV. tab. XXV. Expressum etiam hoc anaglyphum est in *Montefalconii* Ant. expl. T. I. P. I. p. 24. Cf. *Heyne* in Recens. Parerg. T. VI. Edit. Virg. p. 783.

d) Luciani *Prometh.* T. I. Opp. p. 27. Reitz. ὥσπερ ἐκεῖνος ὐκ ὄντων ἀνθρώπων, τέως ἐννοήσας αὐτὺς ἀνέπλασε. τοιαῦτα ζῶα μορφώσας καὶ διακοσμήσας, ὡς εὐκίνητά τε ἔιη καὶ ὀφθῆναι χαρίεντα. καὶ τὸ μὲν ὅλον, ἀρχιτέκτων αὐτὸς ἦν. συνειργάζετο δὲ τοι καὶ ἡ Ἀθηνᾶ ἐμπνέυσα τὸν πηλὸν, καὶ ἔμψυχα ποιῦσα ἐῖναι τὰ πλάσματα. Cum quo loco comparandus alius *Hygini* F. 142. *Prometheus, Japeti filius, primus hominem ex luto finxit. Postea Vulcanus Jouis jussu ex luto mulieris effigiem fecit, cui Minerua animam dedit.*

e) Lucern. Sepulcral. P. I. p. 1.

et sepulcro suo intulit, remoturus videlicet mortis angores contemplatione vitae immortalis, quod justorum animae ad aetherem purissimum, cujus symbolum Minerua est, et quem ipsa humano luto inspirasset, post mortem rursus adscendant. Tota autem fabula de Prometheo et Minerua videri possit adumbrata esse e verbis Mosis L. I. C. II. 7. vbi deus homini, e gleba terrae formato, flando spiritum vitalem animamque indidisse dicitur. Cui quidem sententiae monumentum, paullo ante not. c. descriptum, dici vix potest, quid addat roboris f); nisi quis malit aut cum Lactantio g) conjicere, primum omnium Prometheum simulacrum hominis formasse de molli et pingui limo, ab eoque primo natam esse artem, et statuas et simulacra fingendi, sicque ortam esse fabulam; aut si haec non placeant, statuere, Prometheum, non magis morum sanctitate quam doctrina clarum principem, homines mirum in modum efferatos et rudes, nec leges habentes, praeceptis humanitatis imbuisse, eosdemque docuisse agriculturam et alias artes, quas protulit, ope ignis adjutus, sicque ad humanitatem perduxisse h): cujus igitur nomen poëtae, qui omnia figuris inuoluere et obscurare solebant, ad errorem fabulae traduxerint i). Alii in

---

f) Cf. *Banier* Erläuterung der Götterlehre T. I. p. 240. Vers Schlegel.

g) Instit. Div. L. II. C. 10.

h) *Aeschyl.* Prometh. 441. sqq.

i) Hinc *Hygin.* Poët. Astron. L. II. C. 15. *Prometheus*, inquit, *propter excellentiam ingenii miram homines finxisse existimatur*; *Africanus* vero L. III. Chronogr. ap. *Euseb.*

hac re Minerua alias dant partes. Fingunt enim, Prometheum post factos a se homines, auxilio Mineruae, caelum adscendisse, et adhibita ferula ad rotam Solis, ignem furatum, quem hominibus indicauerit. Ita Seruius k). Plenius rem tradidit Fulgentius l), scribens: „Prometheum ajunt hominem ex luto finxisse, quem quidem inanimatum atque insensibilem fecerat, cujus opus Minerua mirata spopondit ei, vt si quid vellet de caelestibus donis ad suum opus adjuuandum inquireret. Ipse nihil se scire ait, quae bona in caelestibus haberentur, sed si fieri posset, se vsque ad superos eleuaret, atque exinde si quid figulinae congruum cerneret melius inire, id est propter septem liberales artes, vel propter septem planetas, quae in aëre currunt, oculatus arbiter praesumsisset. Illa inter oras septemplicis clypei sublatum caelo opificem detulit. Dumque videret omnia caelestia flammatis animata vegetare vaporibus, clam ferulam Phoebeacis applicans rotis, ignem furatus est, quem pectusculo hominis applicans animatum reddit corpus.“ In quo argumento mirum quam multa, quam varia narrent Mythologi; quae singula exsequi hujus loci non est.

Praep. L. X. C. 10. p. 491. Viger. quem laudat *Huetius* Demonstr. evang. p. m. 163. quod homines rudes et simplices Prometheus disciplinis instruxerit, idcirco hominum fictorem creditum esse censet: μετὰ δὲ τέσσαρα καὶ ἐννενήκοντα ἔτη ἦν προμηθεὺς, ὥς τινες, ὅς πλάσσειν ἀνθρώπυς ἐμυθέυετο· σοφός γὰρ ὢν, ἐις παιδέιαν ἀυτὺς ἀπὸ τῆς ἄγαν ἰδιωτέιας μετέπλαττε. Vid. etiam *Banier* l. c. T. III. p. 221. sq.

k) Ad Virg. Ecl. VI. 42.

l) Mythol. L. II. C. 9.

Tabula III.

In fronte Libri V. e Picturis Herculanens. T. IV. tab. XLII. p. 201. Expressus est Auloedus, duas inflans tibias; de quo fusius disputatum est in Exc. XXX. ad L. V. F. VII. 8. 9. Idem argumentum et alibi obuium. Vid. Pitture d'Ercolano T. IV. tab. XXXIV. p. 163. et quos laudaui in Notis ad h. l.

VITA PHAEDRI.

VITA PHAEDRI

EX

PHAEDRO *)

AUCTORE

I. G. S. SCHWABE.

Phaedrum fuisse Thracem, non pauci virorum doctissimorum sunt, qui, duce Pithoeo, statuant. a) Prouocant enim ad ipsa Phaedri verba: b)

Ego, quem Pierio mater enixa est jugo,
In quo tonanti sancta Mnemosyne Ioui,
Fecunda nouies, artium peperit chorum: etc.

et ad locum alium: c)

Ego, litteratae qui sum propior Graeciae,
Cur somno inerti deseram patriae decus?
Threïssa cum gens numeret auctores suos,
Linoque Apollo sit parens, Musa Orpheo.

Quibus addunt locum Strabonis: d) Ἀπὸ δὲ τῆ μέλης,

*) In enarranda vita Phaedri ea potissimum in vsus meos verti, quae viri docti, *Funccius*, Ioannes *Schefferus*, Io. Alb. *Fabricius*, F. Ios. *Desbillonius*, *Crusius*, Anglus, de hocce poëta memoriae prodiderunt; ita quidem, ut placita eorum disquisitioni subjicerem, nouasque passim auderem conjecturas, sustentatus argumentis, ad probandum idoneis.

a) *Schefferus* in Vita Phaedri: *Fabricius* in B. L. T. II. p. 25. Ed. Ernest. *Funccius* de Senect. L. L. Cap. III. §. 8. alii.

b) Prol. Lib. III. 17 — 19.

c) Prol. Lib. III. 54 — 57.

d) Geograph. L. X. p. 722. Edit. Amstel. 1707. f.

καὶ τȣ̃ ῥυθμȣ̃, καὶ τῶν ὀργάνων, καὶ ἡ μȣσικὴ πᾶσα Θρακία καὶ Ἀσιᾶτις νενόμισται· δῆλον δ' ἔκ τε τῶν τόπων, ἐν οἷς αἱ Μȣ̃σαι τετίμηνται. Πιερία γὰρ, καὶ Ὄλυμπος, καὶ Πίμπλα, καὶ Λείβηθρον τὸ παλαιὸν ἦν Θρᾴκια χωρία καὶ ὄρη cet. ex quo probare student, Pieriam montemque Pierium olim fuisse regionem montemque Thraciae. At rectius Phaedrus Macedonia ortus fuisse creditur. Etsi enim priscis temporibus (τὸ παλαιὸν) mons Pierius Thraciae fuit adscriptus; subsequenti tamen tempore incolebatur a Macedonibus, teste eodem illo Strabone, qui verbis paullo ante citatis, haec subjungit; νῦν δὲ ἔχȣσι Μακεδόνες, quae quidem verba Schefferus reticuit. Atque etiam cum Pausanias e) commemoret, fuisse olim Pieri, Macedonis, nomen uni e Macedoniae montibus inditum; Plinius autem f) et Mela g) Pieriam appellent Macedoniae *) regionem; cum denique omnes antiqui Geographiae scriptores Macedoniam a Thracia distinguant: dubitari nequit, jugum Pierium, de quo Phaedrus verba facit, situm fuisse in Macedonia, et Phaedrum Macedonem, non Thracem, esse

e) Descript. Graec. L. IX. Cap. 29. T. III. p. 88. ex Edit. Cl. *Facii.* Χρόνω δὲ, ὕϛερόν φασι Πίερον Μακεδόνα, ἀφ' ȣ̃ καὶ Μακεδόσιν ὠνόμασται τὸ ὄρος, τȣ̃τον ἐλθόντα ἐς Θεσπιὰς, ἐννέα τε Μȣ́σας καταστήσασθαι, καὶ τὰ ὀνόματα τὰ νῦν μεταθέσθαι σφίσι.

f) Hist. Nat. Lib. IV. C. 10.

g) De Situ Orb. Lib. II. C. 3. *Hic* (in Macedonia) *Musarum parens domusque Pieria.*

*) *Plinius* H. N. Lib. IV. C. 8. coll. not. f. refert montem Pierum ad Thessaliam. Dicit enim: *Pherae, quarum a tergo Pierus ad Macedoniam protenditur.* Auctoribus *Mela* l. c. et *Cellario* Orb. Ant. T. I. p. 836. coll. Mapp. Geogr. p. 828. Pieria fuit prouincia Macedoniae; mons autem Pierus situs erat in confiniis Macedoniae et Thessaliae. Facile igitur fieri potuit, ut iste mons ab aliis Thessaliae, ab aliis Macedoniae adscriberetur. Sed jugum Pierium, de quo loquitur Phaedrus, accipiendum pro ea montis illius parte, quae ad Macedoniam pertinebat. Scribit enim, se litteratae propiorem esse Graeciae. Per consequens fuisset Graecus, si in altera, quae Thessaliae erat, natus esset. cf. Desbillon. Praef. p. V. et quae notamus ad Prol. III. 20.

appellandum. h) At enim Phaedrus loco, supra memorato, i) se ipse Thracem vocat. Et ego haec verba minime id significare contendo, quod volunt, qui secus sentiunt. Nam recte vidit Desbillonius, k) ea ita esse interpretanda: Ego decus patriae meae, quae litteratae Graeciae propior est, nolo per inertiam deserere, cum Threïssa gens, quamuis a Graecia sit multo remotior, suos tamen auctores, Linum et Orphea, numeret. Neque etiam, judicante eodem viro docto, temporibus Lini et Orphei Macedoniam Thraciae partem fuisse credidit Diodorus Siculus. Is enim, l) Macedonem, a patre suo Osiride huic regioni praepositum, Macedoniae, ante Lini et Orphei tempora, nomen dedisse, memoriae prodidit, scribens: καὶ Μακεδόνα μὲν τὸν υἱὸν ἀπολιπεῖν βασιλέα τῆς ἀπ' ἐκείνου προσαγορευθείσης Μακεδονίας. Quae cum ita sint, Phaedrus fuit Macedo, neque magis, quam Pindarus, Thebis natus, propterea Thrax dici potest, quod Strabo m) scriptis suis tradidit, Thraces olim tenuisse Boeotiam.

Fuerunt, qui verba: Ego, quem Pierio mater enixa est jugo, improprie et poëtice a Phaedro dici putarent. n Sed jam olim animadvertit Funccius, o) haec ita intellecta non apte cohaerere cum sequentibus. Cum enim Phaedrus, se in ipsa schola natum esse, dicat; p) Musae autem, artium omnium et litterarum Deae,

h) Lege de hac re erudite disputantem *Desbillonium*, in Disp. I. de Vita Phaedri p. IV. sq. praefix. Ej. Editioni Phaedri. Thracem fuisse Phaedrum, jam ante Desbillonium negavit Deniseus, qui gallicis versibus Phaedri fabulas reddidit. V. infra Vers. Gall. ann. 1708. et *Memoir de Trevoux* d. a. p. 790.

i) Prol. L. III. v. 54 — 57.

k) Vid. l. c. p. v.

l) T. I. C. 20. p. 23. Edit. Wesseling.

m) Loc. cit. Τόν τε Ἑλικῶνα καθιέρωσαν ταῖς Μούσαις Θρᾷκες οἱ τὴν Βοιωτίαν ἐποικήσαντες.

n) *Pagenstecherus* in Vit. Phaedri, laudans *Persii* Sat. Prol. v. 1. *Vrsinus* in Indice ad Edit. Phaedri, voc. *Pierius* C. H. *Schmid* in Not. *l.* ad *Crusii* Vitt. Poët. Rom. T. I. p. 342. vers. germ.

o) De imminenti L. L. Senect. C. III. §. 8.

p) Prol. Lib. III. v. 20. vbi vide.

in monte Piero crederentur esse genitae: facile vides, Pagenstecherum et viros doctos, qui eum sequuntur, non esse audiendos. Istam Pagenstecheri sententiam cl. Jacobs in dissertatione peculiari de fabulatoribus Latinis (Vide Nachträge zu Sulzers Theorie, T. VI. P. I. p. 34.) sic confutat: „Diejenigen, welche diesen Worten (Prol. III. 17.) einen metaphorischen Sinn unterlegen, haben den Zusammenhang nicht gehörig erwogen. Phaedrus führt die Gründe, die seine Ansprüche auf den Namen eines Dichters begünstigen, der Reihe nach an. Seinen Geburtsort, ein poetisches, durch die Gegenwart der Musen begünstigtes Land, stellt er an die Spitze. Zunächst kömmt er auf seine Erziehung, in ipsa natus paene schola; auf seinen Charakter, der keinen von den Flecken hat, die mit den Musenkünsten unverträglich sind. Man gebe dem ersten Satze eine metaphorische Bedeutung, und die ganze Anordnung der Gedanken ist zerstört."

Quo anno, quibus parentibus natus sit Phaedrus; vtrum casu, an sorte nascendi factus sit servus, definire non audeo: verumtamen conjecturam virorum doctissimorum silentio praetermittere non licet. Cum enim Suetonius q) narret, C. Octavium, Augusti patrem, Macedoniae Praetorem, Bessos ac Thraces magno fudisse proelio: conjiciunt hinc, potuisse evenire, ut Phaedrus cum aliis captiuis Romam duceretur. r) Hisce autem positis, Phaedrum putant paucis ante annis natum esse, quam Iul. Caesar summa potiretur imperii. s) Eodem enim anno, quo Thraces fusi sunt, Q. Cicero fuit Proconsul Asiae, Caesar autem Romae gessit consulatum. t) Quae quidem conjectura veri

q) Aug. Cap. III.

r) v. *Schefferus* in Vit. Phaedri: *Schumannus* in Diss. de Vit. et Script. Phaedri, edit. in Nov. Acerr. Philolog. Hal. 1715. 8. p. 170. sq. *Müllerus* in Einleit. zur Kenntniſs der alten Lat. Schriftstell. T. V. p. 8. *Crusius* l. c. p. 343. *Io. Fabricius* in Hist. Bibl. Fabric. P. VI. p. 319.

s) *Crusius* in Vit. Phaedri, quae exstat. l. c. p. 342. *Müllerus* l. c. T. V. p. 6.

t) *Crusius* l. c. p. 343. *Sueton.* Oct. Cap. 3.

non est similis, recte obseruante **Fabricio**; u) quoniam inter Caligulae imperium et illud tempus, quo C. Octavius Thraces fudit, intercedunt plus, quam LXX. anni. Quid? quod Phaedrus regnante Claudio adhuc vixisse, et aliquot fabularum libros composuisse videtur, vt e sequentibus constabit. Neque dissentit a nobis Desbillonius, cujus placita non alienum videtur hoc loco commemorare: x) „Etenim hoc pacto, inquit, Phaedrum tempore Sejani, quo se scripsisse testatur, septuagenario majorem fuisse oportuerit; quod veri simile non videtur. Ipse enim Lib. IV. Epil. vs. 16. (Epil. L. III. 16. 17. nostrae Edit.) de se loquens, sic vnum e suis patronis admonet:

Olim senio debilem
Frustra adjuuare bonitas nitetur tua.

Tunc ergo non erat neque senex, neque senio proximus. Praeterea si abductus eo tempore in seruitutem fuisset, captum esse cum victis vel Thracibus, vel Bessis dicendum foret, qui barbari longe ab Auctoris nostri patria (Macedonia) erant ad septentrionem remoti.“

Phaedrus, aetate puerili captus, nescio quo casu, Romam deportatus Augusto imperatori mancipatus est, qui eum, ob morum probitatem atque ingenii elegantiam, bonis litteris curavit instituendum, et manumissum libertate donavit *). Litteris autem Latinis Romae imbutum fuisse Phaedrum, vel ex Epil. L. III. v. 33. sq. (alias Lib. IV. XXV. 33. 34.) potest intelligi, quo loco ex Ennii Telepho versum memorat, quem se puerum quondam legisse testatur, hujus sententiae:

Palam mutire plebejo piaculum est.

Jam vero si perpendamus, scripsisse poëtam fabulas Latine, i. e. sermone terso atque polito, eumdemque vsum esse

u) Bibl. Lat. T. II. p. 25. Edit. Ernest.

x) Disp. I. de Vit. Phaedri cit. p. VI. Mea quidem sententia locus, quem mox affert Desbillonius, non tempore Sejani sed Caligulae scriptus est. Nam Fab. alias XXV. L. IV. cum Brotierio et Bipontinis Editor. epilogum fieri iussi Lib. III. cuius prologo ad Eutychum bene respondet.

*) *Harlesii* Notit. Litterat. Rom. p. 435. *Crusius* l. c. p. 350.

genere dicendi simplici et faceto, veterem vrbanitatem redolente: vix credibile est, aliquem ad talem sermonis Latini peritiam alicubi peruenire potuisse, nisi Romae, et longo quidem ab ineunte pueritia usu. y) Quomodo seruus factus sit Augusti, fateor me nescire. Sed dubium potest esse nullum, Octauium Augustum nostrum, cum perpoliuisset litteris ingenium, adseruisse libertati, atque adeo Phaedrum Octauii Augusti fuisse libertum. In libris enim fabularum MSS. expressis verbis Augusti vocatur libertus. *) Sed Octauium Augustum intelligendum esse, testis est ipse Phaedrus, memorans litem, a Divo Augusto dijudicatam, addens:

Narrabo, memoria quod factum est mea. z)

Non pauci tamen sunt, qui Phaedrum libertatem Tiberio Augusto debere existiment; a) a quibus recte dissentit Desbillonius, b) qui praeter argumenta, et a me paullo ante notata, hoc in medium protulit: „Mihi, inquit, conjectura de Octauio longe probabilior videtur. Etenim manumitti Phaedrum oportuit ob elegantiam ingenii, sermonisque Latini peritiam: quas artes et profuisse nemini apud Tiberium, horum temporum historia satis ostendit, et aliquo vix in honore fuisse illo regnante, versibus, Sejano adhuc superstite compositis, ipse indicat: c) ubi fatetur, quamvis insigniter in arte sua se exercuerit, fastidiose tamen in Musarum coetum recipi."

Phaedrus igitur tempore Caesaris Octauii Augusti, cujus memoria et recordatio ei erat jucundissima, vixit re-

y) *Desbillonii* Disp. cit. p. VI. sq.

*) In Cod. Pithoei scriptum est: *Phaedri Aug. Lib. secundus incipit.* V. Gud. In MS. Rem. post. L. V. F. X. Phaedri *Aug. liberti liber quintus explicit feliciter.* Vid. Brot.

z) Lib. III. F. X. 8. 39.

a) *Schefferus* in Vit. Phaedri. Ol. *Borrichius* de Poët. p. 55. *Lipsius* ad Senec. Consol. Polyb. Cap. XXVII. *Buchnerus* Orat. T. II. Or. 2. coll. *Fabri* Thes. v. *Phaedrus;* et *A. Schotti* observ. L. II. C. 19. ut omittam alios. *Morhof.* de Patavin. Livii p. 157. haeret ambiguus, Phaedrum Libertum *Augusti*, vel *Tiberii* appellans.

b) Disp. cit. p. VII.

c) Prol. Lib. III. 41. 23.

busque secundis vsus est. Post Augusti obitum, Tiberio imperium administrante, in magnam incidit calamitatem, odio maxime Sejani, qui pro arbitrio cuncta gerebat sub Tiberio, et nostrum, fictis accusatum criminibus, damnauerat. Conqueritur enim Prol. Lib. III. v. 40 — 43.

Quodsi accusator alius Sejano foret,
Si testis alius, judex alius denique;
Dignum faterer esse me tantis malis.

Qui factum sit, ut in odium Sejani incurreret, pro certo adfirmari non potest. Conjicit Schefferus, Phaedrum, ab Augusto libertate donatum, primo Augustum, et mox eo defuncto posteros illius amasse et coluisse: quos inter cum exstiterit primum Agrippa, deinde Germanicus, non potuisse deesse rationem Sejano, criminandi Phaedrum apud inuidentem atque suspicacem principem Tiberium. Sed haec non magnam veri speciem habere et longe petita mihi videntur. Immo vero Phaedrus auctorem calamitatis suae se ipse fatetur, d) scribens:

Seruitus obnoxia
Quia, quae volebat, non audebat dicere,
Adfectus proprios in fabellas transtulit,
Calumniamque fictis elusit jocis.
Ego illius pro semita feci viam,
Et cogitaui plura, quam reliquerat,
In calamitatem deligens quaedam meam.

Quibus e verbis colligi potest, scripsisse Phaedrum fabulas, quibus Sejani aliorumque iras concitaret; etsi simularet, sibi non mentem esse notare singulos; Prol. III. 40 — 50. Verba enim:

In calamitatem deligens quaedam meam,

non interpretanda sunt: nonnulla applicans ad mala, quae passus sum, quod, praeter alios, vult Crusius, Anglus; e) sed ita: unde mihi per calumniam inimicorum postea calamitas fuit conflata. Idem hoc Phaedrus fabula de Cane et Venatore f) ad Philetum significare videtur. Canis enim

d) Prol. Lib. III. 34 — 40. cf. Not. ad Prol. III. 40. et *Iacobs* l. c. p. 35. not. (o).

e) Vit. Phaedri, quae exstat. l. c. T. I. p. 344. vers. germ.

f) Lib. V. F. x.

ille venaticus, fortis olim aduersus omnes feras, nunc annis ingrauantibus languens, quem adumbrat alium, quam ipsum fabulae auctorem? g) Quamquam haec fabula etiam alio modo explicari potest, vti suo loco monstrabitur. Ac mea quidem sententia Phaedrus post Tiberii secessum in Capreas insulam, viuo Sejano et florente, duos priores fabularum libros in lucem emisit. Non enim vnam alteramue fabulam sibi amicisque tantum composuisse mihi videtur, traditam deinde in manus multitudinis, quae est Desbillonii sententia. h) Namque non vna ratione inducor ad credendum, Phaedrum scripsisse omnibus non singulis, vt luculenter docebunt sequentia. Contra facile admitto conjecturam Brotierii, maxime Desbillonii, qui non sine caussa statuunt, Libri primi fabulam VI. de Sole et Ranis ad inuidiam Sejano faciendam pertinuisse; quod Liviam, siue Livillam, Drusi Neronis Germanici filiam, Cajo, Augusti nepoti, mox Druso, Tiberii filio, nuptam, ausus esset vxorem sibi postulare, i) et ista ambitione tam insolenti vulgi rumorem, odium procerum, Tiberii ipsius suspiciones excitasset. Quam sententiam hac video niti interpretatione: k) „Liviam adulterio corruperat Sejanus, perpuleratque, vt Drusum maritum, Tiberii filium, l) veneno tolli sineret: atque ambo sperauerant, moram omnem fuisse hoc scelere sublatam, quo minus celebres fierent nuptiae: at ranae, id est, vniuersae familiae Romanae, quarum Sol, Sejanus, omnes lacus, id est, omnes domos exhauriebat, Iouem, i. e. Tiberium efficaci tandem querela commouerunt, vt nefarium inceptum disturbaret.“ Qua fabula lecta, excanduit Sejanus in vltionem, cumque intellexisset, Phaedrum fabula Lib. I. 2. de Ranis, regem petentibus, ipsum carpere Tiberium, forte cupide arripuerit istam occasionem, vlciscendi injuriam, ex altera fabella nuper acceptam, et

g) Hanc sententiam tuetur *Desbillonius* Disp. cit. p. XI. vbi vide.

h) Disp. cit. p. X.

i) *Tacit.* Annal. Lib. IV. Cap. 39. 40.

k) *Desbillonius* l. c. p. X.

l) *Tac.* l. c. Cap. 3. 8. coll. Cap. 9—11.

accusator, testis ac judex laesae majestatis reum m) Phaedrum damnare tentauit. Atque hic obseruat Desbillonius, n) potuisse Tiberium paruo illo tigillo, quod Ranae inquinant omni contumelia, non inepte designari: Romanos enim ac prae ceteris duces exercituum militesque, et multo etiam magis socias gentes his potissimum temporibus aspernari eum coepisse; quod imperii clauum deserere videretur, et ignauus Caprearum angusta in rupe sederet, o) atque otiaretur, tutore Sejano. Tunc etiam, auctore Tacito; p) contumeliae in eum dictae; et fluxa senio mens et continuo abscessu velut exsilium aliquanto post a Fulcinio Trione obiecta. Non tamen crediderim, Phaedrum, omissa crudelitate, solum ignauiam atque inutilitatem Tiberii fabula memorata deridere voluisse, quod volunt Desbillonius et Tristanus (Histoir des Empereurs, loco mox citando). Crudelis enim esse non destitit: non igitur alium per hydrum notauisse videtur poëta, quam huncce Imperatorem, *) nisi quis malit intelligere Sejanum, instrumentum crudelitatis suae. Neque objici potest a cl. Iacobs in erudita dissertatione de Fabulatoribus Latinis, (v. Nachträge zu Sulzers Theorie T. VI. P. I. p. 34.) hydrum istum de Caligula non posse intelligi, quia fabula de ranis graecae sit originis. Quae enim si vera essent, vix liceret contendere, Tiberium a Phaedro per hydrum notatum fuisse. Sed quis possit dubitare, poëtam fabulas, ab Aesopo inuentas, et a se versibus senariis politas, genio saeculi accomodauisse, eumdemque sub antiquis illis fabulis res sua memoria gestas voluisse adumbrare; cum ei mens esset, vt ipse testa-

m) *Tac.* Annal. Lib. I. C. 72. de Tiberio loquens: *Legem*, inquit, *majestatis reduxerat*, coll. *Desbillon.* Disp. de vita Phaedri. p. X. sq.

n) Disp. de vita Phaedri. p. XI.

o) *Juvenalis* Sat. X. v. 93.

p) Annal. Lib. IV. Cap. 42. et Lib. VI. Cap. 38.

*) Jam olim *Heusingerus* vidit, Tiberium non Caligulam, significari per hydrum. Vide Addenda ad Edit. Heusinger. ann. 1772. Not. K. et ad L. I. F. II. 24.

tur Prol. III. 50. vitam et mores hominum ostendere.

Praeter Sejanum subsequenti tempore non pauci erant potentes, qui Phaedri fabulis se laesos putarent, iramque euomerent in auctorem, q) quos hic tamen nominare non audet; id quod luculenter apparet ex Epil. Lib. III. 29. sqq. r)

Sed difficulter continetur spiritus,
Integritatis qui sincerae conscius
A noxiorum premitur insolentiis.
Qui sint requires: apparebunt tempore.
Ego quondam legi quam puer sententiam,
Palam mutire plebejo piaculum est,
Dum sanitas constabit, pulcre meminero.

Qui locus probat, Phaedrum, inuidiae calumniaeque machinationibus oppressum, fictarum caussarum reum esse factum. Ac primum quidem Sejanum accusatorem, simulque testem ac judicem habuit. s) Hoc deinde exstincto, alii, siue a Sejano incepta persecuturi Phaedrumque vltioni mactaturi, siue propria simultate inflammati, omnem mouerunt lapidem, vt affligerent nostrum et perderent. Ii sunt, contra quos supplex et reus, etsi integritatis conscius, implorat misericordiam Eutychi, patroni sui, t) hocce tempore forte judicum numero habendi, u) scribens:

q) *Desbillon.* l. c. p. IX. Prol. III. 45 — 47. coll. Epil. III. 29. sqq.

r) Alias Lib. IV. XXV. 29. sqq.

s) Prol. L. III. v. 41. 42.

t) Epil. Lib. III. 20 — 26. coll. *Desbillonii* Disp. de Vita Phaedri. p. IX. et Exc. XII. ad Epil. III. 8. 9. 24. sq.

u) Versus enim: *decerne quod religio, quod patitur fides,* intelligendus, obseruante Desbillonio, de religione judiciorum et fide jurisjurandi, quo se Romanorum judices adstringebant, lites sese et controuersias ex aequo et bono praescriptisque legum esse dijudicaturos. Cf. *Desbillonii* Disp. cit. p. VIII. Non tamen vero simile videtur Burmanno ad loc. Phaedri cit. Eutychum, liberti nomen gerentem, judiciis praefuisse. Compara Excurs. I. ad L. III. it. Exc. XII. ad eumdem librum.

Stultum admouere tibi preces existimo.
Procliuis vltro cum sit misericordia.
Saepe impetrauit veniam confessus reus,
Quanto innocenti justius debet dari?
Tuae sunt partes; fuerunt aliorum prius:
Dein simili gyro venient aliorum vices.
Decerne quod religio, quod patitur fides etc.

Sed tota res jacet in tenebris, et vix sperare licet, haec vmquam in lucem euocatum iri.

Non Aelium Sejanum, eumdem, qui sub Tiberio suam latissime potentiam exercebat, Phaedrum perstringere, censet Cannegieterus, x) „sed potius hominem, moribus ejus non dissimilem. Nam si, inquit, ipsum Sejanum intelligas, qui quaeso ausus est homo libertinus eum, sub saeuissimo principe crudeliter dominantem, tam acerbe perstringere in carmine publico? aut si hoc est Phaedrus ausus, vitae suae prodigus, qui quaeso factum, vt tantam linguae licentiam impunitam tulerit; tulisse autem videtur, quod interposito tempore reliqui fabularum libri prodierunt. Nam non omnes simul esse editos, facile largior Hario, auctori Epistolae criticae. At vero nequaquam in eo adsentior, quod eodem in loco ad Prol. Lib. III. monet, Sejano jam damnato eum librum esse scriptum. *) Nam si post damnationem, etiam post mortem scriptus est; eodem enim die damnatus in Senatu et ad supplicium raptus est Sejanus, Dion. LVIII. p. 628. At vero vixisse illum Phaedri Sejanum ac magna auctoritate et potentia praeditum fuisse, cum illa scriberet poëta, haec verba vincunt:

Quodsi accusator alius Sejano foret,
Si testis alius, judex alius denique

Quomodo foret Sejano mortuo conveniet?"

Cujus quidem argumenti, speciosi profecto vis facile infringi potest, si fingas, Prologum Libri III. viuo quidem Sejano litteris consignatum, sed demum post Phaedri mor-

x) In Diss. de Aet. et Stylo Aviani p. 270. sq. inserta Ej. Edit. Aviani.

*) Librum III. post Sejani statim ruinam exaratum esse, statuebat Harius, probante Burmanno, quem vide ad Phaedri F. II. L. I. 24.

tem juris factum esse publici. Quam sententiam sustentari posse censeo loco Phaedri, Prol. Lib. III. vs. 29 — 32.

Librum exarabo tertium Aesopi stylo,
Honori et meritis dedicans illum tuis.
Quem si leges, laetabor; sin autem minus,
Habebunt certe, quo se oblectent posteri.

Cum enim Phaedrus verba tantum faciat de Eutycho et posteris, quorum ad manus fabulae Libri III. transmittendae sint: suspicari possis, poëtam noluisse, vt ab aliis, tunc viuentibus, legerentur, cum e fabulis Libri I. et II. antehac editis, magna cepisset incommoda. Itaque, suo ipsius damno edoctus, prouidisse putandus est, ne scripta sua in posterum se viuo in publicum emitterentur. y) Quae si admittantur, facile intelligitur, Phaedrum, viuo adhuc Sejano, scribere potuisse ad Eutychum: quodsi accusator alius Sejano foret; ita quidem, vt non esset, quod metueret hominem, crudelitate barbarum.

Contra Librum fabularum I. et II. quibus poëta Sejanum et alios ad iram prouocavit maximam, vt ego quidem arbitror, viuo Sejano et florente, in vulgus edidit; etsi Desbillonius, vt supra dictum est, aliter sentiat. Namque, recte notante Cannegietero, z) „Prologus Libri I. et multa alia arguunt, non paucis scripsisse fabulas suas Phaedrum, sed omnibus; neque tantum ad priuatum dolorem leniendum, sed et ad famam publice aucupandam. Quorsum enim sollicitae illae προφάσεις ad lectorem, non initio solum et fine, sed et in mediis libris, quibus nil opus ad amicos? Quid? cum in Prologo Libri III. 23. fastidiose se in coetum recipi queratur, et in Epilogo Lib. IV. 5. 6. Particulonis nomen dicat chartis victurum suis,

Latinis dum manebit pretium litteris, a)

ex tacitis amicorum laudibus hanc gloriae immortalitatem eum sperasse vix putandus est, immo vero ex publicis virorum doctissimorum suffragiis. Porro qui illa convenient ex Prologo Libri III. 45 — 50.

y) Conf. *Desbillonius* ad Prol. Lib. III. 32.

z) Diss. de Aetat. et stylo Aviani. p. 270.

a) Alias Lib. V. v. 43. 44

Suspicione si quis errabit sua,
Et rapiet ad se, quod erit commune omnium,
Stulte nudabit animi conscientiam.
Huic excusatum me velim nihilominus:
Neque enim notare singulos mens est mihi,
Verum ipsam vitam et mores hominum ostendere,

nisi omnium manibus versatos hos Phaedri libellos existimamus?" Quae Cannegieteri conjectura confirmatur judiciis variis, quae de fabulis suis facta esse ipse Phaedrus fatetur, et quae comprobant, non singulis, sed omnibus compositas et publicatas esse fabulas. Scribit enim Prol. IV. 17. 18.

Mihi parta laus est, quod tu, quod similes tui
Vestras in chartas verba transfertis mea;

Ad quem locum vide, quae infra notantur. Nec defuere hisce temporibus, qui Phaedri fabulas bona quaedam habere non diffiterentur, sed ea ex Aesopo mutua accepta; cetera ut excogitata sint a Phaedro, ita mala et inepta esse. b) Alii cum nil possent aliud, breuitatem et obscuritatem fabularum accusabant. c) Fuerunt denique, qui fabulas componere non auderent, sed vindicarent sibi, quod inuentum erat a Phaedro. Hoc enim voluit Lib. III. F. XIII. d) fortasse etiam Libri I. F. III.

Cujuscunque generis calamitas fuerit, in quam odio et persecutione Sejani Phaedrus fuit praecipitatus, e) certum est, diuitias neutiquam eum reddidisse calamitosum. Cum enim videret, pecunias hisce temporibus multis esse perniciei, opum parandarum studium omne ex animo deleuit, seu, ut ait Prol. III. 21. curam habendi penitus corde erasit. Id quod innuit Lib. V. F. IV. 7. 8. vbi scribit post enarratam fabulam de Asino, detrectante hordei co-

b) Lib. IV. F. XX. 1 — 5. coll. *Scheffero* in Vit. Phaedri.

c) Lib. III. X. 59. 60.

d) Vid. *Schefferus* in Vita Phaedri.

e) Capitis periculum vitaeque discrimen subiisse, conjicit *Desbillonius* Disp. cit. p. VIII. ex Epil. III. 20 — 26. (Alias Lib. IV. XXV. 20 — 26.) In vincula publica Phaedrum conjectum fuisse, forte colligi potest e Lib. III. IX. 34. coll. Epil. III. 15. sqq.

medere reliquias, quo saginatus porcus Herculi deinde immolatus fuit:

> *Hujus respectu fabulae deterritus*
> *Periculosum semper reputaui lucrum.*

Et profecto tunc opulentissimum quemque a Tiberio variis criminationibus circumueniri solitum, praeter alios, Suetonius f) et Tacitus g) docent, teste Scheffero. h) Neque etiam dubium est, Phaedrum, calamitatem magno ferentem animo, remedium aduersus eam petiisse e litteris et ad molliendum dolorem scripsisse reliquos fabularum libros. i)

Scripsit Phaedrus versibus senariis fabularum Aesopiarum Libros V. Sed de aetate, qua vixit, et de tempore, quo exarauit fabulas, non vna est virorum doctissimorum sententia. Gudius aetatem ejus ad Tiberii principatum referendam, ipsumque Valerio Maximo aliisque ejus aeui scriptoribus aequalem fuisse censebat. k) Existimabat autem, has fabellas demum post Tiberii mortem publici juris factas; l) cum non vero simile videatur, illum ausum fuisse fabulis suis viuentem imperatorem immiscere, quod quam periculosae aleae opus esset, alia ejus temporis monimenta ei probare videbantur; deinde quod fabulam de Ranis, regem petentibus, et a Joue hydrum consecutis, Caligulae tempora respicere putabat: nam Tiberium de Caligula, successore suo, dicere solitum, exitio suo omniumque Cajum viuere: et se natricem populo Romano, Phaëtontem orbi terrarum, educare teste Suetonio. m) Speciem habent argumenta Gudii; sed tamen

f) *Tiber.* Cap. 49.

g) Annal. Libr. VI. Cap. 19.

h) Vid. Ej. Vita Phaedri.

i) Prol. Lib. III. 41—44.

k) *Burmannus* in Praef. ad Edit. Phaedri ann. 1698. et 1718.

l) Sic quoque visum Rigaltio et Fabricio.

m) Calig. Cap. XI. Per hydrum a Phaedro C. Caligulam notari, contendit etiam *Tristan.* Hist. des Empereurs. T. II. p. 303. v. *Fabricius* l. cit. T. II. p. 26. Nec desunt, qui Phaedrum *parui tigilli* nomine Tiberium, nomine *hydri* Caligulam intellexisse censeant. v. Desbillon. Praef. Disp. I. p. VII. coll. *Tristan.* l. c.

certum est, quid respondeam. Namque, ut supra ostendi, Phaedrus diserte dicit, fabulas suas esse fontem, ex quo tot mala, quae fuerit perpessus, fluxerint. Conqueritur de Sejano, accusatore, teste et judice suo. Alium igitur atque alium fabularum librum, Tiberio et Sejano viuentibus, ediderit necesse est. Deinde habeo, persuasissimum, Libri I. Fabula II. Tiberium notari, non Caligulam. Etenim ad Tiberium, post secessum in Capreas insulam vitam degentem inertem atque desidiosam, et per Sejanum insatiabilem explentem crudelitatem, cum paruum tigillum, tum hydrum non inepte accommodaueris; ad Caligulam non item. (Vide supra notata.) At enim periculosum erat, viuentem imperatorem immiscere fabulis. — Imprudenter id fecit Phaedrus, fateor; at non fecit impune; etsi nesciamus, quis deus ex machina eum, si vitae adiit discrimen, liberauerit. — Burmanno Phaedrus Tiberii aetate vixisse videbatur, quamuis, cum prouectae admodum aetatis has fabulas composuisse putaret, vt e Libri III. Epil. et L. V. F. X. appareat, quo tempore potissimum scripserit, definiri vix posse contenderet. n) Etsi vero poëta Epil. L. III. 10. (Alias L. IV. F. XXV. 10.) scribit: vita morti propior est quotidie; et mox: languentis aeui dum sunt aliquae reliquiae; idem tamen addit v. 16. 17. olim senio debilem frustra adjuuare bonitas nitetur tua. Ex quo recte potest colligi, Phaedrum tum, cum Epilogum L. III. litteris mandaret, neque senem fuisse, neque senio proximum. Itaque τὸ languens aeuum v. 15. dicti Epilog. non de senectute, sed vita Phaedri, a noxiorum insolentiis pressa (v. 31.) et moerore confecta, intelligi posse videtur: de quo suo loco plura dicentur. Fac etiam, Lib. V. Fab. X. de fabulis Phaedri, summa senectute compositis, esse capiendam; etsi alio quoque modo explicari possit: vix tamen poëta fabulas ad vnam omnes aetate decrepita litteris consignasse existimandus est. Neque etiam e Lib. III. F. I. hoc tuto effici posse censet cl. Iacobs

n) Cf. *Burmannus* in Praef. cit.

in disputatione de Fabulatoribus Latinis, supra citata p. 33 vbi laudat Funccii Apologiam pro Phaedro p. 36. etsi Phaedrum, aetate prouectum, si non omnes fabulas, certe partem, scripsisse putet. —

Sub Claudio scripsisse, et sub Sejani nomine Narcissum perstringere, conjectura est Cannegieteri. o) Non enim opportuniorem licentiae, quam sibi sumsit Phaedrus, locum fuisse, quam sub imperatore Claudio, cujus stoliditate et patientia plures, in locis etiam publicis atque in foro, sint abusi re pariter ac verbis injurii; p) fabulam de tigillo rege, contumeliis inquinato; huic imperatori esse aptissimam; conuenire etiam tempori huic libertinorum potentiam. Nam Eutychum, Particulonem, Philetum, quos amicos suos non inhonoratos laudet Phaedrus, libertinos arbitratur fuisse, id quod seruilia nomina ei indicare videntur. At vero si Claudio imperante licentiae locus fuit; si in locis publicis atque in foro licuit, injurium esse: qui quaeso fieri potuit, ut licentia, quam sibi sumserat Phaedrus vitio ei verteretur, isque magnum inde caperet detrimentum? Sed tamen, Particulonem atque Philetum Claudii fuisse libertos, non magis negauerim, quam Librum IV. et V. fabularum hoc regnante a Phaedro conscriptos fuisse.

Cel. Saxius, vt argumento tituli Prolog. III. ad Eutychum, eumdem fortassis, qui potentissimus Caligulae libertus fuit, teste Iosepho, q) simul vt loco Senecae r) quodammodo satisfaceret, medio Phaedrum Claudii principatus tempore posuit A. C. 48. s) Sejano, jam exstincto, nostrum fabulas suas opposuisse, conjectura est Io. Fabricii. t) Sunt denique, qui poëtam imperante Augusto

o) Diss. cit. de Aetate et Stylo Aviani. p. 270. sq.

p) Exempla dabit *Suetonius* in Claud. Cap. XV.

q) Ant. Iud. Libr. XIX. Cap. IV. p. 942. Edit. Havercamp.

r) Consol. ad Polyb. Cap. XXVII. de quo loco vide infra Disputationem de *Phaedro antiquitatis scriptore.*

s) Vid. *Saxii* Onomast. T. I. p. 241.

t) In Hist. Biblioth. Fabrician. P. VI. p. 319.

vixisse, sed fabulas, in quibus nomen Sejani legitur, demum sub Claudio juris publici fecisse affirment. u)

Si quis iis adsentiri velit, quae supra disputaui, nixus argumentis, non penitus contemnendis, nulla potest esse dubitatio, Phaedrum jamjam vixisse regnante Octauio Augusto. Is enim eum vindicauerat in libertatem, et facit Phaedrus honorificam nominis ejus mentionem. Aureae tamen aetatis scriptoribus poëta propterea non adnumerandus est; cum demum sub Tiberio artis poëticae laude florere et fabulas scribere coeperit. Mortuo enim Augusto, cum Tiberius anno imperii XII. Roma excessisset, numquam eam reuisurus; et petiisset Capreas insulam, vbi in otio turpique inertia viuebat, de imperio parum sollicitus; edidit Phaedrus post annum Christi XXVI. duos priores fabularum libros, in quibus conjectura probabili Tiberium, Sejanum aliosque Romanorum potentes notauerat. Quo cum in acerbissimum venisset odium, et conflictaretur cum fortuna aduersa, cautior deinde factus, fabulas, scriptas ad leniendum dolorem, juris publici non fecit. Sic composuit, vt videtur, Librum III. dedicauitque, vt ipse ait, honori et meritis Eutychi. Qui si idem est cum Eutycho, opibus et gratia florente in aula Caligulae, x) tertius fabularum liber ad hujus imperatoris tempora referendus est; etsi, Prologum et aliam atque aliam hujus libri fabulam e. g. L. III. F. II. Phaedrum, viuis adhuc Tiberio et Sejano, scripsisse, non negauerim. Verumtamen poëta voluisse videtur, vt praeter Eutychum a nullo alio legerentur Fabulae, et demum post ipsius mortem in vulgus ederentur; quemadmodum supra vidimus e Prol. Lib. III. 29—32. praeeunte Desbillonio. Duos posteriores fabularum libros, quos dedicauit Phaedrus Particuloni et Phileto, fuisse sub Claudio scriptos, facile crediderim. Conuenit enim huic tempori, vt ait Cannegieterus, libertorum potentia. Videntur au-

u) Io. Pet. *Millerus* in Praef. ad Edit Phaedri. Berol. 1753. in lucem emissam.

x) *Iosephus* l. c. Christian *Wase* Libr. de Senario p. 32. *Fabricii* B. L. T. II. p. 24 et 26. De Eu ycho fusius egi in Exc. I. ad L. III.

tem cum Particulo, tum Philetus, cujus meminit Lib. V. F. X. 10. Claudii fuisse liberti. Namque apud Gruterum y) occurrit *Tib. Claud. Philetus*, et alio loco z) *Philetus libertus* in lapide Brixiensi; Veletris autem in pauimento Ecclesiae Cathedralis legitur *Tib. Cl. Philetus Lib.* a) Sed vix dubitandum, libros memoratos non nisi post Phaedri exitum lucem adspexisse. Accepta enim tanta e fabulis calamitate, an credibile est, Phaedrum, tot aerumnas perpessum, de fabulis, denuo edendis, cogitauisse? immo vero, omni liberatus periculo, nihil prius habuerit, nihil antiquius, quam vt in dulci consenesceret otio. b)

Quando vita excesserit Phaedrus, non liquet. Qui vero etsi ad summam senectutem vixisse videtur, vt e nonnullis fabularum locis, in quibus senectutis suae mentionem facit, c) non obscure colligi potest: ad Vespasiani tamen, aut Domitiani tempora in viuis fuisse, quod Pagenstecherus contendit, vix est credibile.

Naturam habuisse Phaedrum, probitatis atque honestatis amantem, tot egregiae ostendunt sententiae, quae in ejus fabularum opusculo leguntur. Id ipsum probitatis animosque hominum a vitiis ad virtutem traducendi studium, non malus animus, eum ad scribendas fabulas excitasse videtur, quemadmodum e multis opusculi sui locis luculenter apparet. Sic scribit Prol. Lib. II. 2. 3.

Nec aliud quidquam per fabellas quaeritur,
Quam corrigatur error vt mortalium.

Sed Prol. Lib. I. 3. 4.

Duplex libelli dos est: quod risum mouet,
Et quod prudenti vitam consilio monet.

Quibus adjungo locum Prol. III. 49. 50.

Neque enim notare singulos mens est mihi,
Verum ipsam vitam et mores hominum ostendere.

y) Corp. Inscriptt. p. DCLXXVII. 2.

z) Lib. cit. p. CCCLII. 4.

a) Vid. Not. *Gudii* ad Phaedri Lib. V. F. X. 10. coll. infra Not. ad loc. cit.

b) *Desbillonii* Disp. de Vita Phaedri p. XII.

c) Huc maxime referunt viri docti Lib. V. F. X.

Huc quoque referendum, quod habet Lib. II. v. 5. de ardelionum natione, multa agendo nihil agente:

Hanc emendare, si tamen possum, volo.

In quo tamen studio, mores hominum corrigendi, justo audacior et parum cautus prouidusque fuisse, et vrbem principesque nimio sale defricuisse putandus est. d) Quae cum ita sint, equidem nolim contendere cum Scheffero, primam scribendarum fabularum caussam fuisse calamitatem, in quam odio et persecutione Sejani inciderit Phaedrus, qui, cum ei non licuerit aperte, ob aduersarium potentem, occulte saltem et sub inuolucris fabularum fortunam exponere, depingendoque mores ejus et flagitia, velut vltionem sumere de ipso, seque consolari sic susceperit. Ita enim intelligit locum Prol. Lib. III. 34 — 40. Sed antecedentia docent, vero esse simillimum, Phaedrum demum, duobus prioribus fabularum libris in vulgus emissis, in odium venisse Sejani, auctoris calamitatis suae; adeoque primam fabularum conscribendarum caussam non fuisse calamitatem, immo vero homines emendandi desiderium. Ad quod accedebat laudis et gloriae cupiditas, illius maxime, quae est ex litteris, et immortalitatis desiderium, quo inflammatum fuisse poëtam, haud unus testatur fabularum locus. Namque Prol. Lib. III. 60. 61.

Ergo, inquit, *hinc abesto, liuor, ne frustra gemas,*
Quoniam mihi sollemnis debetur gloria.

Sic Epil. IV. 5. 6.

Particulo, chartis nomen victurum meis,
Latinis dum manebit pretium litteris.

Quae docent, tam praeclare de se sensisse Phaedrum, vt et aliis famam nominis et immortalitatem dare posse scriptis suis crederet: e) vt omittam loca, quae nostrum prae-

d) *Desbillonius* l. c. p. XIII.

e) Hoc nomine perstringitur noster ab Adriano *Baillet*, in *Iugemens des Savans* T. IV. p. 148. Sed vide ad Epil. IV. 5. 6. et Excurs. XVIII. ad Epil. *Desbillonium* in Disp. I. de Vita Phaedri p. XIV. qui non ita benigne spurcam aeque ac indoctam narrationem de Canum legatis ad Iovem, vel impudicam obscenitatem,

dicari de se, et nominari a posteritate voluisse, manifesto probant. f)

cujus vestigia in fabellis ejus supersunt, excusari posse credit. Sed indulgendum genio saeculi, ut mihi quidem videtur.

f) Vide e. c. Prol. III. 52.

NOTITIA LITTERARIA

DE

P H A E D R O.

I.

INDEX CODICVM MSS. PHAEDRI.

Omnes Phaedri Codices MSS. temporis injuria nobis fuisse ereptos, est sententia Lessingii, V. C. in erudito libro, quem inscripsit: zur Geschichte und Litteratur a) Ibi enim haec litteris consignata sunt: die eigentlichen Manuscripte des Phaedrus, wenn es deren gegeben, haben sich, wie es scheint, gänzlich aus der Welt verloren. Denn wenn sie noch irgendwo vorhanden wären, so würden sie sich damals, als Christ ihr Daseyn in Zweifel zog, gewiſs gemeldet haben. Ich meyne in Frankreich, wo sie wahrscheinlicher Weise stecken müſsten, und wo Christs Widerspruch genugsam bekannt worden, würde sich leicht ein Gelehrter gefunden haben, der es mit ein Paar Worten angezeigt hätte, wo die augenscheinliche Widerlegung des deutschen Professors zu finden sey. Jam olim conjiciebam, b) vnum certe alterumue Codicem in Gallia fuisse conseruatum, et fortasse in bibliotheca quadam, nesciebam qua, hodie recondi. Cum enim tanta sit MSStorum Phaedri raritas, *) vt duo tantummodo Codices in Gallia olim

a) Erster Beytrag. II. *Romulus* und *Rimicius*. p. 78.

b) Vid. Editionis Phaedri, Hal. 1779—1781. Voll. III. 8. excusae, Vol. I. Prol. p. XXIX.

*) A vero non abhorrere mihi videntur, quae *Cannegieterus* in Dissert. de Aetate et Stylo *Aviani* p. 290. de caussa hujus raritatis commemorat. „Titianum, *inquit*, cur respuerint Scholastici, nescio; a Phaedro absterruerunt obsceniores fabulae, quarum nonnulla ho-

reperirentur: quam facile fieri poterat, vt de lite, **Christium** inter et **Funccium** in Germania exorta, viri docti, in quorum manibus dicti Codices hocce tempore essent, non fierent certiores? Cui quidem conjecturae euentum, vt sequentia docebunt, (Vide mox de Codice Pithoei) respondisse, nunc maxime laetor. Vt taceam, non sine magna veritatis specie affirmari posse, in Italia, si non multos, certe quosdam Phaedri Codices latere in tenebris. Etenim credibile est, vt paullo post videbimus, Perottum, Pontificem Sipontinum, e vetusto Phaedri Codice fabularum suarum multas conscripsisse: Quae igitur conjectura hac nostra vero possit esse similior, in Italorum bibliothecis alium atque alium Phaedri Codicem fortasse hodie exstare, atque non omnes libros, manu scriptos, interiisse?

Sequitur nunc Codicum Elenchus, ad quos Phaedrum adhuc recensitum esse constat: quibus addendi videbantur Codex Perotti et Cod. MS. Divionensis, fabulas Romuli prosaicas continens. Ac primo quidem loco nominandus est:

1. CODEX PITHOEI

membranaceus ɪɔcccc circiter annorum, vt Cl. **Brotier** videtur; c) sed, judicante Gudio, intra V. et X. a. C. N. saeculum scriptus. Repertus est quondam a Francisco Pithoeo, a quo accepit Petrus Pithoeus, frater, primus, ut constat, Phaedri editor. d) Sunt, qui hunc codicem a Iac. Sirmondo, Societatis Iesu, in Lotharingia olim repertum,

die supersunt vestigia. Nec placuit forte vernilis ingenii scurrilitas, in fingendis fabulis, quam libertinus non plane exuit Phaedrus; exempla dabunt Lib. I. F. 29. et IV. 17. Contra nihil est in Aviani libello, non probum, non modestum, non ad formandos mores aptissimum; nihil quod non vel in Gynaeceo, virginum ac matronarum grege proferas. Neque aliam caussam fuisse arbitror, quod tanta copia MSS. librorum Aviani, vix unus et alter antiquus Codex Phaedrianarum fabularum superest." De alia raritatis caussa alio loco verba facturus sum.

c) Praef. Edit. ejus praefix. p. VI. edit. Paris. 1783. 12.

d) *Desbillonii* Disp. II. de Fabb. Phaedri p. XV. praemiss. ej. Editioni, Manhem. 1786. 8.

et amico suo, Francisco Pithoeo, dono datum esse statuant; id quod video factum esse, praeter alios, e) a Gabr. Brotier, Gallo. f) Sed cum P. Pithoeus in dedicatione ad Franciscum fratrem g) diserte dicat, se beneficio exemplaris, a fratre, Francisco Pithoeo, reperti, (vbi? non addit; vide tamen mox Not. m.) Phaedro, temporum injuria paene sepulto, vitam restituere esse conatum: falso haec dici a Cl. Brotier, facili negotio intelligitur. Neque etiam, si Codex Pithoei re vera in Lotharingia a Iac. Sirmondo fuisset inuentus, intelligi potest, fieri potuisse, vt Pithoeus in Epistola, editioni suae praefixa, Sirmondi mentionem faceret omnino nullam. h) Istum Codicem, perantiquum esse, praeter Gudium et Brotierium, jamjam nominatos, testes sunt Pithoeus, in re critica exercitatissimus; i) Rigaltius, qui eodem in curanda prima Phaedri editione, anno 1599. impressa, vsus est; k) Burmannus. l) Phaedri F. X. Lib. V. est vltima in MS.. Pith. et desinit cum ipsa pagina, sine vlla finis nota. Pithoeus, qui Codicem descripserat, antequam inordinate fuisset compactus, qualis nunc est, versusque distinxerat, vt Phaedrus typis ederetur, in fine illius exemplaris adnotauit: In V. C. abscissum erat folium. Ex quibus Pithoei verbis viri docti sequenti tempore collegerunt, Codicem Pith. non esse integrum, et fortasse aliquas Phaedri fabulas periisse. Sed in folio abscisso nil videtur scriptum fuisse, nisi hoc: Phaedri Aug. liberti liber quintus explicit. Nam et in MS. Remensi post Lib. V. F. X. erat scriptum: Phaedri Aug. liberti liber quintus explicit feliciter. D. Vincent autem, qui Remensem hunc codi-

e) *Mem. de Trevoux* ad an. 1708. p. 785. coll. *Desbillon.* Disp. III. de Editt. Phaedr. p. XXIV.

f) l. c.

g) Praemissa est Editioni Wechelian. Hanov. 1603. 12.

h) *Desbillonii* Disp. III. de Editt. Phaedri. p. XXIV.

i) *Fabricii* B. L. T. II. p. 26. Edit. Ernest.

k) Dedic. *Rigaltii* ad Thuan. praefix. Edit. Wechelian. Hanov. 1603. 12.

l) In Praef. Edit. Leidae excus. 1727. 4.

cem contulit, addit: il n' y a point de feuillet perdu qui puisse faire juger, que d'autres fables aient été aussi perdues: Les feuillets ne sont point separés et le tout fait suite. Vid. Not. Brotier. p. 171. sq. Codicem Pithoei a recentiore manu correctum esse, probat Varietas lectionis in eadem voce. Ita Lib. I. F. XXXI. 8. perperam emendatum est juncto foedere, pro, icto foedere. Vid. V. Lib. ad locum cit. vt omittam alia, suo loco obseruanda. Recte autem viri docti mirantur, Codicem memoratum non inveniri in Catalogo librorum scriptorum, quos Petrus Pithoeus olim possidebat. Cf. Vie de Pierre Pithou (par Grosley) Paris. 1756. 8. T. II. p. 275. Sed quacunque de caussa fuerit omissus, certe a veritate abhorrent, quae libro citato notata sunt: j'ai oui dire, qu'il étoit passé dans la Bibliotheque d'une Communauté de Rheims, vt ex iis constabit, quae mox dicentur. Ex Pithoeano Codice, non Remensi m) concinnata est prima Phaedri editio, accurante Petro Pithoeo, de qua infra n) exposui. Egregium autem illud antiquitatis monimentum, quod cum reliquis Phaedri Codicibus periisse putabat Lessingius, communicauit le Peletier de Rosanbo, Senatus quondam Parisiensis Praeses, cum cl. Brotier, qui circa annum CIƆIƆCCLXXX. denuo contulit et varias Codicis lectiones in adornanda noua Phaedri editione o) in vsus suos transtulit. Forte erunt, qui mecum optent, vt viris doctis, quos Codicem memoratum in manibus habuisse constat, Pithoeo, Rigaltio, Gudio, Brotierio placuisset, descriptionem libri,

m) In *Nouveau Dictionn. hist.* T. VII. p. 193. haec leguntur: „*François Pithou* leur (aux fables) redonna la lumiere, en les tirant de la Bibliotheque de *St. Remi* de Rheims.“ Quae si vera sunt, forte conjicere possis, Codicem in bibliotheca quadam Remensi, nescio qua, a Franc. Pithoeo esse inuentum. Vtcunque tamen se res habeat, iste Pithoei Codex probe distinguendus est ab altero Remensi, de quo mox vberius disseram.

n) Vid. Indic. Editt. Phaedri ad ann. 1596. coll. ad ann. 1599.

o) Praef. *Brotierii* p. VI. coll. supra not. c.

accurate et diligenter, vt solent critici, factam, cum harum rerum cupidis communicare. Cum enim Codex Pithoei ex omnibus Phaedri MSS. sit vnicus, qui aetatem tulit, is quidem momentum facit in controuersia, recentioribus temporibus de antiquitate fabularum Phaedri exorta. Cum his tamen comparabis, quae infra in Disputatione de Phaedro antiquitatis scriptore de hoc Codice notata sunt. Quod reliquum est, varias Lectiones Codicis MS. quae habentur in Notis Gud. et Lectiones, quas notauit Neveletus ad marginem Editionis Phaedri, e Codice Pith. notatas esse putamus.

2. CODEX REMENSIS

cimelium quondam bibliothecae Remensis. Qua ineunte anno CIↃIↃCCLXXIV. incendio deleta, ipse Codex periit. p) Quod ad ipsius aetatem pertinet, statuit Desbillonius l. c. annis plus quam quingentis fuisse aetate Perotti superiorem. Legit enim et examinauit vnam e Phaedri fabellis integram, ad Remense illud Exemplare scalpro acuto fideliter expressam, quae Parisiis in Regia quondam Bibliotheca adseruatur. Multas optimae notae lectiones Codex habet, ab harum rerum peritis magno cum plausu receptas, Pithoeano per omnia prope similis, aliqua tamen diuersitate commendandus. q) Accepit olim huncce Codicem Rigaltius e Bibliotheca Remensi, Iac. Sirmondi vsus opera. r) Bentlejo duo Phaedri Codices, cum Pithoeanus, tum Remensis, ex eodem Apographo negligenter descripti non immerito videbantur; ipse tamen neutrum versauit. Nam quae in Notis ejus ad Phaedrum ex istis exemplaribus lectiones producuntur, eae Pithoei, Rigaltii, Gudii Heinsiique fide constant. *) Ceterum e Codice Remensi varias lectiones di-

p) *Brotier* l. c. Desbillonii Praef. Disp. II. p. XVII.

q) *Desbillonii* Disp. II. de Phaedri fabb. p. XV. Elucet autem diuersitas e lectionis varietate. Ita e. g. Prol. I. 3. Cod. Pith. habet *libelli mos*; Remensis, *libelli dos.* Lib. I. F. I. 3. in MS. Pith. est *face improba*; in MS. Rem. *fauce.*

r) Dedicatio Rigaltii cit.

*) *Bentleji* Praef. ad Phaedr.

ligenter excerpserat D. Vincentius, Ordini Benedictinorum adscriptus, quarum copiam fecit Gabrieli Brotierio cl. Desaunays, Bibliothecae Parisiensis regiae hocce tempore Custos; s) quibus quidem subsidiis instructus Phaedrum emendare studuit Editor gallicus.

3. CODEX PETRI DANIELIS

de quo audiamus disputantem Desbillonium. t) „Inter veteres, inquit, P. Danielis Codices, qui Paullo Petavio, Senatori Parisiensi, cesserant, chartula detecta est, quae Libri I. fabularum tertiam fere partem continebat. Hanc chartulam alii Petavianam, alii Schedas regias, alii etiam Codicem Vossianum appellant: vnde plerique Critici recentiores ita perturbati sunt, vt dubitauerint, annon hujusce modi plures exstitissent. Sed vnicam illam Petri Danielis fuisse resciuimus, quam cum ab isto Paullus Petauius habuisset, hoc deinde mortuo, emit cum aliis ejusdem libris (Christina) Regina Suecorum, atque vtendam Gerardo Ioanni Vossio permisit: ea demum post mortem Reginae delata est ad bibliothecam Vaticanam, vbi hodieque seruatur.“ Atque etiam jam olim Schefferus vidit, Schedas regias, Codicem Vossii, Codicem denique Danielis vnum eumdemque esse Codicem. Namque ad Lib. I. F. XIII. 2. haec notat: „Codex Danielis ista in plurali effert. Pariter et Schedae regiae, quas easdem esse cum dicto Codice, non male ex his ceterisque locis suspiceris.“ In Nota vero ad Lib. I. F. XI. 12. „Verum, inquit, aliud suadet Codex Petri Danielis et Serenissimae Christinae, qui post ad manus Vossii peruenit, in quo adfliguntur legitur.“ Ex quo Desbillonium recte statuere intelligitur. Iste igitur Codex, quoties in hac Editione memorabitur, appellabitur Codex Danielis. Qui an hodie exstet in bibliotheca Vaticana, an

s) *Brotierii* Praef. cit. p. VI.

t) Disp. II. de Phaedri Fabb. p. XV. Videtur hic Codex pluribus in locis a secunda manu correctus fuisse. Vid. e. c. Excurs. VIII. ad Lib. I. F. XIII. 1. 2.

nuper a Gallis cum aliis cimeliis Parisios transmissus sit, non constat.

4. CODEX DIVIONENSIS.

Sic appellamus vetustum Codicem Divionensem monachorum Sectae Benedictinae. Membranae illae quingentorum et amplius annorum, forma praegrandi, exhibebant Plinii Historiae Nat. Libros XXXII. quibus Libri IV. fabularum, quorum quilibet XX. complectebatur fabulas, sub nomine R o m u l i, praemittebantur. In isto Codice non paucae Phaedri fabulae oratione soluta expositae erant a dicto Romulo, de quo infra commemorabo vberius. Harum Romuli fabularum Codex chartaceus, manu Marquardi Gudii forma 4. maj. quam accuratissime aeque ac nitidissime descriptus ex Divionensibus monachorum Benedictinorum membranis, quondam ornamentum splendidae Gudii Bibliothecae, u) hodie adseruatur in Guelferbytana. Lessingius autem in erudita dissertatione, R o m u l u s et R i m i c i u s, quae exstat in libro, supra laudato, fuse monstrauit, Codicis Divionensis Romulum eumdem esse cum Romulo, in prisca eademque longe rarissima editione Vlmensi excuso, quem Neveletus appellat R i m i c i u m, ita tamen, vt Divionensis ab Vlmensi paullulum differret. Quomodo autem hi duo inter se differant, docet Lessingius, scribens: x) „Die Handschrift hat in dem vierten Buche zwey Fabeln mehr, als die gedruckte Ausgabe, wie auch sonst noch ein Paar unerhebliche Zusätze; wogegen wiederum in dem Gedruckten eine Fabel vorkömmt, die dort fehlet. Nicht zu vergessen, daſs die 13te Fabel des ersten Buchs nach der gedruckten Ausgabe, (der Ulmer) in der Handschrift zwischen der 7ten und 8ten des zweyten Buchs zu stehen gekommen, wodurch diese Bücher ungleich geworden, und das erste aus 19, das zweyte dafür aus 21 Fabeln bestehet. Was aber hiernächst das Hauptwerk ist, so sind auch die Fabeln selbst, hier so wohl als dort, fast

u) Catal. MSS. Gudii. Hamb. 1706. 8. p. 28.

x) Lib. cit. p. 51.

mit ebendenselben Worten erzählet. Der Stellen sind sehr wenige, wo die Handschrift merklich von dem Gedruckten abweicht; und in den geringern Verschiedenheiten scheinet die eine, eben so oft als das andere, die bessere Lesart zu haben." Ista vero antiqua fabularum Editio, quam dicunt Vlmensem, impressa est foliis 270. Vlmae apud Ioannem Zeiner; in fine enim haec adjecta sunt: Geendet säliglich von Iohanne Zeiner zu Ulm. Prodiit in fol. minor. sine mentione anni; attamen conjectura probabili intra ann. 1476 — 1484. Hoc libro longe rarissimo continentur: LXXX. fabulae prosaicae, Libris IV. a Romulo scriptae; Fabulae, metro elegiaco ab Anonymo, quem dicunt Neveleti, compositae, forsan e fabulis Romuli prosaicis; Fabulae XVII. quae appellantur extravagantes, (mitlaufende) et quas, etsi Aesopo fuerint adscriptae, maximam tamen partem inepte inuentas, Aesopum non habere auctorem, judicat Lessingius; y) Fabulae XVII. Aesopi, a Rimicio latine versae, quae, vt in fine dicitur, a Romulo in suis quatuor libris non continentur; Fabulae XVII. Aviani; Fabulae XXIII. ex Adelfonso, Deligamo et Poggio. Praemissa est vita Aesopi, e graeca in latinam linguam per Rimicium translata. Addita textui latino germanica versio, nitido ac faceto sermonis genere composita, auctore Henrico Steinhöwel. Is fuit professione medicus, Villa, agri Virtebergici oppido, (Weyl a Germanorum Weyler) oriundus, Artium VII. magister, medicinam faciens Vlmae. z) Ad Aesopeas fabulas vertendas ferme senex accessit, cum caelebs ad eum diem vixisset. a) Litterarum humanitatis non vulgariter fuit peritus, et praesertim litteraturae germanicae curiosus et cal-

y) In *Romul.* et *Rimic.* p. 68. 69.

z) Epistolae ad Eleonoram, Iacobi I. Scotorum regis filiam, Segimundi Friderici F. Austrii vxorem, editae d. C. N. CIƆCCCCLXXIII. sic praescripsit: *Hainricus Stainhewel, von Weil an der roirm* (flumen quod alluit Villae oppidum, hodie scribitur *Wyrms.*) *doctor in ertznei, maister der siben Künst, geschworner artzt ze vlm.* Vid. *Christii* Prolus. de Phaedro ejusque fabulis. p. 59.

a) *Christii* Diss. cit. p. 60

lens. b) Steinhoewelianae versionis altera Editio recusa est 1485 et 1487. 4. c) Paullo post annum 1503. Vlmensis fabularum collectio in linguam gallicam, e gallica vero a Caxtono in anglicam translata est. d) De Editione Ulmensi ejusque triplici forma doctissime et plenissime disputatum a Lessingio. e)

Fuisse olim, qui desumerent fabulas ex Phaedro, et soluto scribendi genere litteris consignarent, egregie docet Burmannus. f) „Suspicionem, inquit, dudum natam fuisse doctis nouimus, Phaedri fabulas ideo fere periisse, quia senariis versibus conscriptae, indoctis et rudibus librariis sermone soluto credebantur ab eo proditae. Quia etiam nulla fere saecula effluxerunt, quibus non fabulas fingere, et Aesopi ad exemplum, hoc scripti genere sui temporis mores notare instituerint viri mediocriter eruditi, qui vestigia Phaedri prementes, vel ipsas Aesopi fabulas interpolauerint, vel ejus nomen interponentes auctoritatis gratia, affectus proprios in fabellas transtulerint, hinc fabulas in immensum fuisse multiplicatas, diu constitit. Quotquot enim materiem paratam reperirent, et fabulas ab aliis jam proditas legerent, vel majori verborum ambitu eas amplificare, vel, ut viderentur a se fictae, aliis verbis efferre, vel mutatis saepe personis, et animantium sermonibus, exempla et argumenta fere eadem exhibere instituebant. Et hoc modo vera Phaedri, inter tot adulteratas et fucatas a monachis et morum magistris, merx periit. Vt enim peni-

b) De hoc viro impense docto et faceto, ejusque libris, nec non monimentis ingenii, nondum editis, lege *Christii* Diss. cit. p. 58. sqq.

c) Descripsit eam *Wellerus* in libro, qui inscribitur: *Altes* und *Neues aus der Gesch.* T. II. p. 560. coll. *Harles.* ad *Fabric.* B. G. Vol. I. p. 651. De editione sine mentione officinae, aut anni, nec non de Augustana 1498. apud Schonspergerum cf. *Christii* l. c. p. 59.

d) Testem habeo ill. *Eschenburg* in Additam. ad *Lessingii* Anon. Nevel. in Ej. *Beytr.* v. *zur Gesch. und Litt.* p. 60.

e) Cf. Ej. *Romul.* et *Rimic.* p. 64. sqq. coll. F. *de Blankenburg.* Zusätze zu Sulzers Theorie. T. I. p. 553.

f) In Praef. ad Edit. Leid. 1727. 4.

tus ignoraretur operis antiqui dominus, Promythia et Epimythia etiam abjiciebantur, aut ad religionis christianae placita accommodabantur, et inde etiam saepe alia verba, mores, ritus et personae substituebantur, et si quae fabulae, etiam breuissimae, gentium superstitionem saperent, plenis taedii et fastidii disputationibus, ad docentium ex cathedra morem, extendebantur. Hinc natae illae Aesopi fabulae moralisatae, quo titulo codices multi in bibliothecis adhuc publicis et priuatis supersunt. Hinc sub Rimicii, Romuli, et nescio quorum vel obscurorum virorum, vel nomine carentium, titulo fabulae multae, omnes quidem reliquias quasdam veterum auctorum et vestigia seruantes, sed variis interpolatae modis, prodierunt."

5. CODEX PEROTTI.

De Codice Perotti, a Iac. Philippo Dorvillio in Italia reperto, in quem ille omnis generis fabulas Aesopias, Phaedri, Aviani et suas, non vno carminum genere, contulit, paullo fusius disseruit Burmannus. g) Corruptus erat, vt vtar ipsis Burmanni verbis, longa aetate Codex, mutilatus et vitiatus. Initio et fine vacuas reliquerat Perottus paginas aliquot, destinatas pluribus etiam a se conscribendis fabulis, et earum indici subinde augendo. Atramenti vero quodam genere fuerat vsus, quod aeuum ferre non posset, sed quo expressae olim litterae partim in viridem colorem abierant, partim exoletae ita plane euanuerant, vt legi omnino non possent. Praeterea parum diligenter seruatus Codex ex aqua, forte per rimas tecti destillante, vel alio humore, vitium contraxerat ita, vt media magnam partem chartae area vel nullas, vel euanescentes litteras ostenderet. Inscripsit Perottus has fabulas T. M. Veltrio, Viterbiensi, quem conciuem suum vocat. Vnde confirmari potest Nicodemi sententia, qui non Capuanum, vt Toppius credebat, sed Saxoferratensem Perottum fuisse pro-

g) Lege Praef. Edit. Burmann. ann. 1727. 4. coll. Ej. praef. praefix. Edit. Mitav. p. XXXVIII. sqq.

bat; quod clarissime etiam docet epigramma, quod hoc in Codice legitur de Saxoferrato. h) Ex praefatione vero apparet, has fabulas immixtis aliis carminibus ab adolescente in chartas conjici coeptas, deinde vero seniorem eas edere constituisse; sed vix dimidia praefationis pars legi poterat. Post praefationem sequebatur: *Nicolai Perotti* Pontificis Sypontini Epitome fabellarum ad *Pyrrhum Perottum* fratris filium. Index incipit feliciter; qui continebat inscriptiones, vel titulos, ante ipsas fabulas in codice positos, in quibus hoc animaduertebat Burmannus, Perottum omnia siue Promythia, siue Epimythia abjecisse, sed ex illis argumenta fabularum conflasse, et ipsis praeposuisse titulos sermone plane pedestri, sed in quibus saepe vestigia Phaedrianorum versuum deprehenduntur. Deinde relictum erat spatium, in quod plures fabellas referre posset, si quas forte postea componeret: nam ab adolescentia vsque ad aetatem maturiorem, subinde recurrebat ad hoc opus. Sequebatur titulus ipsius operis: *Nicolai Perotti* Epitome fabularum Aesopi, Auieni et Phaedri, ad Pyrrhum Perottum fratris filium, Adolescentem suauissimum. Incipit feliciter. Tunc ipsa ad hunc Pyrrhum praefatio, et haec mutilata, sed quae aperte tamen ostendit, Perottum habuisse Phaedri nostri Codicem, vnde sibi furatum plurima, et metri fuisse non admodum peritum, nobis, Phaedrum ipsum jam habentibus, se prodit. Eam hic dabimus.

Non sunt hi mei, quos putas, versiculi,
Sed Aesopi sunt, et Auieni et Phaedri,
Quos collegi, vt essent, Pyrrhe, vtiles tibi;
Tuaque caussa legeret posteritas.
Quas edidissent viri docti fabulas,
Honori et meritis dicaui illas tuis,
Saepe versiculos interponens meos,
Quasdam tuis quasi insidias auribus.
Solet quippe iuuare ista varietas.

h) Vid. Praef. cit. p. XL. Edit. Mitav.

Hos si leges, laetabor: sin autem minus,
Habebunt certe, quo se oblectent posteri
Nunc - - - - - -
Breui - - - - - -
Quia vuae v - - - - -
Affectus prope - - - -
Calumniamque fictis - - -
Redeo vnde discessi - - -
Hunc obtrectare si volet malig -
Imitari dum non possit, obtrectet licet.
Mihi magna laus est, quod tu, quod similes - - -
Labores libenter legant vsque meos.
Dignosque longa judicent memoria.
Semper fugatae plus vetustati fauet
Inuidia mordax, quam bonis praesentibus.

In quibus facile versatus in Phaedro lector deprehendet, quae Perottus ex praefationibus Lib. III. et IV. i) in suos vsus transtulerit, vnde etiam quaedam immutasse et interpolasse constabit. Vtinam vero integros Prologor. Lib. V. versus, qui hodie corruptissimi circumferuntur, dedisset, ex quibus tres sibi sumsit. k) Hinc sequebatur fabula de Vulpe et Simia. l) Porro tria disticha Elegiaci carminis; deinceps fabulae, ex Phaedro et Auiano nobis cognitae, interjectis epigrammatibus ad varios: exempli gratia ad Amicum, qui calculorum ludo ab eo victus anseres duos cum pullis anniculis miserat; Epigramma, quo anseres illi loquuntur; deinde Epigramma ad Adrianum Contrarium Venetum, de diuitiis et paupertate; Iocus ad Theodorum impudicissimus, nec sane dignus Episcopo; praeterea Epigramma ad Nicolaum V. Pontificem; Apostropha ad Vrbem Viterbium, et alia quaedam inserta legebantur. Triginta fere in illo Codice ex Phaedro, vt nunc habemus, descriptas deprehendit Burmannus fabulas; nullam vero ex libro primo, sed ex quatuor vltimis quasdam, quas idem

i) Vid. Prol. III. 29. 31. 32. 33—37. Prol. IV. 15. 16. 17.

k) Prol. IV. 19. (Alias Prol. V. 19.) Prol. V. 8. 9. (Alias Prol. V. *Id. Poëta.* 8. 9.)

l) Vid. Append. Burmanni F. XXII. et *Romulus* Lib. III. F. XVII.

vir doctus ordine suo recensuit, et, si quid varietatis occurreret, sub finem praefationis adnotauit breuiter. Recte autem optabat, vt Codex fabularum, vnde Perottus sua transtulit, seruatus in aliqua Italiae bibliotheca aliquando a litterarum studioso erueretur. In quam curam incumbere illos volebat, qui, quo scripta Perotti et supellex libraria abierint, in Italia indagare possunt.

Codex Perotti, hactenus descriptus, non paucas bonae notae lectiones habet, quas cum in priori mea Phaedri Editione, m) tum in hac noua in textum recipere nón dubitaui. Idem fecit, post me, Brotierius; nonnullas lectiones quoque receperunt Bipontini Editores. n)

6. CODEX WEISSENBURGENSIS.

In hoc Fabularum Aesopiarum Codice, quem Gudius *) vocat antiquissimum, pleraeque Phaedri fabulae satis ampla paraphrasi explicantur. De qua tamen mihi non liquere, ingenue fateor. Incertum, vtrum ista paraphrasis exhibeat Romuli fabulas, vt habemus in Codice Divionensi, et in Editione Vlmensi; an easdem Romuli fabulas, sed interpolatas, quemadmodum interpolauisse constat Anonymum Nilantii, et eum, cujus fabulae sub nomine Romuli Nilantii circumferuntur; an fabulas Aesopi et Phaedri, a viro docto, nescio quo, in prosam resolutas. Judicent viri docti, quibus copia est, Weissenburgensis videndi Codicis.

m) Cf. Praef. ad Vol. II. p. VI. sq.

n) Vitam et scripta Perotti, non pauca numero, recenset *Leonh. Nicodemus* in Additionibus ad Bibl. Neapolit. *Nic. Toppii* p. 182. 184. et de Archiepiscopo hoc Sipontino memorabilia quaedam et vulgo ignota profert; fabulas vero, ab eo scriptas, aut editas non memorat, vt nec *Iacobillus* in Bibl. Vmbriae p. 210. vbi Perotti mentio fit, teste Burmanno in Praef. p. XXXIX. Edit. Mitav. Non pauca quoque dabit *Bayle* in Vocabulario, germanice verso a Gottschedio, sub *Nicol. Perottus*. T. III. p. 692. sqq. nec non *Paullus Jovius* in Elog. Doctorum virorum p. m. 45.

*) Vid. Ej. Notas ad L. I. F. XIII. Phaedri.

II.

INDEX EDITIONVM PHAEDRI.

Omnes Phaedri editiones in tres aetates, vt Critici loqui amant, describi posse videntur. Tot enim recensiones e Codicibus MSS. constat esse concinnatas, quae quidem Petrum Pithoeum, Rigaltium et Gudium habent auctores. Iste nempe editionem principem, vt mox indicabo, e Codice Francisci Pithoei, fratris, juris publici fecit, integre et emendate parum, vt fit in primis curis; ille in adornanda Editione secunda, anno cIↃIↃcxvii. in lucem emissa, contulit Phaedri fabulas cum MS. Pith. et Codice perantiquo bibliothecae Remensis, textumque constituit, a Pithoeano non raro diuersum, quem postea in editione anni cIↃIↃcxxx. aliquanto licentius immutauit; *) hic lectionum MSS. Pith. Remens. et Daniel. varietate adhibita, Codice quoque Divionensi vsus, post priores Criticos non pauca emendauit et illustrauit. Ex tribus hisce textus Phaedriani recensionibus reliquae editiones fluxerunt, ingenio atque acumine Editorum subinde correctiores factae, inprimis Burmanniana, quae recte princeps habetur omnium. Accessit Codex Perotti, cujus auctoritate fulti recentiores Editores passim a textu recessere Burmanni, et veriorem hujus Codicis lectionem reposuerunt. o)

Recensebo nunc ordine chronologico Editiones in tres aetates descriptas, Pithoeanam, Rigaltinam, Gudia-

*) *Desbillonii* Disp. III. de Editt. Phaedri p. XXIII. sq.

o) Cum iis, quae dixi, compara cel. *Harlesium* in Not. Litteratur. Rom. breuior. p. 435. et paullo ante de Codice MS. Perott. sub finem notata.

nam, seu potius Gudio-Burmannianam. Paullo aliter digesserunt Editores Bipontini. p)

AETAS I. PITHOEANA.

1596 — 1617.

1596.

Phaedri, Augusti Liberti, Fabularum Aesopiarum Libri V. nunc primum in lucem editi a P. Pithoeo. Excudebat Io. Odotius. Augustobonae Tricassium (Troyes) 1596. Pagg. 70. 12.

Editio princeps, in rarissimis habenda. Petrum Pithoeum e fratris Franc. Pithoei Cod. MS. edidisse Phaedrum, jam supra dixi. Pithoeum hoc nomine laudauit Thuanus ad ann. 1596. Libr. 117. T. V. p. 703. Edit. ann. 1620. fol. Notas nullas adjecit Editor; monet tantum, Codicem, quo vsus sit, esse vetustissimum, simulque indicem scripturae, a qua recesserit, exhibet; at, judicante Desbillonio, paullo minus fideliter, quam oportuit, vt intelligi possit e Rigaltio, Neueleto, et Anonymo quodam, qui hanc ipsam scripturam post modum examinarunt. Nonnulla etiam Pithoeus, quae sana erant, mutauit; et longe plura, euidenter corrupta, ne tentauit quidem emendare. Vid. Disp. III. Desbillonii de Editt. Phaedri p. XXI. Non recte sentire mihi videtur Morhof. in Polyhist. P. I. p. 876. Edit. IV. Lubec. 1747. 4. affirmans, hanc editionem notas Rittershusii et Scioppii continere, eamdemque repetitam esse 1598. Atque etiam errat Halleruord. in Bibl. curios. p. 332. scribens, prodiisse 1546. Hujus quoque editionis mentio minus accurata facta est a Niceron. in Memoir. pour servir à l'histoire des Hommes illustres, edit.

p) Vid. Notit. Litter. de Phaedro Editioni Bipontin. praefix. p. XXII. sqq. et lege, quae mox notantur ad ann. 1617. coll. ann. 1599.

Paris. 1728. 8. T. V. p. 58. vbi memoratur sub titulo: Phaedri Fabb. Libri V. Trecis 1594. 12. Margini exemplaris, quod possidebat Io. Sigism. Moerlius, adspersae erant passim varr. lect. manu calamoque Conr. Rittershusii. In calce libri legebatur Epistola ej. Rittershusii ad Camerarium, de renouanda Phaedri Editione. Vid. Cat. Bibl. Moerl. P. I. p. 160. Norimb. 1791. 8.

Praeter *Fabricium* B. L. T. II. p. 28. et *Hambergerum*, in *zuverläss. Nachr. von Schriftstell.* sub *Phaedrus*, memorat hanc. Edit. Cat. Bibl. *Graeuii* p. 229. Cat. Bibl. Jo. Aug. *Ernesti* p. 193. Bibl. *Tellerian* (le Tellier) p. 361. Par. 1693. f.

Sunt, qui putent, hoc anno Phaedrum quoque Altorfii, ex recensione et cum Not. Rittershusii, in 12. fuisse editum. In hac opinione sunt: Burmann. in Catal. Editt. Phaedri, praefix. Edit. ann. 1718; Funccius de imminenti L. L. Senect. p. 96. Zeunius in Introd. in L. L. p. 56. Richter. in Cat. Editt. Phaedri. Benj. Hederich in Notit. Auctor. antiqua p. 386. Contra Abbas Lallemant scribit, hanc editionem lucem adspexisse Altorfii, 1597. 8. Vid. Ej. Catal. raisonné des différentes Editions de Phèdre ad calcem Edit. quae prodiit Rotomagi 1758. 12. maj. Sed haec, mea quidem sententia, a veritate sunt aliena. Phaedro enim Pithoei ann. 1596. impresso, eodem illo anno Iac. Bongarsius exemplar libelli misit Joach. Camerario, quod hic communicabat cum Rittershusio, Prof. Altorf. Qui cum recensuisset Phaedrum notisque illustrasset, notas et emendationes, cum epistola praeliminari, de renouanda editione fabularum Phaedri, in qua simul de vsu fabularum breuiter disseruerat, ad ipsum Camerarium ablegauit, quem simul, vt libellum, ad Tricassinum exemplar recudendum, typographo alicui daret, hortatus est. Epistola praeliminaris scripta est Altorfii d. XVIII. Nov. 1596. At delegauit Camerarius Rittershusio omnem hujus rei procurationem, deditque nuncupandi, cuicunque vellet, pontificium. Quo factum est, vt ipse Rittershusius nouae Phaedri editionis adornandae consilium iniret, quam Camerario dedicare apud

animum constituerat. Qui vero cum istud publicum obseruantiae atque amoris documentum deprecatus esset, libro edendo praefixit Rittershusius dedicationem ad Sigism. a Burghaus, equitem Silesium, scriptam Altorfii d. XIX. Apr. 1597. Sed demum anno sequenti 1598. excusus est Phaedrus L. B. in officin. Plantin. c. Epist. praelim. Rittershus. ad Camerarium et Dedicat. ad Sigism. a Burghaus. Quae quidem omnia, in Epist. praelim. et Dedicat. cit. vberius legenda, si rite expendantur, vix credibile est, nouam Phaedri editionem, a Rittershusio curatam, comparuisse Altorfii 1596. 12. Cum enim, vt docet orationis contextus, l. c. Rittershusius vellet, non sine dedicatione Phaedrum prodire; dedicatio autem praefigenda demum 1597. d. 19. Apr. scripta fuerit: facile intelligitur, Phaedrum anno 1596. non potuisse prelo esse subjectum. Atque etiam silentio non praeteriisset Rittershusius in dedicatione cit. hanc editionem Altorfinam, si re uera tum, cum scriberet dedicationem, impressa fuisset: ne dicam, hunc librum in tot magnarum earumdemque splendidarum bibliothecarum Catalogis frustra a me esse quaesitum. Neque etiam, vt me docuit S. V. Brüggemannus, occurrit in libro quodam, edito Lipsiae apud Henning. Grosium 1600. 4. sub titulo: Elenchus, seu Index generalis, in quo continentur libri omnes, qui vltimo saeculi XV. lustro post annum 1593. vsque ad ann. 1600. in S. R. I. et vicinis regionibus noui auctiue prodierunt. In quo opere libri, ab anno 1593 — 1600. editi, maxime in Germania, plene enumerantur; sed de Editione Rittershusii Altorfina ann. 1596. 12. aut 1597. 8. impressa, altum est silentium. Neque librum memorat Baillet in Jugemens des savans. T. II. P. II. Amstel. 1725. 8. p. 195. vbi legitur Index scriptorum Conr. Rittershusii.

1598.

Phaedri Aug. Lib. Fabular. Aesopiar. Libri V. Nuper a P. Pithoeo V. C. primum editi, et jam emendati atque illustrati a Cunrado Rittershusio, I. C. Professore Norico. Accessere in easdem fabulas spicilegium

Casp. Schoppl, Franci, et alia quam plurima. Lugd. Bat. ex officin. Plantiniana Rapheleng. 1598. 8. non 12. vt perhibet Cat. Bibl. Com. de Reviczky, Berol. 1794. 8. p. 144.

In hac Editione perrara, (v. Engelii Bibl. selectiss. seu Cat. libror. rariss. p. 125.) impressa 1598. non 1596. vt legas in Georgi Europ. Bücher-Lex. Supplem. I. p. 287. etiam habentur Caelii Symposii Aenigmata, cum Scholiis Jos. Castalionis; Ignatii Diaconi Tetrasticha graeca in Fabulas Aesopicas, quae vulgo Gabriae, seu Babriae cuidam attribuuntur, cum noua versione Latina; Hesiodi αἶνος de Accipitre et Luscinia, et Ignoti epigramma in Bouem et Hircum; Apologi Horatiani; Aenigmata veterum poëtarum Graecorum et Latinorum. Hanc editionem Burmannus putat esse eamdem, quae renouato titulo annum 1610. mentiatur, cui tunc Raphelengius adjecerit Mersii animaduersiones, diuerso charactere. Vid. Catal. Editt. Phaedri, praefixus Edit. Burm. ann. 1718. Duabus hisce editionibus comparatis, Burmannum recte id adfirmare, intellexi. Operam, a Rittershusio in Phaedri fabulis praestitam, laudat, et a Rigaltio contemtam, aegre fert Scioppius. Vid. Burmanni Edit. Petron. Cap. CXI. p. 512.

Cat. *Bodlej.* sub *Phaedrus*; Cat. Bibl. Com. de *Reviczky* p. 144. Edit. alter.

1 5 9 9.

Phaedri Aug. Lib. Fabb. Aesopiar. Libri V. ex recensione Nic. Rigaltii. Paris. 1599. 12. (8.) Edit. I.

Operae pretium mihi visum est, h. l. commemorare, quod Desbillonius de prima hac Rigaltii editione adnotauit: „Sub finem, inquit, anni 1599. absoluta est, et anno 1600. Parisiis in 12. prodiit editio Nicol. Rigaltii, in qua recedere ille a Pithoeana noluit, nisi vt Pithoei Codicem, quem vtendum habuit, fidelius in aliquot locis exprimeret: commentationes addidit, nonnumquam quidem vel ineptas, vel inutiles, at conjecturas intermiscuit quasdam et plausibiles et felices: atque non modo varias vetusti Codicis lectiones, quas Pithoeus praetermiserat, vel commemo-

rauit, in notis, vel indice, ad calcem rejecto, exhibuit; sed etiam Petri Danielis Chartulam cum vulgatis libri primi fabulis multis contulit. Vsum in hac editione Rigaltium fuisse Codice Remensi, nondum reperto, Io. Alb. Fabricius dicere non debuit (v. B. L. T. II. Cap. III. p. 27.) Virum errore impediuit epistola Rigaltii, quam ille ex hac prima editione desumtam, paucis tantum de Codice Remensi verbis additis, editioni suae secundae (1617.) praefixit, et subscriptam, vt antea, ad X. Cal. Sept. 1599. oscitanter reliquit, cum annum 1617. notari oportuisset. Recte Desbillonius statuere mihi videtur." Etsi enim editio Rigaltina prima non ad manus est; in dedicatione tamen Rigaltii ad Iac. Aug. Thuanum, repetita in editione Wecheliana, Hanov. 1603. 12. et subscripta ad X. Cal. Sept. CIƆIƆIC. Codicis Remensis non video factam esse mentionem. Contra in epistola, editioni Phaedri secundae praemissa, scribit Rigaltius, Phaedri libellos ad fidem Pithoeani Codicis, et alterius item vetustissimi, quem ex Remensi bibliotheca, doctissimi viri Iac. Sirmondi cura, depromserit, a se recognitos. Ex quibus verbis Desbillonius recte colligit, Sirmondum non in Lotharingia, sed forte cum e Lotharingia rediret, variis Codd. MSS. locupletatum, hunc quoque Phaedri, non primum, sed alterum Codicem, in bibliotheca Remensi inuenisse, quem vtendum non Pithoeo, sed Rigaltio obtulit. Vid. Disp. III. Desbillonii de Editt. Phaedri p. XXIV. et quae supra de Codice Pithoei MS. obseruata sunt.

Hanc Editionem forma 8. prodiisse, memoriae proditum est in Elencho, seu Indice generali, edito Lips. ap. Henn. Grosium 1600. 4. Cap. VII. itemque a Burmanno in Catal. Editt. Phaedri, Ejus Editioni ann. 1718. praefixae. Atqui alia ejusdem loci editio memoratur in Catalogue des Livres de la Bibl. de Pierre-Antoine Bolongaro-Crevenna. Vol. III. Amstel. 1789. 8. p. 150. n. 3956. sub titulo: Phaedri Aug. Lib. Fab. Aesop. Libri V. ex recensione et cum not. Nic. Rigaltii. Lutet. Amb. Drouart. 1600. 12. Conjicere hinc possis has

duas editiones esse diuersas; sed vereor, ne sint vna eademque editio. Testatur enim Desbillonius, Nic. Rigaltii editionem, sub finem anni 1599. absolutam, anno 1600. Parisiis in 12. prodiisse. Neque obstat, alteram harum Editionum dici forma 8. alteram 12. in lucem esse emissam. Nam rei litterariae cupidos neutiquam latet formam 12. maj. non raro cum 8. fuisse mixtam. Vide e. c. paullo ante anno 1598. Neque etiam Lallemant Abbas in Catal. raisonné, supra cit. meminit Edit. Rigalt. anni 1600. memorat tantummodo Parisiensem, ann. 1599. in 12. excusam. Vid. p. 213. l. c.

Richteri Catal. Editt. Phaedri; Cat. Bibl. J. G. *Graeuii.* p. 229. coll. ann. 1617. 1630.

Phaedri Fabb. Aesop. Libb. V. ex recensione et cum Not. Nic. Rigaltii. Lubec. 1599. 12.

Hujus editionis, quae est repetito Parisiensis, meminit Cat. Bibl. Lauhn. P. II. p. 139.

1603.

Apologi, seu fabellae Aesopicae, latino carmine redditae a Phaedro. Hanouiae typis Wechelianis, apud Claud. Marnium et heredes Io. Aubrii. 1603. 12.

Haec editio continet quoque Aphthonii, Auiani et Gabriae, seu Babriae, vulgo sic dicti, fabulas. Praefixae sunt dedicationes Rigaltii ad Thuanum, et P. Pithoei ad Franciscum Pithoeum, fratrem; adjectae notae Rigaltinae primae editionis. Liber in forma 12. emissus est, non 8. vt scriptum reliquit Lallemant l. c. p. 213.

1610.

Hoc anno lucem adspexit Mythologia Aesopica, in qua Aesopi Fabulae Graeco-Latinae CCXCVII. quarum CXXXVI. primum prodeunt. Accedunt Babriae Fabulae, etiam auctiores. Anonymi veteris Fabulae, Latino carmine redditae LX. ex exsoletis editionibus et Codice MS. luci redditae: Haec omnia ex Bibliotheca Palatina. Adjiciuntur insuper Phaedri, Auieni, Abste-

mii *) Fabulae, opera et studio Is. Nic. Neveleti, cum notis ejusdem in eadem. Francoforti, typis Nic. Hoffmanni. Impensa Jonae Rosae M.D.CX. 8. (Cum figuris bux. a Virg. Solis, chalcographo et poëta Norimberg.)

De hoc libro, qui etiam continet Aphthonii fabulas XL. cum versione Latina Jac. Kimedoncii, in titulo neutiquam notatas, sic statuunt Bipontini Editores: „Neveletus, Pithoei ex sorore nepos, textum Pithoei maxime sequutus, Cod. Pith. vet. lectionem in margine adscripsit, passim tamen Rigaltio bene obsecutus est; in notis ad Phaedrum breuius rationem dixit, ipseque emendationes proposuit, vel praeeunte Rimicio, (rectius Romulo) qui Phaedri fabulas soluta oratione reddidit, verbis vt plurimum seruatis; vel Cod. MS. Petri Danielis; vel Grutero, quo vsus est magistro Neveletus; vel etiam proprio adjutus ingenio." Vid. Notit. Litter. de Phaedro. p. XXIII. adde ill. Harlesium ad Fabricii B. G. Vol. I. p. 641.

Haec Mythol. Aesop. editio repetita est Francof. 1660. 8. de qua Cannegieterus in praef. ad Auianum: „in hac nihil nouatum est, si recte memini, praeter titulum et praefationem, non eam, quam Notis praemisit Neveletus ad Auianum, sed quam operi vniuerso praefixit." Veretur etiam Burmannus, ne sit eadem haec, mutato titulo. Vid. Ej. Catal. Editt. l. c. praefix. et infra ann. 1660. Duabus hisce Editionibus comparatis, Cannegieterum et Burmannum recte statuere, intellexi.

Non pauci Litteratores memorant editionem Mythologiae Aesopicae Neveleti, quam prodiisse contendunt Heidelbergae apud Commelinum, 1610. 8. vt Fabri-

*) *Laurentius Abstemius*, Maceratensis, Apologorum libellum, quem de numero fabularum *Hecatomythium* appellauit, scripsit circa ann. 1522. teste *Fabricio* B. L. T. II. p. 29. Sunt, qui putent, verum nomen ejus esse *Beuilaqua*, vt legitur in *Fabricii* B. G. Vol. I. p. 655. et in *Menagian.* T. III. p. 401. at falso ita appellari, est sententia F. *de Blankenburg.* Vid. *Ej.* Zusätze zu Sulzers Theorie. T. I. p. 551. De fabulis Abstemii acute disputat. *Gellert.* de Poësi Apologor. p. 37. Editt. Fabb. Abstemii recensentur in *Fabricii.* B. G. l. c.

cius in B. L. T. II. p. 28. sq. Id. in B. G. Vol. I. p 635. Cannegieter in Praef. ad Auianum; Funccius de imminenti L. L. Senect. p. 97. coll. Benj. Hederich. in Not. Auctor. antiqua p. 386. Lallemant. l. c. p. 214. Atque etiam Joecherus in Lexico sub Nevelet. auctor est, editam esse a Neveleto Mythologiam Aesopicam, seu fabulas Aesopi, Aphthonii, Gabriae, Phaedri cet. Heidelbergae 1610. 4. At vero de ista Editione Heidelbergensi anni 1610. mihi non liquet; in omnibus librorum Catalogis, qui multi sunt, frustra quaesiui librum. An forte viri docti Mythologiam Aesopicam cum Mythologicis Latinis (Heidelbergae ex bibliopolio Commeliniano MDXCIX. 8.) confuderunt? Iudicent viri docti!

Phaedri Aug. Lib. Fabular. Aesopiar. Libb. V. Joannes Meursius post Pithoeum, Rittershusium, Schoppium, Rigaltium, denuo recensuit et Animaduersiones addidit. Antuerp. Ex officin. Plantin. Raphelengii. 1610. 8.

Nitida et elegans eademque rara editio. Vid. Baueri Bibl. libror. rarior. P. III. p. 193. sq. Continet Epistol. Meursii ad Rittershus. c. hujus Responso; Symposii aenigmata, a Josepho Castalione illustrata; Babriae s. Gabriae, vulgo sic dicti, i. e. Ignatii fabulas et veterum Graecorum et Latinorum aenigmata. Parum felix in Phaedro Meursius fuisse videtur viris doctis. Nimiam enim sibi in transponendis versibus et deprauatis locis sanandis, licentiam sumsit; non pauca quoque et addenda et abscindenda existimat: de quo praeter Fabric. in B. L. T. II. p. 28. et Hambergeri l. c. lege Desbillonii Disp. III. de Editt. Phaedri p. XXII. At vero Bipontinis editoribus Meursius non in omnibus ausis infelix videtur fuisse. V. Not. Litt. de Phaedro Edit. Bipont. praef. p. XXIII.

Catal. de la *Bibl. du Roi.* Belles. Lettr. T. I. p. 601. Adde notata ad ann. 1598.

AETAS II. RIGALTINA.

1617 — 1698.

Nicolaus Rigaltius, Codd. MSS. Pith. et Remens. collator, hujus aetatis princeps est. Multa praeterea debet Phaedrus curis virorum hujus aetatis doctissimorum, Fabri, Vrsini, Praschii, Freinshemii, Wasii, Axenii, maxime Schefferi, praeclare de fabularum scriptore meriti.

1617.

Phaedri Aug. Lib. Fabb. Aesopiar. Libb. V. noua Editio. Oliua Roberti Stephani. (Paris.) 1617. 4.

Editio Rigaltii II. perrara et nitide typis descripta majoribus, fasciis marginum litterisque capitalibus miniatis distincta, c. Notis Rigaltii posterioribus. Hanc editionem contextum, a Pithoeano non raro diuersum, exhibere, supra dixi; id quod, judicante Desbillonio, non tam diuersitati Codicum, quam Editoris libidini adscribendum est, qui quamuis saepe a MS. Cod. Remensi, quo prima vice in adornanda hac editione vsus est (vid. ann. 1599.) diuersus abierit; et nonnulla etiam auctoris verba, malo prorsus exemplo, omiserit: nihil tamen fere vsquam super his disseruit, lectoremue commonuit. Cf. Desbillonii Disp. III. cit. p. XXII. Itaque jam olim recte optabat Schefferus in praef. ad Edit. II. fabularum, vt in hac Rigaltii editione, quae re vera essent ex Remensi Codice depromta, quae subnata ex Rigaltii judicio, ea certioribus indiciis comparerent. Praemissa est epistola dedicat. ad Jac. Aug. Thuanum dat. Lutet. Parisior. X. Cal. Sept. Rebus prolatis. Anno Christi M. D. IC. Sequitur epistola, priori Editioni praefixa, sc. Petri Pithoei ad Franciscum fratrem. Tricass. X. Cal. Sept. ann. M. D. XCVI.

Maittaire Annal. typogr. T. III. p. 871. Catal. de *Crevenna* Vol. III. p. 150. n. 3957. Bibl. *Thott.* T. IV. p. 131.

Phaedri Fabulae c. Animaduersionibus Joann. Meursii. Lugd. Bat. 1617. 8.

Hanc Editionem memorat Lallemant, Abbas, in

Catalogue raisonné des différentes Editions de l'Phèdre. p. 215. Exstat ad calcem Editionis Phaedri, excus. Rotomagi (Rouen) 1758. 8. vbi haec notata inuenies: „Nous avons déja dit, (ad ann. 1610.) que les Notes de Meursius sur Phèdre ont été peu estimées. C'est dommage; car cette edition est assez belle." cf. quae notata sunt supra ad ann. 1610.

1 6 2 2.

Phaedri Fabb. Libb. V. separatim c. Not. Js. Nic. Neveleti editi. Lübec. 1622. 8. ap. Sam. Jauchium.

Cat. Bibl. *Ludewig*. P. IV. p. 1468. coll. ann. 1610.

1 6 2 9.

Phaedri Aug. Libert. Fabb. Libb. V. Paris. ap. Seb. Chapelet ex Cramoisii officina. 1629. 16.

Funccius de L. L. Senect. p. 96. *Richteri* Ind. Editt.

Phaedri Fabulae. Paris. 1629. 12.

Notit. Litter. de Phaedro Bipont. p. XXIV. coll. Abbatis *Lallemant Cat. raisonn.* p. 215.

1 6 3 0.

Phaedri Fabb. Libb. V. noua editio, ad Rigaltinam ann. 1617. recusa, c. Rigaltii Notis (posterioribus); Festi Auieni Fabularum liber. Parisiis apud Seb. Cramoisy 1630. 12. Edit. III. Hanc editionem, quam deinde secutus est T. Faber, tamquam minus accuratam perstringit Marquard. Gudius. Ep. VII. ad Nic. Heinsium p. 8. De eadem sic judicat Lallemant l. c. p. 215. „Le texte de Phèdre y est corrompu en quantité d'endroits, et ne s'accorde point avec le texte de l'edition de 1617. Le titre promet ce que le livre ne donne point."

Maittaire Ann. Typogr. T. III. p. 895. *Morhofii* Polyhist. l. c. p. 876. *Fabricii* B. L. T. II. p. 31. *Desbillonii* Disp. III. de Editt. Phaedri p. XXIV. coll. ann. 1599.

1633.

Phaedri Fabulae. Rotomagi. 1633. 12. Repetitio Rigaltin. III.

Vid. Catal. Raisonné par *l'Lallemant.* p. 216.

1637.

Phaedri et Auieni Fabulae. Paris. ap. Seb. Cramoisy. 1637. 12.

Maittaire Ann. Typ. T. III. p. 900. De hac Editione ita judicat *Lallemant.* l. c. p. 21. „Comme Cramoisy a imprimé plusieurs fois le Phédre sur des Copies défectueuses, on fait peu de cas des Editions, qu'il en a données."

Phaedri Fabb. Libri V. Louan. 1637. 8.

Notit. Litt. Bipont. de Phaedro. p. XXIV.

1638.

Phaedri Lib. I. Flexiae. 4. Flexia est la Fleche oppidum in Andegauorum finibus.

Not. Litt. Bipont. l. c.

1647.

Phaedrus typis excusus est cum gallica versione prosaica Albini, ejusdem, qui Terentium gallice transtulit. Paris. 1647. 12. Sub titulo: Fables de Phédre en Latin et en François. (Edit. II.)

Fabricii B. L. T. II. p. 30. *Lallemant* l. c. p. 217.

Per Albinum, gallice de St. Aubin, intelligendum esse Isaac. le Maitre de Sacy, docent auctores Vocabular. nov. hist. (Nouv. Dictionn. hist. à Caen et à Lyon 1789. 8.) T. VII. p. 194. et Baillet in Jugemens des Savans T. II. P. III. p. 504. coll. Not. p. 516. et 518. Edit. Amstel. 1725. 8. Vide quoque T. IV., p. 149. Edit. Paris. 1722. 4. Male appellant Bipontini Editores Ludov. Isaac. le Maitre de Sacy, Not. Litt. de Phaedro p. XXIV. Brotierium in Indice Editt. Phaedri

secuti. Neque dicendus est Louis le Maître de Sacy, vt habet F. de Blankenburg in Additament. ad Sulzeri Theor. T. I. p. 547. Neque etiam Albinus et Isaac. le Maître de Sacy sunt diuersi interpretes, quod putauisse videntur Bipontini. Cf. eorumdem Not. Litt. de Phaedro p. XVIII. sq. Vnus enim idemque interpres hi duo. Adde notata ad ann. 1646. 1661. version. Gallic.

1 6 4 9.

Phaedri Fabulae. Guelpherb. 1649. 8.

Cat. Bibl. *Lauhn.* P. II. p. 133.

1 6 5 4.

Phaedrus c. gall. versione Isaac. le Maître de Sacy. Paris. 1654. 12. Edit. III. Sub titulo: Fables de Phédre avec le Latin à côté. Paris. Veuve Durand.

Brotier Ind. Editt. Phaedri ad calcem Editionis. *Lallemant.* l. c. p. 217.

1 6 5 7.

Phaedri, qui sub Augusto et Tiberio vixit, Fabulae. Additae sunt Notae et Animaduersiones Tanaquill. Fabri, in quibus multa etiam aliorum Scriptorum emendata sunt. (Accesserunt Publii Syri selectae sententiae.) Salmurii. op. Dan. de Lerpiniere. 1657. 4.

Básis hujus editionis est Rigaltina III. Vid. Morhof. l. c. p. 876. Edit. IV. Desbillonius l. c. p. XXIV. hanc de ea sententiam fert: „malam quidem Rigaltii editionem III. sequutus est; at obseruationes adjecit, quae doctrinam plerumque jucundam simul et reconditiorem exhibent, etsi ab ipso Phaedri opere illustrando aberrent saepius, et raro huic castigando inseruiant.“ Adde Gudii Ep. VII. ad Nic. Heins. p. 8. Non octaua, vt Bipontini perhibent, sed quarta forma prodiit editio, quam ipse manibus tenui. Alii quoque inter libros quartae formae memorant, vt Bibliothec. Badenhaupt. Berolin. 1773.

8. maj. p. 238. Biblioth. Thott. T. IV. p. 131. Menken. P. I. p. 203. Hasaean. Bremae 1732. p. 531. quem librum citant Bipont. editores.

V. ann. 1664. 1673. 1689. 1712. 1723. 1725.

Eodem anno Jo. Henr. Vrsinus notis doctissimis et indice illustrauit Phaedrum. Ratisbon. 1657. 8. Nonnulla in hac editione rescissa sunt, quae adolescentum pudori obesse putauit editor. Hic et illic textum docte emendauit.

Cf. Not. Litt. Bip. p. 25. Catal. Bibl. *Burmann.* p. 237. *Lallemant* l. c. p. 217.

1 6 6 0.

Phaedri Aug. Lib. Fabb. Aesop. Libri V. Ex recensione Jo. Lud. Praschii. Gissae 1660. 8.

Judicantibus Bipontinis Editoribus, Praschius multum profuit Phaedro. Memorat hanc editionem Biblioth. Feuerlinian. p. 344. Addatur Lallemant l. c. p. 218.

Fabulae variorum Auctorum, nempe Aesopi Fabulae Graeco-Latinae CCXCVII. Aphthonii Sophistae Fabulae Gr. Lat. XL. Gabriae Fabulae Gr. Lat. XLIII. Babriae (Babrii) Fabulae Gr. Lat. XI. Accedunt Anonymi Veteris Fabulae, latino carmine redditae LX. ex exsoletis editionibus et Cod. MS. luci redditae. Haec omnia ex Bibliotheca Palatina. Adjiciuntur insuper Phaedri fabulae XC. Auieni Fabulae XLII. Abstemii Fabulae CXCIX. Opera et studio Isaac. Nic. Neveleti, cum Notis ejusdem in eadem. Cum figuris ligneis (a Virgilio Solis.) Francof. Apud Christ. Gerlach et Sim. Beckenstein. 1660. 8. non 12. ut legas in Cat. Bibl. Com. de Reviczky p. 145.

Vid. Reliquiae aliquot librorum libellorumque ex Bibl. J. A. *Rieggeri*, Eq. Vindobon. 1784. 8. Scrin II. p. 65. n. 96. Bibl. *Badenhaupt* p. 141. Cat. Bibl. Jo. Joach. *Schwabii* P. I. p. 69. coll. ann. 1610.

1 6 6 1.

Phaedrus c. vers. **Albini** gall. **Paris.** Durand. 1661. 12. Paucae in fine leguntur notulae. Edit. V.

Cat. Bibl. *Moerlii* P. I. p. 160. Norimb. 1791. 8. Vid. Vers. Gall. ann. 1661.

1 6 6 2.

Phaedri Aug. Lib. Fabb. Aesopiar. Libri V. accurante Alex. Arnold. **Pagenstechero**, cum selectis **Freinshemii** historiis. Accessit Vita Phaedri et historiarum ad explendam centuriam Sylloge. **Duisburg ad Rhen.** 1662. 8.

Funccius l. c. p. 97. *Brotierii* Index Editt. Phaedri coll. ann. 1688. et *Lallemant* l. c. p. 218.

1 6 6 3.

Phaedri et **Auieni** Fabulae. (Editio valde similis editioni anni 1637.) **Paris.** apud Sebast. Cramoisy, architypograph. Regis. 1663. 12.

Maittaire Annal. typograph. T. III. p. 917. coll. ann. 1637. et Sched. *Brüggemanni* S. Ven.

Phaedrus c. Not. Jo. **Schefferi** et Franc. **Guyeti** castigationibus criticis, numquam antea vulgatis. **Vpsal.** Curio (non Hamburgi) 1663. 8. Edit. I.

Basis est Rigaltii III. et Fabrina, nisi vbi temere omiserunt, quae in aliis legebantur. Vid. Praef. Schefferi Ed. II. Schefferus, non mediocri Latinitatis scientia praeditus, Phaedrum plurimis locis illustrauit et interpretatus est egregie, ejusque editiones recte in optimarum numero habendae; at e conjecturis, quas ad emendandum Phaedrum multas proponit, felices paucas inuenit Desbillonius. Cum etiam inter Schefferum et Nic. Heinsium crebrae litterae de Phaedri fabulis vltro citroque missae fuissent, hinc putauit Petr. Burmannus, multa eum pro suis venditasse, quae Heinsius reperisset; at ille non modo in praefatione, sed passim etiam, in notis, plurimum se et Nic. Heinsii et Jo. Frid. Gronouii subsidio vsum esse, candide

significat. Vid. Desbillonii Disp. III. de Editt. Phaedri p. XXV. Adjecta est Vita Phaedri, quam deinde non pauci Editionibus suis praefixerunt.

Biblioth. *Pinellian.* T. II. p. 361. Cat. Bibl. *Colbert.* p. 1318. coll. ann. 1667. 1673. 1687. 1693. 1706.

1 6 6 4.

Phaedri Aug. Lib. Fabulae, a Joann. Freinshemio emendatione textus, historiis, notis et indice illustratae. Depromebat e bibliotheca Freinsheiniana Henr. Holstius. Argentorati, impensis Simon. Paulli. 1664. 8.

Adjecta est ad singulas fabulas historia congruens, ex veterum scriptis annotata; atque etiam, praeter Animaduersiones Freinshemii postumas, insertae sunt Rittershusii, Rigaltii, Buchneri notae; additus index copiosissimus. Ceterum Holstius, Danus, viduae Freinshemii maritus, exstitit, vt ajunt Bipontini, heres bibliothecae, non doctrinae.

Notit. Litt. *Bipont.* p. XXV. *Fabricii* B. L. T. II. p. 31.

Phaedri Fabulae, c. Not. et Emendatt. Tanaquilli Fabri. Addita est Gallica versio, et in eam Animaduersiones. Salmur. 1664. 12. (Bipontin. 8.)

Editio Fabri IIda ex prima 1657. at longe locupletior. Editor enim et gallicam Albini, i. e. Js. le Maître de Sacy interpretationem, et Animaduersiones in eam, sermone gallico scriptas, adjunxit. Lustrauit etiam Schefferi editionem (vid. ann. 1663.) censura sua.

Desbillon. l. c. p XXV. Bibl. *Gud.* p. 289. n. 226. Adde, quae notamus ad ann. 1657. et praef. Scheffer. ad Edit. II.

Meminit hujus Editionis Niceron in Memoires pour servir à l'histoire des hommes illustres à Paris. 1729. 8. T. III. p. 118. at male adscribit versionem gallicam, huic editioni adjunctam, Tan. Fabro, qui Phaedrum non vertit gallice; immo vero versionis auctor est Albinus, teste Adrian. Baillet, loco ad ann. 1647. citato. Vide quoque infra versiones gallicas ann. 1647. et

Abbatis Lallemant Cat. raisonn. p. 219. qui laudat vtramque Fabri editionem, et anni 1664. et 1665.

1 6 6 5.

In Diario litterario (Journal des Savans pour l'an 1665. p. 60.) recensetur Phaedri editio sub titulo: Phaedri Fabulae, cum Notis et Emendationibus Tan. Fabri. Addita est Gallica versio et in eam Animaduersiones. Salmur. in 12. omisso anno impressionis. Hinc tamen non potest colligi, editionem, ann. 1665. recensitam, eodem quoque anno impressam esse. Immo vero probabile est, Editionem Phaedri, quae anno 1665. cura Tan. Fabri Salmurii excusa dicitur a Burmanno, in Catal. Editt. Phaedri omissa tamen editione ann. 1664. Fabricio, B. L. T. II. p. 30. Abbate Lallemant l. c. p. 220. itemque a Brotierio in Indic. Editt. Funccio de L. L. Senect. p. 96. nec non a Bipontinis Editoribus, plane non exsistere. Namque Editiones Tan. Fabri Salmurienses annis 1657. 1664. 1673. 1689. in lucem sunt emissae. Quare editio anni 1689. repetita eodem anno Amstelodami, quam possidet S. V. Brüggemannus, expressis verbis in titulo appellatur Editio IV. vt docebunt sequentia. Sed fac, editionem exstare, Salmur. 1665. typis excusam, illa (1689) non posset appellari editio quarta; quinta vocanda esset, vt vocant Bipontini.

Schedae Brüggemann. p. 4. 5. coll. ann. 1689.

In Catal. librorum, qui in Bibliopolio Dan. Elsevirii venales exstant, Amstel. ex Offic. Elsevir. 1674. 12. p. 137. memoratur editio, cui titulus: Phaedri fabulae c. Nott. varior. et figuris aeneis. Amstel. 1665. 8.

An forte haec est Editio Joann. Laurentii edita, Amstel. 1667. 8. c. figuris aeri incisis? Vide mox ann. 1667. Magnopere censeo, in Catalogum Elsevirii irrepsisse vitium typographicum.

1 6 6 7.

Phaedrus c. Not. Jo. Schefferi et Franc. Guyeti castigationibus criticis, et gallica Albini versione. Vpsal.

cum regio Privilegio. Excudit Henricus Curio S. R. M. et Acad. Vpsal. Bibliopola MDCLXVII. 8. Edit. II. emendatior et auctior.

In constituendo textu vltimam Rigaltii et Tan. Fabri est secutus, sed vid. ad ann. 1663. Quoniam vero in editione prima euenerat, vt editori exciderent nonnulla siue festinanti, siue oscitanti; ea nunc correxit, sententiamque suam commutauit. Quaedam, explicata parum euidenter, apertius interpretatus est. Atque etiam subjecit Indicem, a Freinshemio concinnatum, ita tamen, vt quaedam vel immutaret, vel omitteret, vel adjiceret. Latinitatem Phaedri, alicubi suspectam, ex Virgilio aliisque comprobauit. Non raro Faber castigatur. In praefatione Editiones Phaedri recensentur. Sunt, qui hanc editionem anno 1666. adsignent, vt Bipontini l. c. p. XXVI. Morhof l. c. p. 877. Funccius l. c. p. 97. Burmann. in Catal. Editt. Phaedri. Contra alii rectius memorant inter editiones anni 1667. vt Bibl. Thott. T. IV. p. 347. ill. Harlesius in Notit. Litterat. Rom. breuior. p. 437. Cat. Bibl. Lauhn. P. II. p. 132. Nam prelo subjectus est liber sub finem anni 1666. et juris publici factus 1667. id quod intelligitur ex Epist. Graevii ad Heinsium, dat. Holmiae 1666. v. Oct. in qua haec leguntur: „Schefferus secundam Phaedri editionem prelo typographico jam nunc permisit." Vid. Syllog. Epp. Burmanni T. IV. p. 47. Deinde docet hoc ipse libri titulus, in quo, vt ego testari possum, annus MDCLXVII. diserte expressus est.

Phaedri Aug. Lib. Fabb. Aesopiar. Libri V. Notis perpetuis illustrati, et cum integris aliorum Obseruationibus in lucem editi a Joann. Laurentio. Ap. Jo. Janssonium a Waesberg. Amstel. 1667. (non 1666.) 8. c. figg. ad singulas fabulas aeri incisis.

Editor, Rittershusii editionem secutus, adjecit notas Schefferi, Rigaltii, Rittershusii, Fabri, Scioppii, Meursii; praeterea praefationes Pithoei, Rigaltii, Rittershusii. Non plane contemnenda editio, etsi vehementer displiceat Burmanno in praef. Phaedri ann. 1698. et Desbillonio in Disp. III. de Editt. Phaedri p. XXVI. propterea quod

Editor aliorum labores truncatos ediderit. In quo tamen immerito carpitur, vt mihi quidem videtur. Vt enim taceam, Laurentium haud quidquam de aliorum notis omisisse, sed quidquid in iis ad criticam rationem pertinebat, in fine libri collectum dedisse, vt recte monuerunt Editores Bipontini l. c p. XXV. quis possit jure reprehendere virum doctum, aliorum excerpentem notas; omissis, quae superflua; emendatis, quae falsa viderentur? Ipse Burmannus aliorum dedit Excerpta. Ceterum in hac editione, valde mendosa, paullo putidius illustrauit Laurentius Phaedrum e Jurisprudentia Romana.

De raritate hujus editionis vid. Baueri Biblioth. libror. rarior. P. III. p. 194. et lege, quae de figura quadam obscena, p. 276. exsculpta, notantur in Cat. Bibl. Com. de Reviczky p. 144. Edit. alter. Addatur Cat. Crevennae Vol. III. p. 222. Edit. ann. 1776. et Dictionn. bibliograph. hist. et crit. T. II. p. 384. vbi haec habentur: „Edition recherchée à cause des figures en tailledouce. Il faut voir à la page 276. si la figure libre et indecente n'y a pas été dechirée ou gatée; ce qui arrive assez souvent, par ce qu' alors le volume perd la plus grande partie de sa valeur." Exemplaria hujus editionis, quae habentur in Bibliothecis, et Dresdensi, et Vinariensi, sunt integra.

Cf. Catal. Biblioth. *Rottböll.* p. 92.

1668.

Phaedri Fabular. Aesop. Libb. V. ex recensione Christophor. Wase. Londini 1668. 8.

Christoph. Wase, cujus eximium de Senario librum habemus, primus in Anglia Phaedrum edidit, teste Fabricio in B. L. T. II. p. 33. Wasii editionem Tunbrigiae Kentii lucem adspexisse, auctor est Funccius l. c. Sed haecce locorum diuersitas inde exorta est, quod Wasius suae fabularum editioni praemiserat epistolam ad lectorem, datam Tunbrigiae, in prouincia Kentii, d. XXIII. Jun. 1668. Vid. Petrus Axen in Judiciis et Testimon. de Phaedro. Repetita est Londin. 1679. 8. Vide

de Editt. Phaedri ad h. a. Eamdem quoque repetitam esse ann. 1701. et 1708. vt ait Müllerus in Introd. in Latinos scriptores T. V. p. 98. de eo quidem in Anglicanarum bibliothecarum Catalogis nullum est vestigium; id quod me docuit S. V. Brüggemannus. Miscuisse videtur Müllerus Johnsonianas horum annorum editiones cum Wasianis.

1 6 7 1.

Phaedri Aug. Lib. Fabb. Aesopiar. Libri V. cum prioribus ac posterioribus Notis Nic. Rigaltii. Petrus Axen recensuit, suasque (in Libr. I.) Notas adjecit. Hamb. 1671. 8. Sumtibus Jo. Naumanni et Ge. Wolfii.

Axenii Notae, quae ad meram plerumque Philologiam spectant, sunt eruditae, at justo fusiores. Dolent Bipont. editores l. c. p. XXV. insignibus hujus viri docti, ann. 1706. apud Slesvicenses denati, adnotationibus in IV. posteriores Phaedri libros fata intercessisse praematura. At scribit in praefat. editor, animum quidem fuisse, notas ad omnes Phaedri libros adnectere; postea vero mutauisse consilium et placuisse, nonnullas ad solum Libr. I. euulgare.

Desbillonius in Disp. III. de Editt. Phaedri p. XXVII. Cat. Bibl. *Bünav.* T. I. p. 330. Bibl. *Thott.* T. IV. p. 348.

1 6 7 2.

Phaedri Fabb. ex Tan. Fabri et hominis cujusdam litterati recensione, addita versione, (belgica, vt videtur; v. mox.) Scholiis quoque additis, et Publii Syri Sententiis, in vsum Gymnas. Lugd. Bat. Apud viduam de Charpentier. Lugd. Bat. 1672. 8.

Burmann. in Cat. Editt. Phaedri Edit. ann. 1718. praefix. it. Biblioth. *Hulsian.* T. III. p. 586. *Lallemant* l. c. p. 221.

In Catal. Libror. Dan. Elsevirii Amstel. 1674. 12. p. 137. memoratur editio Phaedri sub titulo: Phaedri Fabulae Aesopicae Lat. Belg. Leydae 1672. 8. Dubium

esse non potest, hasce duas vnam eamdemque esse editionem. Vide infra versiones Belgicas ann. 1672.

Sched. Brüggemann. p. 6.

1 6 7 3.

Phaedri Fabulae c. Not. et Emendationibus Tan. Fabri. Addita est gallica versio (Albini, s. Isaac. le Maitre de Sacy) et in eam Animaduersiones. Salmur. Desbordes. 1673. 12. Edit. III.

Cat. Bibl. *Burmann.* p. 237. Bibl. *Thomas.* Vol. III. p. 162. coll. ann. 1657. 1664. et 1665.

Phaedri Fabb. Aesopiar. Libb. V. c. Annotatt. Jo. Schefferi et Franc, Guyeti Notis. Editio tertia, prioribus emendatior et auctior. In qua jungitur interpretatio gallica cum Notis, et Index Latinus vberrimus. Hamb. Sumt. Gothofred. Schultzen — 1673. 8.

Memorat Burmann. in Cat. Editt. Phaedri Schefferianam Editionem anni 1671. quae revera non exstat; etsi certus sim, virum doctum in mente habuisse editionem tertiam anni 1673. cujus praefatio scripta est Vpsaliae d. XXII. Dec. 1671. Hinc error ortus.

Haec scripseram cum in Abbatis Lallemant. Catal. Raisonn. p. 221. haec legerem memoriae prodita: Phaedri Fabulae cum Notis Schefferi. Hamburgi 1671. 8. addita nota: „je ne cite cette edition que sur l'autorité du Catalogue des Editions de Phédre, qui se trouve dans les Nouvelles Littéraires de du Sauzet, T. 8. p. 266.“ Deinde p. 222. l. c. separatim recensetur Edit. Schefferi III. ann. 1673. Si revera exsistit editio Schefferi ann. 1671. de quo valde dubito, est repetitio Edit. ann. 1667. mutato tantum titulo. Quod enim si secus esset, editio anni 1673. quam ipse possideo, vocari non posset Editio tertia.

Bibl. *Rinkian.* p. 963. *Menken.* P. I. p. 239. coll. ann. 1663.

1 6 7 5.

Phaedri Aug. Lib. Fabb. Aesopiar. Libri V. Interpretatione et Notis illustrauit Petr. Danet, Academicus.

Jussu christianissimi Regis, in vsum S. Delphini. Paris. apud Frid. Leonard. 1675. 4. Cum priuilegio Regis.

Daneti editio Desbillonio vix aliqua ex parte videtur commendabilis; sed valde improbat atrocem et contumeliosam Hoogstratani et Burmanni censuram. Vid. Ej. Disp. cit. p. XXVI. Burmannus in suo Editt. Phaedri Catal. hanc editionem in 8. prodiisse, auctor est. Sed fallitur. In omnibus enim librorum Catalogis inter libros formae 4. refertur, vt in Dictionn. Bibliograph. T. II. p. 384. Dictionnaire typograph. histor. et crit. par Osmont T. II. p. 65. Biblioth. Zechian. p. 47. Biblioth. Thott. T. IV. p. 131. Cf. ann. 1726.

Phaedri Fabulae selectae cura Jo. Vorstii. in Poem. Vet. poët. Latinor. p. 287. Lips. 1675. 8.

Sunt Lib. I. F. 1—8. Lib. V. F. 5. 7. 10. Additae notae breues, doctae et luculentae.

1 6 7 6.

Fables de Phedre en Latin et en François. Paris. 1676. 12.

Adjecta est Albini (Port-Royal) versio. Curata editio in vsum Scholar. v. Lallemant l. c. p. 223. et Vers. Gall. ab initio.

1 6 7 8.

Phaedri Fabulae. Amstel. 1678. 12.

Meminit hujus editionis Catal. Bibl. *Menken*. P. I. p. 262.

1 6 7 9.

Phaedri Fabular. Aesop. Libri V. ex recens. Christoph. Waase. Londin. 1679 8. Ed. II.

Brüggemanni View of the English Editions cet. p. 641. coll. ann. 1668.

1 6 8 5.

Phaedri Aug. Lib. Fabb. Aesopp. Libri V. in commodum linguae Latinae tironum editae, et Notis, cuiuis

fabulae adjectis, iisque breuibus ad modum necessariis ac perspicuis, illustratae a J. F. Koebero, ill. Ruthenei Rectore. Jen. 1685. 12. apud Bielke.

Editor optimos sequitur interpretes. Lib. IV. F. 13. et 14. omisit. V. ann. 1697.

Bibl. *Baumgarten*. P. II. p. 363.

1 6 8 6.

Fables de Phédre en Latin et en François. Rouen. Herault. in 12.

De hac Editione notat Lallemant l. c. p. 224. „C'est la version de Port-Royal, edition pour les Ecoliers. Cette edition pourroit bien tenir son rang dans une foule d'editions faites pour les Colleges cet." Vid. Vers. Gallic. ab init. et ad ann. 1686.

1 6 8 7.

Phaedri Fabb. c. Schefferi et Franc. Guyeti Adnotationibus et Interpretatione gallica. Editio quarta, auctior. Francof. 1687. 8.

Vid. Cat. Bibl. Baumgarten. T. II. p. 294. in quo haecce editio dicitur editio quarta auctior, edita Francof. 1687. 8. coll. Cat. Bibl. Lauhn. P. II. p. 132. Bibl. Thomas. T. III. p. 156. Cat. Bibl. Grypeswald. T. II. sub Phaedrus.

Memorant Bipontini editionem Schefferianam, anno 1686. recusam Hamburgi ex III. anni 1673. quam vocant quartam; nec non editionem ann. 1687. c. interpretatione gallica, editam Francofurti, quam dicunt quintam. Etiam Funccius l. c. p. 97. meminit duarum Schefferi Editionum ann. 1686. et 1687. At istae duae, mea quidem sententia, sunt vna eademque editio. Quodsi enim secus esset, editio anni 1693. quam ipse in manibus habui, vocari non posset quinta; appellanda fuisset sexta; sed vid. ann. 1693. Error, puto, inde ortus, quod titulo editionis impressae Francof. 1687. praefigeretur tabula, aeri incisa, addita inscriptione: Hamburgi impensis viduae Gothofredi Schultzen M. DC. LXXXVII.

Talem ego vidi tabulam, vt monui ad ann. 1693. Hinc puto factum esse, vt, cum in librorum Catalogis Editio Schefferi quarta notanda esset, modo locus impressionis, (Francofurtum) modo bibliopolae, cuius sumtu impressa esset, (Hamburgum) modo vterque locus (Hamburgum et Francofurtum) adjiceretur. Compara titulum Edit. Scheff. ann. 1693. Saluo meliori.

1 6 8 8.

Phaedri Aug. Caes. Lib. Fabb. Aesop. Libb. V. Interpretatione et Notis illustrauit Petrus Danetius, Academicus, jussu Christianissimi Regis, in vsum Ser. Delphini. Londini 1688. 8.

Brüggemanni View of the English Editions p. 641. coll. ann. 1703. 1707. 1717. 1722. 1727. 1735. 1745.

Brüggemannus, grauis in hac re testis, contendit, hanc repetitionem Edit. in vsum Delph. Londinensem Bipontinos falso adsignare anno 1675. Vid. Ej. Schedae p. 7. Eodem anno repetita est Pagenstecheri Editio Duisburgi. 1688 8.

Funccius l. c. p. 97. coll. ann. 1662.

1 6 8 9.

Phaedri Fabulae c. Notis Tan. Fabri. Salmurii 1689. 12. Edit. IV. cf. ann. 1657.

Memorat hanc Editionem Lallemant l. c. p. 224.

Phaedri fabulae et Publii Syri Mimi Sententiae, c. Not. et Emendationibus Tanaquill. Fabri hac quarta editione auctioribus. Addita est gallica versio, et in eam Animaduersiones. A Amsterdam, chez Paul Marret, dans le Hall-Steeg, ou Ruë des Cordonniers. 1689. 12.

Haec editio, quae est repetitio Edit. Salmur. ann. 1689. et cui non addita est praefatio, continet paginis 188. 1) textum Phaedri cum versione gallica prosaica, auct. Albino (v. supra ann. 1647.) Tum incipit nouus paginarum ordo et sequuntur: 2) Notae et Animaduersiones Tan. Fabri in fabulas Phaedri p. 1—88. 3) Observations sur la

version de Phèdre, scriptae ab ipso Tan. Fabro, teste Adr. Baillet, in Jugemens T. II. P. III. p. 516. Edit. Amstel. 1725. 8. p. 88 — 116. ; 4) Notulae Tan. Fabri ad nuperam Phaedri editionem, quam in publicum emisit J. Schefferus, p. 117 — 125. 5) Publii Syri, quae supersunt, c. praefat. Tan. Fabri, sine versione p. 126 — 148.

Cat. Bibl. Acad. *Grypeswald.* T. II. p. 303. coll. supra ann. 1657. 1665.

1 6 9 1.

Fables de Phédre en Latin et en François. Paris. Thiboust. 1691. 12.

Addita est Albini (Port-Royal) versio, in vsum scholarum. Cf. Lallemant l. c. p. 224. it. de vers. Gall. ab init.

1 6 9 3.

Phaedri Fabb. Aesop. Libb. V. c. Annotatt. Jo. Schefferi et Franc. Guyeti Notis, numquam antea publicatis. Editio quinta, prioribus emendatior et auctior; in qua jungitur Interpretatio gallica c. Not. et Index Latinus vberrimus. Lipsiae, impensis viduae Gothofredi Schultzen, Bibliopol. Hamb. Excudebat Christian Goezius. 1693. 8.

Praefixa erat exemplari Lauhniano, quo vsus sum, tabula aenea, addita inscriptione: Hamburgi, impensis viduae Gothofredi Schultzen M.DC.LXXXVII. Quo factum est sine dubio, vt Burmannus et Brotierius hanc Schefferi editionem Hamburgi prodiisse putarent; sed excusa est Lipsiae, vt docet plenus titulus, sumtu Bibliopolae Hamburg. conf. Bibl. Lauhn. P. II. p. 131. Falso appellatur a Bipontinis editio sexta; neque edita est c. vers. belgica, iisdem auctoribus l. c. p. XXVI Vid. mox ann. 1694.

Les Fables de Phèdre, traduction nouvelle, avec le Latin à côté, où l'on a fait plusieurs corrections considerables suivant les meilleurs editions, par le Sieur de R. D. L. Paris. Villette. 1693. 12.

De hoc libro sic judicat Lallemant l. c. p. 225. „Editeur dit dans sa Préface, qu'il a revu, perfectioné et corrigé la traduction de M. Sacy, qui est devenue dans ses mains une traduction toute nouvelle. Elle m'a paru assez claire, assez nette; mais un peu trop pèriphrasée.“ Cf. Vers. Gall. ann. 1693.

1694.

Phaedri Fabb. Aesopp. Libri V. cum Annot. Jo. Schefferi et Franc. Guyeti Notis, cum his primum publicatis. Editio quinta, prioribus emendatior et auctior; in qua jungitur interpretatio gallica cum Notis; et index Latinus vberrimus. In belgicum metrum conuertebat Joh. Hilarides. Franequerae. Ex officina Leonardi Strix. 1694. 8.

Haec editio, quam ipse possideo, minus recte a Bipontinis vocatur Schefferi septima; est enim mera repetitio. Edit. Scheffer. ann. 1693. Conf. Catal. Bibl. Christ. P. II. p. 253. Biblioth. Pinellian. T. II. p. 359.

1695.

Phaedri Fabulae Aesopiae, quas e Latino in Belgicum metrum conuertebat J. H. (ilarides) curis secundis Dokkomii 1695. 8. Versioni textus Phaedri additus est.

Fabricii B. L. T. II. p. 34. Not. Litt. *Bipont.* p. XXVI. coll. Vers. Belg. ad h. a.

1696.

Phaedri Aug. Lib. Fabb. Lib. V. c. Not. Dan. Hartnacci Pomerani, historicis, ritualibus, moralibus et philologicis. Prodierunt sumtibus Jo. Widemeyeri, bibliopol. Lubecens. et excusae Rudolphistad. 1696. 8.

Spissum opus, octingentis et paullo amplius paginis comprehensum, de quo Desbillonius l. c. p. XXVII. haec memoriae prodidit: „ex auctoribus graecis et latinis, sacris et profanis, infinitas prope lacinias obtrudit, quibus Phaedrum multo saepius obruit, quam illustrat: grauissimi

etiam ac frequentissimi errores typographi augent importunitatis huius molestiam; non frustra tamen omnis Hartnaccii effusus est labor; quosdam enim adhuc inueniri Litteratores puto, quos ista, quamuis paullum indigesta doctrinae varietas vel adjuuet, vel etiam oblectet."

Eodem anno Hartnaccius alium librum edidit, qui inscribitur: des Phaedri, Kaysers Augusti Freygelassenen, fünf Bücher seiner Fabeln, oder Gedichte und Geschichte, nach Ordnung der Construction, Sinn und Wortverstand verdolmetschet: mit gedoppelten und der ersten Art mehrentheils historischen Imitationen aus denen erwähltesten darinn enthaltenen Redensarten, samt beygefügter lateinischen Paraphrasi des Herrn Danet, der Jugend zum besten ans Licht gegeben. Frankfurt und Leipzig. 1696. 8

Phaedri Fabulae c. Not. Hartnaccii. Lubec. 1696. 8.

Cat. Bibl. *Lauhn.* P. II. p. 132. Not. Litt. de Phaedro *Bipont.* p. XXVII.

1 6 9 7.

Repetita est Koeberi Editio Jenae 1697. 12 Ed. II.

Cat. Bibl. *Lauhn.* P. II. p. 139. coll. ann. 1685.

Phaedri Fabb. Stuttgard. 1697. 8.

Cat. Bibl. *Lauhn.* P. II. p. 133. Notit. Litt. *Bipont.* p. XXVII.

AETAS III. GVDIO-BVRMANNIANA.

1 6 9 8 — 1 8 0 1.

Quibus subsidiis criticis sustentatus Marquardus Gudius Phaedrum emendauerit, et quantopere et de textu et de interpretatione fuerit promeritus, supra breuiter indicaui. Sed eum praematura fata viri praestantissimi nouae Phaedri editioni intercessissent; decessit enim 1689.

teste Lessingio: *) Petrus Burmannus, schedis Gudianis digestis, nouam cum notis Variorum, etiam Gudii ineditis, editionem instruxit, ann. 1698. quam ann. 1718. auctiorem edidit, aliquoties deinde repetitam; tum anno sequenti 1719. minorem sine notis, sed quae textum, ab ipso recensitum, exhibet; tandem ann. 1727. nouum ipse Commentarium in Phaedri fabulas protulit, sicque praeter ceteros omnes de Phaedro bene fuit promeritus. **) Praeter Burmannum non pauci, iidemque eruditissimi viri, suo quisque loco laudibus ornandi, Phaedrum vel emendando, vel illustrando gloriam consecuti sunt.

1698.

Phaedri Aug. Lib. Fabular. Aesopiar. Libri V. Cum integris Commentariis Marq. Gudii, Conr. Rittershusii, Nic. Rigaltii, Nic. Heinsii, Joann. Schefferi, Jo. Lud. Praschii et Excerptis aliorum. Curante Petro Burmanno. Amstel. ap. Henr. Wetsten. 1698. 8. maj. Edit. I.

Gudii notae, eruditione non vulgari insignes, primum hic prodeunt. Statuerat Gudius, has in Phaedrum notas recensere, et in lucem publicam mittendo omnium desideriis satisfacere, sed infelix fatum consilium ejus irritum fecit. Et fortasse hic labor in aeternum periisset, nisi Graeuius, summus olim Gudii amicus, tam egregiae doctrinae monimenta accepisset ab heredibus, quae deinde, cum ipse eorum curationi vacare non posset, Burmanno in vulgus edenda obtulit. In describendis et ordinandis Gudii notis quantum a Burmanno collocatum fuerit operae, e praefatione facile intelligitur. Conjecerat enim Gudius notas suas in minutas schedas, quae, partim lacerae et mutilae, partim putredine exesae, vix litterarum vestigia exhibebant. Neque in vnum volumen lucubrationes suas congesserat, sed quatuor diuersarum Phaedri editionum marginibus cogitationes suas commiserat, quae saepe eae-

*) Zur Geschichte und Litterat. 1. Beytr. p. 45.

**) Cf. Not. Litt. de Phaedro Edit. Bip. praefix. p. XXVII.

dem aliis verbis, saepe diuersae et contrariae, maxime incertum animum diuidebant, quid potissimum sequeretur Burmannus. Sed tamen hic nihil Gudio subtraxit, nihil, quod non manu illius notatum fuerit, exhibuit; in supplendis lacunis et intricato verborum sensu experiendo, consilio et opera Graeuii vsus, qui pulcherrime Gudii sententiam de plurimis Phaedri locis nouerat. Heinsii notae, quae itidem primum hic prodeunt, fideliter descriptae a Burmanno e Codice, quo ille vsus olim fuerat, ex mente hujus viri docti non satis diligenter elaboratae, sed temere, et vt inter legendum menti ipsi occurrebat, in marginem Phaedri conjectae sunt; sed tamen istis conjecturis non raro lux adfunditur Phaedro. Atque etiam quasdam Codex Perotti postea confirmauit. Ex Tan. Fabri notis eas tantum excerpsit Burmannus, quas Phaedro illustrando conducere judicabat. Vtilissimum Schefferi laborem, Phaedro insumtum, ipsis Phaedri verbis subjecit. Scioppii, Axenii, Freinshemii, Guyeti, notas adjunxit, sed eas tantum, quae instituto facere videbantur. Meursii non magnam rationem habuit, cum virorum doctorum judicio infeliciter Criticam in hunc auctorem aduocauerit. Multum et merito haecce Burmanni editio ab eruditis judicibus laudata est.

Catal. Bibl. *Bünav.* T. I. p. 330. *Desbillonii* Disp. III. de Editt. Phaedri p. XXVII. sq. *Lallemant* Cat. raisonn. p. 226. coll. ann. 1718. 1728. 1745. 1755. 1778.

Phaedri Fabulae c. Not. Varior. Burmann. Amstel. 1698. 8. apud Wolters.

Hanc editionem memorat *Georgi*, in *Allg. Büch - Lex.* P. III. p. 206. addens, eam complecti Plagg. 47.

Eamdem esse cum Burmanniana, edita Amstel. 1698. 8. apud Wetsten. omissis Commentariis Gudii, Rigaltii, Rittershusii, docuit me doctissimus Brüggemannus, scribens in Schedis p. 8. sq. „In dem Catalogo Bibliothecae Gundlingianae, welchen Christian Benedict Michaelis zu Halle 1731. 8. herausgegeben hat, werden P. II. p. 42. sq. zwey verschiedene Ausgaben des Phaedrus,

welche zu Amsterdam 1698. 8. herausgekommen sind, also angeführet:

n. 4264. Phaedri Fabular. Aesop. Libri V. c. integris commentariis Marq. Gudii, Conr. Rittershusii, Nic. Rigaltii, Nic. Heinsii, Jo. Schefferi, Jo. Lud. Praschii, et Excerptis aliorum. Curante Pet. Burmanno. Amstel. 1698. 8.

n. 4265. — — Dito. (sed deficientibus Commentariis Gudii, Rittershusii, Rigaltii, seorsim excusis) per eumdem. Ibid. eod. 8.

Die zuletzt angeführte Burmannische Ausgabe ist ohne Zweifel keine andere, als eben die, welche Georgi in Bücher-Lexico P. III. p. 206. also anführet: Phaedri Fabb. c. Not. Varr. Burm. 1698. 8. ap. Wolters (Preis 1 Rthlr. 8 Gr.) und sie von der in ebendemselben Jahre ap. Wetsten. herausgekommenen Ausgabe unterscheidet. Die Weglassung der Notarum Gudii, Rittershusii et Rigaltii konnte füglich geschehen, weil solche an dem Ende der ap. Wetsten. herausgekommenen Ausgabe zusammengedruckt worden sind, und mit einer neuen Seitenzahl anfangen. Die Burmannische Ausgabe selbst ap. Wetsten. blieb demohngeachtet unverändert, und konnte von Wolters besonders herausgegeben werden, wenn er nur eine kleine Veränderung mit dem Titel vornahm, und die Worte: cum integris Commentariis Marq. Gudii, Conr. Rittershusii, Nic. Rigaltii weglies. Sie konnte auch nun noch immer Editio c. Not. Var. heißen, weil Burmann die Anmerkungen des Neveletus, Heinsius, Scheffer und Praschius unmittelbar unter den Text gesetzt hat, und diese also stehen blieben."

Phaedrus c. Not. Schefferi. Hag. Com. 1698. 12.
Memorat hanc editionem *Georgi* l. c. P. III. p. 206. repetitam forsan ex edit. Schefferi V. ann. 1693.

Mythologia metrica et moralis, siue Fabular. XV. Autores Latini et veteres plerique; qui (prout nomina eorum versa haec pagina docet) CCCL. Fabulas, vario carminis genere, in varios mores, variosque vsus scite

quondam conscripsere. Opus, scholasticae juuentuti vtilissimum, et hac ratione numquam antea visum. Cui in fine adjungitur harum fabularum tum Auctorum, tum argumentorum Index copiosissimus. Hamburgi apud Benj. Schillern. 1698. 8.

In hoc opere, cura J. Schulzii edito, teste Fabricio, in B. G. Vol. I. p. 654. non paucae exstant Phaedri fabulae, additis aliorum auctorum fabulis similis argumenti.

Vid. kurze Nachricht von den Büchern und deren Urhebern in der Stollischen Bibliothek. P. XIII. p. 449.

Fabularum Aesopicarum Delectus. (Gr. Hebr. Arab. et Lat.) Oxoniae e Theatro Sheldon. Ann. Dom. 1698. 8. maj. (non forma 12. ut scriptum est in Not. Litt. Bipont. p. XXVIII.) Excudebat Johan Croke.

In hoc libro, quem nitidis typis excudi curauit A. Alsop, exstant LXXII. Phaedri fabulae. Plura dabit Fabricii B. G. Vol. I. p. 647. adde Ej. B. L. T. II. p. 34. Edit. Ern.

1 6 9 9.

Phaedri Aug. Lib. Fabular. Aesop. Libri V. in gratiam studiosae iuuentutis Notis illustrati, cura Dav. ab Hoogstraten. Amstel. 1699. 12.

Vid Biblioth. Badenhaupt. p. 229. et Biblioth. Hausenian. Lips. 1743. 8. p. 156. Sunt tamen, qui inter libros formae 8. memorent, vt Biblioth. Thott. T. IV. p. 348. et Cat. Bibl. Burmann. p. 237. coll. Burmanni Cat. Editt. Phaedri, alii. Meminit Fabricius in B. L. T. II. p. 32. Editionis Hoogstratani, impressae Amstel. 1700. 12. quem sequuntur Bipontini, memorantes editionem ejusdem anni et loci, omissa editione ann. 1699. Sed legendum est loco Fabricii cit. Ed. Ernest. 1706. 12. non 1700. 12. id quod potest intelligi non solum ex orationis contextu, sed etiam ex Editione Bibliothecae Lat. Hamb. 1721. 8. Vol. II. p. 440. vbi locus sic se habet: „Elegantissimi quoque viri Dav. Hoogstratani Phaedrum minori forma iteratis curis recensitum et illustratum Londi-

nenses recuderunt, a quo tempore idem vir doctus tertium fabulas Phaedri Anno 1706. 12. Amstelodami edidit." Vides igitur, in nouam editionem B. L. Fabricii irrepsisse vitium typographicum, nec vero esse simile, editionem Hoogstratani prodiisse Amstelod. 1700. etsi errore typographico etiam in Cat. Bibl. Burm. Lugd. Bat. 1742. 8. maj. p. 310. memoretur Edit. Hoogstrat. anni 1700. 12. (1706.)

Biblioth. Maph. *Pinelli* T. II. p. 359. *Brüggemanni* Schedae p. 10. coll. ann. 1701. 1706. 1711. 1741. 1749.

1 7 0 0.

Phaedri Fabulae c. integris Fabri, Neveleti, Praschii Notis, additis Publii Syri Mimis. Franequerae 1700. 12.

Bibl. *Thott.* T. IV. p. 369. Bibl. *Burmann.* p. 310.

Phaedrus c. Not. Junkeri. Accedunt Symposii et aliorum Aenigmata. Lips. 1700. 12.

Cat. Bibl. *Lauhn.* P. II. p. 139. *Lallemant* Catal. raisonn. p. 227.

1 7 0 1.

Les Fables imitées d'Esope par Phédre, en Latin et en François. A Strasbourg 1701. 12.

Bibl. *Schadelook.* T. II. p. 276. Cat. Bibl. Carol. Christ. *Woogii* p. 131. Lips. 1771. 8. vid. infra vers. gall. ann. 1701.

Phaedri Aug. Lib. Fabb. Aesopiar. Libb. V. Notis doctorum selectioribus, nouisque passim et Conjecturis et Explicationibus illustrati; opera Thom. Johnson, A. M. In vsum Scholae Etonensis. Londini apud Car. Harper, Sam. Smith cet. 1701. 8. Editio I.

Curae habuit Editor, vt textus prodiret quam emendatissimus, et notis eum explicauit cum suis, tum aliorum, sed perbreuibus et selectissimis. Id se egisse in praefatione gloriatur, vt nihil quidem in ea editione compareret, quod non vel Phaedri mentem magis perspicuam, vel contextum magis expeditum certumue redderet, et lectorem

tamen monere audet, id, quod in hac editione praestitum non sit, quod quidem ad auctorem illustrandum faciat, alibi frustra quaesitum iri, atque adeo saniores doctorum vel conjecturas, vel explicationes hic omnes collectas inueniri. Cujus rei experimentum capient, quibus Editionem inspicere licet. Mihi quidem non contigit, eam videre. Subjectus est omnium verborum index.

Acta Eruditor. ann. 1702. p. 208. Cat. Bibl. Ducis *de Valliere*. T. II. p. 99. *Brüggemanni* View cct. p. 642. coll. ann. 1708. 1714.

Phaedri Aug. Lib. Fabb. Aesop. Libb. V. Notis illustrauit in vsum Ser. Principis Nassavii Dav. Hoogstratanus. Accedunt ejusdem opera duo Indices, quorum prior est omnium verborum, multo quam antehac locupletior, posterior eorum, quae obseruatu digna in Notis occurrunt. Amstel. ex typograph. Franc. Halmae 1701. 4. maj. (c. figg. nitidiss.)

Qua editione nescio an vlla alia Phaedri sit splendidior, siue spectes chartae formam, siue typorum elegantiam, siue figurarum, a Vianio delineatarum, singulisque fabellis additarum, splendorem. Adjumento Editori inprimis fuerunt Animaduersiones Schefferi, Graeuii, Perizonii, Gudii, Rittershusii, Heinsii, Rigaltii, Fabri, Praschii, aliorum. Quas adspersit notas ita comparatas esse intellexi, vt sint luculentae et eruditae, et breuitate sese commendent. At, monente Desbillonio, non modo passim occurrunt, in Phaedri fabulas admissae, emendationes variorum Criticorum aliquanto audaciores; sed illarum etiam auctores raro nominantur; pariterque raro Godd. MSS. ac veterum editionum variae lectiones indicantur, quod tamen praestandum fore, praefatio ipsa polliceri videtur. In emendando metro magnam Hoogstratanus collocauit operam. Etenim versus singulos reuocauit ad leges, vel a sagacissimis negligenter habitas; erroremque Scioppii, P. Daneti, aliorum, qui Phaedrum leges versuum ignorasse affirmant, correxit. Phaedrum ex ipso Phaedro explicat ejusque iditiotismos saepius notat, inspergit etiam singulares quasdam obseruationes. Nec desunt, quae aliorum judicio enodanda relinquat.

V. *Acta Eruditor* ad ann. 1702. p. 458. *Desbillonii* Praef. Disp. III. p. XXX. *Journal des Savans*, ann. 1702. p. 127. Bibl. Com. de *Reviczky* p. 145. coll. ann. 1706. 1711. 1699. 1741.

Eadem Hoogstratani Editio repetita. Amstel. 1701. 12.

„V. *Lallemant* in Cat. raisonn. p. 228. Ce Phédre est le même que le précédent. On en a retranché plusieurs choses pour le reduire en format convenable aux Colléges."

Repetita Junkeri Ed. II. Lips. 1701. 12.

Notit. Litt. *Bipontin.* p. XXVIII.

1 7 0 2.

Phaedri Aug. Lib. Fabular. Aesopiar. Libri V. c. Not. Dav. Hoogstratani. Londini 1702. 12.

Auctoribus Fabricio B. L. T. II. p. 33. et Lallemant l. c. p. 228. quibus obsequuntur Bipontini Editores, Not. Litt. de Phaedro p. XXVIII. haec editio Hoogstratani minor recusa est Lond. 1701. 12. at S. V. Brüggemannus testatur, in omnibus, quotquot inspexerit, librorum Catalogis, in Anglia in lucem emissis, inueniri annum impressionis 1702.

Brüggemanni View of the English Editions cet. p. 642.

Phaedri Fabulae, accurante R. P. i. e. Roberto Prevost, cum versione gallica et Animaduersionibus, gallice scriptis, ordine constructionis in puerorum vsum per numeros, singulis vocabulis impositos, notato. Paris. 1702. 8. (12.)

Haec editio non differt ab ea, quam infra in indice versionum Gallicarum ann. 1702. memoraui, vbi vide, quae breuiter exposui de auctore interpretationis. Ceterum liber editus est sub titulo Gallico non Latino.

Cf. *Journal des Savans* ann. 1702. Jul. p. 29. sq. *Burmanni* Catal. Editt. Phaedri, praefix. Edit. ann. 1718. coll. *Brotierii* Ind. Editt. Phaedri Notit. Litter. Bipont. p. XXVIII. it. infra ann. 1734. et 1725. et Vers. Gall. 1702. 1725. 1734.

Praeter hanc editionem Funccius l. c. p. 98. Brotierius in Indice Editt. Phaedri, Lallemant l. c. p. 228. et Bipontini l. c. aliam ejusdem anni ejusdemque loci commemorant, quae nescio an ab illa differat.

1 7 0 3.

Phaedri Aug. Lib. Fabb. Aesop. Libri V. c. Not. perpetuis Jo. Fr. Gronouii P. et Emendationibus Jac. Gronouii F. Accedunt Nic. Dispontini in Phaedrum Collectanea. Amstel. apud Janssionio - Waesbergios 1703. 12.

Nitide et eleganter excusa editio! In notis Jac. Gronouii Gudius et Burmannus passim lacessuntur. Sed, recte obseruante Burmanno, Jac. Gronouius parum, aut nihil ad illustrandum Phaedrum contulit. Partes Gudii defendendas suscepit subsequenti tempore Jo. Christoph Wolfius, memoriam Gudianam, calumniis Jac. Gronouii contaminatam, vindicare aggressus v. ann. 1709. coll. Desbillonii Praef. Disp. III. p. XXXII. Commendant hanc editionem Collectanea Dispontini, quibus hic indicis forma dictionem Phaedri egregie illustrauit. Praefatione longissima Dispontinus, notas Daneti in Phaedrum expendens, in hunc justo inuehitur grauius. Notae I. Fr. Gronouii sunt dictata, discipulis olim in scholis domesticis praelecta. Istas vero notas Desbillonius viro tam docto non putat esse dignas.

Fabricii B. L. T. II. p. 33. Cat. de la B. du R. Bell. Lettr. T. I. p. 601.

Phaedri Aug. Lib. Fabb. Aesop. Libri V. et Publii Syri Sententiae locupletiores, c. notulis Sam. Hoadly, Schol. Noruicens. Magistri. Londini 1703. 8. Edit. II. auctore Fabricio in B. L. T. II. p. 33.

Fabricius l. c. et Bipontini l. c. p. XXVIII. nec non Funccius atque Richterus Editorem vocant Hondly; sed in Catal. Libror. Musei Britannic. Vol. II. v. Phaedrus dicitur Hoadly; sic quoque in aliis Bibliothecar. Anglic. Catalogis, teste S. V. Brüggemanno, in Sched. p. 11. coll. Ej. View of the English Editions p. 642.

et ann. 1704. 1712. Hanc editionem Brotierius l. c. memorat sub titulo: Phaedri liber secundus, a Sam. Hondly. Londin. 1703. 8. Male.

Repetita Daneti Editio in vsum Delphin. Londini 1703. 8.

Georgi A. B. L. P. III. p. 206. *Brüggemann.* Supplement to the View of the English Editions. p. 115. coll. ann. 1688.

1 7 0 4.

Repetita Sam. Hoadly Editio III. Londin. 1704. 8.

V. *Brüggemanni* View of the English Editions. p. 642. coll. Ej. Schedis. p. 11. et ann. 1703.

1 7 0 6.

Phaedri Fabb. Aesopiar. Libri V. cum Annotationibus Jo. Schefferi, Argentoratensis, et Franc. Guyeti Notis, numquam antea publicatis. Editio quinta, prioribus emendatior et auctior; in qua jungitur interpretatio gallica, c. Not. et Index Latinus vberrimus. Hamb. apud Benj. Schiller. 1706. 8. Leoburgi Litteris Pfeiferianis.

Quare duae Schefferi, quas manibus tenui, editiones, et haec, et ea, quam supra ad ann. 1693. recensui, dicantur editio quinta, ego quidem non video; nisi quis discedere velit in sententiam Censoris eruditi (Zeunii) in Ephemerid. Viteberg. (Nachrichten von neuen Schriften) ann. 1779. Partic. 91. qui ad hunc locum Phaedri mei haec notauit: vielleicht ist davon die Vrsach diese: weil in der, welche die sechste heissen sollte, keine Veränderung ist vorgenommen worden. Ein ähnlicher Fall ist mit den Initiis Ernesti vorgegangen. Denn auch hiervon ist eine doppelte editio quinta, nehmlich die von 1769 und 1776. Obgleich letztere von etlichen hundert Druckfehlern und verschiedenen Unrichtigkeiten mit möglichster Sorgfalt war gereiniget worden: so wollte der bescheidene Verf. doch nicht, daſs sie editio sexta heissen sollte;

weil, sagte er, weder eine neue Vorrede, noch eine andere Vermehrung hinzugekommen ist. Quae docent omnia, male hanc editionem a Bipontinis editoribus octauam appellari. Notandum porro, paginas hujus Editionis respondere paginis Edit. III. impressae ann. 1671. sed foedata est vitiis typographicis, quae in Edit. III. non inueniuntur. Sic Prol. IV. 10. legitur coeperis fabulis, pro capris; ibid. vs. 18. verbae transfertis meae, vt omittam alia. Titulo praefixa est tabula aenea adjecta inscriptione: Electissimae fabulae morales et metricae. Hamb. apud Benj. Schiller. Ann. 1698.

Cat. Bibl. *Bünav.* T. I. p. 330. coll. ann. 1663.

Repetita est hoc anno Hoogstratani editio. Amstelod. 1706. 12.

Addidit nouas Notas Editor, in quibus praecipue, quae ad leges carminis jambici intelligendas faciunt, erudite sunt obseruata, vulgo neglecta.

Bibl. *Luxdorph.* P. II. p. 454. *Burmanni* Catal. Editt. Phaedri. coll. ann. 1699. Eamdem Editionem hoc anno repetitam esse *Londini*, contendunt *Lallemant* l. c. p. 229. *Brotier* in Indic. Editt. Ph. *Santoroc.* de Editt. Ph. p. 57.

Phaedrus c. Not. Anglic. Guil. Willymot. Londini. 1706. 8.

Brotier in Indice Editt. Phaedri. Notit. Litter. *Bipontin.* p. XXIX.

1707.

Phaedri Aug. Lib. Fabular. Aesopiar. nouis emblematibus, artificiose aere incisis, illustratarum, Libri V. c. append. quinque fabularum, a Marq. Gudio e MS. veteri descriptarum eodemque modo adornatarum. Aug. Vind. 1707. fol.

Addita est Versio germanica, cujus plenum titulum v. infra in Vers. germanic. ann. 1707. Figuras ad exemplum Vianii aeri incidit Jo. Vlr. Krause, non Joanne Sibylla

Krause, quod volunt Bipontini, post Lallemant et Brotierium.

V. *Brotierii* Ind. Editt. Phaedr. coll. *Bipont.* Not. Litt. p. XXIX. et *Lallemant* l. c. p. 230.

Phaedri Fabulae in vsum Delphini. Lond. 1707. 8.

Cat. Bibl. *Hulsian.* T. III. p. 586. *Brüggemann.* Supplement to the View of the English Editions. p. 115.

1 7 0 8.

Phaedri Fabular. Aesopiar. Libri V. Notis Doctorum selectioribus, nouisque passim et Conjecturis et Explicationibus illustrati: opera Thom. Johnson, A. M. In vsum Scholae Etonensis. Editio Secunda. Londini, impensis B. Walford cet. 1708. 8.

Cat. Bibl. *Christ.* P. II., p. 254. Cat. Bibl. *Menken.* P. I. p. 240. Catalogue des Livres imprimés de la B. du R. Belles Lettres T. I. p. 601. coll. ann. 1701.

Les Fables de Phèdre en vers Francois, avec une Edition Latine à coté et des Notes. Par Mr. Denise, Professeur de Grammaire et Sous-Principal des Artiens au College Royal de Navarre. A Paris chez Jacq. Estiénne — 1708. 8. pagg. 348.

V. Journal des Savans. Mai. 1708. p. 236 — 239. „L'auteur prétend, que l'Edition Latine, qui est à coté, a été revûe sur les plus exactes, qui ont paru. Il y a mis de courtes Notes, soit pour eclaircir ce qui en avoit besoin, soit pur rendre raison de quelque changement. Il a joint à ce Recueil huit Fables, qu'il a choisies parmi celles, que Mr. de la Fontaine à traduites de Phédre, et il y a encore ajoûté d'autres Fables, qui ont été trouvées dans un ancien Manuscrit, par Marq. Gudius, soient qu'elles soient de Phédre, ou non.“ Vid. infra Versiones Gallicas. 1708.

1 7 0 9.

Phaedri Fabulae, ad fidem optimarum Editionum, vna * auctiores, recusae cum paucis breuibusque notis.

Accedunt Vindiciae Cl. Gudii ab acerbioribus censuris v. c. Jac. Gronouii. Editore Jo. Christoph. Wolfio. Flensburgi, sumtibus J. Christ. Schumanni. 1709. 8.

Cf. Act. Erud. Suppl. T. IV. Sect. VIII. p. 365. et quae notamus supra ad ann. 1703.

* Teste Fabricio, in B. L. T. II. p. 35. non est antiqui auctoris, nec dum Phaedri, vt persuasum Thom. Crenio, T. II. Methodor. p. 403. coll. Ej. Animaduers. T. V. p. 20. sed superba vanaque satyra hominis Jesuitae Galli, Jo. Commirii, in cujus Poem. post. exstat p. 134. et versa gallice in libro: Recueil de vers choisies par le Bouhours, p. 17. nec non in alio: Fables choisies V. Part. p. 28. Incipit: Ranae paludis incolae, ambiguum genus. Composita est circa ann 1670. cum Ludovicus XIV. Galliae rex, bellum in Batauos instrueret. Exstat sub titulo: Appendix ad fabulas Phaedri, ex Bibliotheca Leidensi; Sol et Ranae. Paris. apud Franc. Muguet 1672. Plura dabit Desbillonius in Praef. Disp. III. p. XXXII.

Fabulae antiquae, ex Phaedro fere seruatis ejus verbis desumtae, et soluta oratione expositae. Inter quas reperiuntur nonnullae ejusdem auctoris et aliorum antea ignotae. Accedunt Romuli fabulae Aesopiae. Omnes ex MSS. depromtae et adjectis notis editae ab Jo. Frederico Nilant. Lugd. Batauor. 1709. 12. apud Theodor. Haak.

De Romulo et Anonymo Nilantii fusius disserui infra de Scriptoribus, Phaedrum illustrantibus. Hic notasse sufficiat, Nilantium Romuli fabulas e Codice bibliothecae Leidensis edidisse. Vide Lessingii Romulum et Rimicium libro supra laudato, p. 54. Adde Acta Eruditor. ann. 1710. p. 92. Journal des Savans. Mai. 1709. p. 310. et quae supra notamus de Cod. MS. Divionensi.

1711.

Repetita Hoogstratani Editio. Amstel. 1711. 12. de Linden.

Notae sunt aliqua ex parte auctiores: Vid. ann. 1699. et Walchii Hist. crit. L. L. p. 342. coll. Desbillonii Praef. Disp. III. p. XXXI.

1 7 1 2.

Phaedri Fabulae et Publii Syri Mimi Sententiae, hac quinta editione auctiores, c. Not. et Emendationibus Tan. Fabri. Accedit et Gallica versio fere de nouo refícta. Amstel. 1712. 8. apud Viduam Paulli Marret.

Forte Editio Phaedri, quae in indice Bipontinor. ann. 1713. Amstelodami 8. c. prosaica versione prodiisse dicitur, non alia est, quam haec quinta editio. Additae sunt etiam Senecae Sententiae, quarum mentio haud facta est in titulo.

Fabricii B. L. T. II. p. 34. sq. coll. ann. 1723. et 1657. Cat. Bibl. *Moerlii.* p. 160.

Repetita Sam. Hoadly Editio. Londini 1712. 8. Ed. IV.

V. *Brüggemanni* View p. 642. et ann. 1703. 1704. Adde Catal. Libror. impressor. qui in *Museo Britannico* adseruantur. *Londin.* 1787. fol. Vol. II. v. *Phaedrus.*

Phaedri Fabular. Libri V. in vsum Scholarum. Trajecti ad Rhen. 1712. 12.

Tribus foliis nec integris absoluta editio! v. Cat. Bibl. Lauhn. P. II. p. 140. Funccius de immin. L. L. Senect. p. 97.

1 7 1 3.

Phaedri Aug. Lib. Fabular. Aesopiar. Libri V. c. Emendationibus et Commentar. ad modum Jo. Minellii. Quibus accesserunt Symposii Aenigmata; Gabriae Fabulae; Antonini Liberalis Metamorphoses, Gr. et Lat. cum prioribus curis Abrah. Berkelii, et Senecae, it. Publii Syri Sententiae, cura Jo. Ge. Walchii. Lips. 1713. 12. ap. Jo. Lud. Gleditsch. et M. G. Weidmann.

Praeter ceteras editiones, pueris destinatas, haec editio vtilis est. Fabulas, optimarum editionum ope emen-

datas, exhibet, quibus passim nouas scripturas Walchius addidit; sed v. Censuram C. A. Heumanni in der Neuen Bibl. P. XXVII. p. 603. Notae illustrant textum. Fabellis dissertationem praemisit de stylo Phaedri, qua styli Romani, imprimis Phaedri, naturam exposuit. Hoc editionum genus nimis seuere Burmannus damnat, Praef. Editt. 1719. et 1727. vocatque Minelliorum, Junkerorum et Walchiorum pueriles notas, quibus puerorum ingeniis calamitatem inferri messemque surgentem putat intercipi. Equidem ejus modi operam valde vtilem fore cum Desbillonio arbitror, si locutiones auctorum nullae explicatu difficiles subterfugerentur, nec tam saepe vana obtruderetur interpretatio, vbi plana et aperta sunt omnia. Vid. Ej. Praef. Disp. III. p. XXXIII. Acta Eruditor. ann. 1712. p. 527. Memoirs of Litterature. Vol. III. p. 143. coll. ann. 1724. 1735. 1751. 1768.

Phaedri Fabular. Aesopiar. Libri V. in Corp. veter. Poëtar. Latin. a Mich. Maittario. Tomis II. editorum. Londini ap. Joann. Nicholson, B. Tooke et Jo. Tonson. 1713. fol. vbi vide T. I. p. 788. sqq.

Cat. Bibl. *Bünav.* T. I. p. 330.

Phaedri Aug. Lib. Fabular. Aesopiar. Libri V. item Fabulae quaedam ex MS. veteri a Marquardo Gudio descriptae; cum Indice Vocum et Locutionum. Appendicis loco adjiciuntur Fabulae graecae quaedam et latinae ex variis Authoribus collectae; quas claudit Auieni Aesopicarum Fabularum Liber vnus. (Cura Michaelis Maittaire, cum Variantium Lectionum spicilegio) Londini: ex officina Jacobi Tonson, et Johannis Watts. 1713. 12.

Catal. librorum apud Paulum Vaillant — prostantium Lond. 1745. 8. p. 330. Bibl. J. Joach. *Schwabii* P. I. p. 104. *Crevenna.* T. III. p. 223. Edit. 1776. coll. ann. 1721. 1729. 1772. 1773.

Phaedri Fabular. Aesopiar. Libri V. Edinburgi. 1713. 8.

Brüggemanni View of the English Editions. p. 642.

Phaedri Fabulae c. Not. select. Varior. Dispontini,

Gronov. Hoogstratani, Koeberi cet. Tiguri 1713. 8. apud Dav. Gesner.

Cat. Bibl. *Ryssel.* P. I. p. 167. Cat. Bibl. *Lauhn.* P. II. p. 133. adde *Fabricii* B. L. T. II. p. 33. Haec editio carpitur a *Lallemant.* in *Catal. raisonn.* p. 232.

1 7 1 4.

Phaedri Fabular. Aesopiar. Libri V. Notis Doctorum selectioribus, nouisque passim et Conjecturis et Explicationibus illustrati. Opera Thom. Johnson, A. M. In vsum Schol. Etonens. Editio tertia. Londin. 1714. 8.

Fabricii B. L. T. II. p. 33. v. ann. 1701. 1708. coll. *Brüggemanni* View cet. p. 642.

1 7 1 5.

Phaedri Fabulae c. Not. lingua Germanica scriptis, auctore Gabriel. Schumanno. Hal. Sax. 1715. 12. ap. Renger.

Biblioth. *Solger.* P. III. p. 433. coll. ann. 1719. 1722. 1727. 1744.

1 7 1 6.

Phaedri Fabular. Aesopiar. Libri V. (sine notis) Amstelod. 1716. 24.

Neues Repertor. von seltenen Büchern u. Schriften St. II. Nürnb. 1796. 8. p. 79. Cat. Bibl. *Lauhn.* P. II. p. 140.

1 7 1 7.

Repetita Daneti Editio. Londini 1717. 8.

Catal. Libror. *Musei Britann.* Vol. II. voc. *Phaedrus.* *Brüggemanni* View p. 641. coll. ann. 1688.

1 7 1 8.

Phaedri Fabular. Aesopiar. Libri V. ex recens. Gotefridi Richteri, Subconrect. Gymn. Vin. Jenae. 1718. 12. *Sumtu* J. F. Bielkii.

Omisit notas editor, earumque loco Indicem subjecit,

Gronouii, Gudii, Burmanni, Rittershusii, Schefferi, Dispontini, Hoogstratani suasque passim obseruationes exhibentem. Adjecit quoque indicem editionum Phaedri. In docta praefatione enarrat, quibus ex caussis hanc vel illam lectionem in textum receperit, et nouas quasdam conjecturas profert.

Acta Erudit. ad h. a. p. 343. Cat. Bibl. *Burm.* p. 310.

Phaedri Aug. Lib. Fabularum Aesopiar. Libri V. Cum integris Commentariis Marq. Gudii, Conr. Rittershusii, Nic. Rigaltii, Js. Neveleti, Nic. Heinsii, Jo. Schefferi, Jo. Lud. Praschii, et Excerptis aliorum. Curante Petro Burmanno. Hagae-Comitum, apud Henricum Scheuerleer. 1718. 8. maj. Edit. II.

Burmannus in praefatione: „Contenti, inquit, prioribus Commentatoribus hic et illic quaedam adjecimus, quae autori nostro explicando et illustrando facere viderentur.“ Aucta est editio praeterea Catalogo Editt. Phaedri, Notis Neveleti, et Appendice XXXIV. Fabularum, de qua mox. Plura dabit Jo. Fabricius in Hist. Bibl. Fabric. P. VI. p. 319. Videatur quoque Dictionn. bibliograph. hist. et crit. T. II. p. 384. Biblioth. Pinell. T. II. p. 359.

Prodiit etiam hic liber sub eodem titulo, eodemque anno Ultrajecti. 8. maj. Comprehendit haec editio Plagg. 44. sed altera, Hagae-Comitum impressa, Plagg. 47. praeter dedicationem, praefationes, vitam Phaedri, Judicia de eo, rel. Ex quo intelligi potest, hasce duas editiones esse diuersas. Memoratur autem haec editio in Diario litterario, cujus titulus est: Boekzael der Geleerde Werelt ann. 1718. m. Jul. n. 7. coll. Leipz. Gel. Zeit. ann. 1718. n. 78. p. 620. Meminit porro Catalogus Biblioth. ill. Comit. Teleki de Szek, edit. Vienn. 1796. 8. maj. P. I. p. 123. Adde Georgi A. B. L. P. III. p. 206.

Phaedri Fabulae c. Notis Variorum. Amstelod. 1718. 8.

Sub hoc titulo hanc editionem, de qua mihi non liquet, memorat *Lallemant.* l. c. p. 232. Fortasse repetitio

Edit. c. N. Var. *Amstel.* 1698. 8. apud *Wolters.* v. supra ann. 1698.

1 7 1 9.

Phaedri Fabular. Libri V. cum noua fabularum Appendice, ex MS. Divionensi, Rimicio, Romulo et aliis. Cura et studio Pet. Burmanni. Hagae-Comitum. apud Henr. Scheurleer. 1719. 12.

Haec editio, minor Burmanni prima, textum, ab ipso recensitum, exhibet sine notis, et habet appendicem fabularum XXXIV. Primum nempe Gudius fabulas quinque, e MS. Divionensi descriptas, in senarios redegerat. Quatuor ex his subjecit Burmannus editioni suae ann. 1698. Reliquas XXIX. idem e Rimicio, i. e. Romulo, Anonymo et Romulo Nilantii numeris suis redditas, juris publici fecit in editione ann. 1718. adjectis fabulis quinque, a Gudio in metrum redactis. Has igitur fabulas XXXIV. repetitas in hac editione minori I. appellat nouam appendicem. Sed ipse in praefatione ad editionem ann. 1727. libens agnoscit, longius saepe se a Phaedri manu aberrasse, licet multae voces et locutiones sint seruatae. Interpolatores illi enim, quos secutus fuit, verbosiores Phaedro, qui breuitatem semper jactat, exstitere. Lege quae hanc in rem scribit in Praef. Edit. ann. 1718. Appendix ista Gudiana multoque magis Burmanniana vix vllam, quae Phaedro digna sit, Desbillonio visa est fabulam continere in Praef. Disp. III. p. XXVIII. Sed quinque e Cod. Divion. descriptae fabulae haud Phaedro plane indignae videntur Bipontinis Editoribus, quorum vide Not. Litter. de Phaedro p. XXVII.

Catal. Bibl. Com. de *Reviczky* p. 145. Catal. Bibl. *Bunav.* T. I. p. 330. cf. ann. 1740. 1765.

Meminit Zeunius in Introd. in L. L. p. 57. Editionis Burmannianae ann. 1719. Amstelod. 12. excusae, vbi textus sit recensitus; quae nescio ab ea differat, quae hoc anno Hagae-Comitum lucem adspexit. At vero videtur esse similius, vnam eamdemque esse editionem, et Zeu-

nium Hagam cum Amstelodamo miscuisse. Dicit enim Burmannus in Praef. ad Edit. Leidens. ann. 1727. 4. „neque ipse post tres jam manu emissas editiones (1698. 1718. 1719. Hag. Com. 12.) tertia enim minoris formae in vsum puerorum, quibus ediscendus hic scriptor in scholis dari solet, a me curata fuit, vmquam speraueram, vberiorem a me in poetam hunc commentarium desideratum iri."

Phaedri, des Kaysers Augusti Freygelassenen, V. Bücher Esopischer Fabeln. In die reine deutsche Sprache übersetzt und mit lateinischen Phrasibus versehen. Halle. 1719. 12. Renger.

Krit. Beyträge. B. I. p. 482. Wilh. *Heinsii* A. B. L. T. III. p. 246. coll. infra Vers. german. ann. 1719.

1 7 2 1.

Phaedrus ordine Pithoei et Freinshemii digestus, ex emendatione Gudii et Burmanni recensitus, interpretatione Petri Daneti illustratus, historiis miscellaneis instructus, Notis germanicis explicatus, duobus Indicibus locupletatus, aliisque accessionibus pluribus auctus, in vsum Paedagog. Marburg. editus, a Jo. Casp. Santorocco. Marburg. 1721. 8. Typis et impens. Phil. Casim. Mülleri.

Cat. Bibl. *Burmann.* p. 237. cf. ann. 1751.

Phaedri Fabulae c. Aviani Fabulis et Not. Hoogstratani, alior. Patav. 1721. 12.

Funccius de immin. L. L. Senect. p. 98. *Georgi* A. B. L. T. III. p. 206. cf. ann. 1733. 1740. 1745. 1758. 1764. 1779.

Repetita Mich. Maittarii Editio. Londini 1721. 12. ex officina Jac. Tonson et Johannis Watts.

Brüggemanni View cet. p. 642. coll. ann. 1713.

Phaedri Fabular. Aesop. Libb. V. cum interpretatione Anglicana praxique grammaticali. Opera N. Bailey. Londini 1721. 8.

Thom. *Ruddimanni*, inclyti, quod in Scotia est, Jurisconsultorum collegii p. L. paene annos, Bibliothecarii,

Bibliotheca Romana, edit. *Edinburgi*. 1757. 8. p. 18. *Brüggemann*. Supplement to the View of the English Editions. p. 115. v. ann. 1728. 1732. 1744. 1751. 1754.

1 7 2 2.

Denuo prelo subjecta Petr. Daneti Editio. Lond. 1722. 8. maj.

Cat. Bibl. *Lauhn*. P. II. p. 132. *Brüggemanni* View cet. p. 641. coll. ann. 1688.

Phaedrus c. Not. Germ. Halae 1722. 12.

V. ann. 1715. Index Editt. Phaedri *Bipontin*. p. XXX.

1 7 2 3.

Phaedri Fabulae et Publii Syri Sententiae, hac sexta Editione auctiores; cum Not. et Emendatt. Tan. Fabri. Accedit et gallica Versio, fere de nouo reficta. Amstel. 1723. 8. ap. Dav. Paul. Marret.

Bibliotheque Angloise T. X. P. II. edit. ab *Armand de la Chapelle* Amstelodami 1723. 12. vbi vide Catal. libror. nouor. in quo liber memoratus sub prelo sudare dicitur. coll. *Leipz. N. Z. von gel. Sach*. 1722. No. 102. p. 1005. et supra ann. 1712.

1 7 2 4.

Phaedrus cura Jo. Georg Walchii, ad modum Minellii. Editio II. Lips. 1724, 12.

V. ann. 1713. Biblioth. *Aurivillii*. P. II. p. 160. edit. Vpsal. 1788. 8. Bibl. Acad. *Grypeswald*. T. II. p. 303.

1 7 2 5.

Phaedri Fabulae et Publii Syri Mimi, Sententiae, hac sexta Editione auctiores, cum Not. et Emendatt. Tan. Fabri. Accedit et gallica Versio, fere de nouo reficta. Hagae-Comitum. 1725. 8. Teste Brüggemanno, in cujus manibus erat liber, (Vid. Schedae Ejusd. p. 18.) sine mentione Bibliopolae et typographi.

V. Catal. Bibl. *Menken.* T. I. p. 240. Cat. Bibl. *Lauhn.* P. II. p. 133.

Haec editio videtur esse repetitio Edit. Amstel. ann. 1723. furtim facta. Vid. ann. 1723. Memorat tamen Wilh. Heinsius in A. B. L. T. III. p. 245. Editionem sub titulo: Phaedri Fabulae, Gallice et Latine, c. Not. Tan. Fabri. Amstel. 1725. (12 Gr.) An forte editio, quam ad ann. 1723. sub prelo sudasse dixi, anno demum 1725. lucem adspexit? An in Lexicon Heinsii vitium irrepsit typographicum, cum imprimendus esset ann. 1723? Judicent viri docti, quibus liber ad manus est!

Repetita Rob. Prevost Editio. Paris. 1725. 12. (8.) Armand.

Vid. *Lallemant* Catal raisonn. p. 233. et de Editt. Ph. ann. 1702.

1 7 2 6.

Phaedri Aug. Caesaris Liberti, Fabular. Aesopiar. Libri V. Interpretatione et Notis illustrauit Petr. Danetius, Academicus. Noua Editio emendata, Notis selectissimis, Appendice ad ejusdem fabulas, Publii Syri aliorumque veterum Sententiis aucta. Paris. 1726. 4. Barbou. (Editore P. Fabro.)

Biblioth. *Badenhaupt.* 212. n. 2429. *Dictionn. bibliograph. hist.* et *crit.* T. II. p. 384. coll. ann. 1675. et *Ephemer. Lips. litter.* ann. 1727. No. 47. p. 467.

P. Terentii Afri Comoediae, Phaedri Fabulae Aesopiae, Publii Syri et aliorum veterum Sententiae, ex Recensione et cum Notis Richardi Bentleji. Cantabrigiae ap. Cornel. Crownfield. 1726. Veneunt et Londini apud Jac. Knapton, Rob. Knaplock, Paul Vaillant, Bibliopolas 4. maj. Terentium excipit titulus specialis, et nouus paginarum ordo: Phaedri Aug. Lib. Fabular. Aesopiar. Libri V. Publii Syri et aliorum Veterum Sententiae. Recensuit et Notas addidit Rich. Bentlejus Cantabrig. apud Corn. Crownfield. 1726.

Basin fecit Editor textum Burmanni, qui est in edi-

tione 1718. sed eum pluribus locis cum ex ingenio, tum ex aliorum emendationibus mutauit, adeo quidem, vt Desbillonius obseruet, tres tantum in editione Bentleji quatuorue fabellas inueniri, quas hic non interpolauerit, ratione in notis satis imperatorie reddita. In quo cum audacius egisse videretur, eas correctiones sub examen seuerum vocauit Franc. Hare, Anglus, in epistola critica, quae Burmanni Editioni ann. 1727. subjecta est, edita Lond. 1726. 4. Ad examen autem notarum Bentlejanarum ita se conuertit Harius, vt fere ne vnicam quidem emendationem praetermittat, quam non contemnat, rejiciat, derideat, earum loco alias substituat, aut si probabilis illa videatur, eamdem sibi dudum in mentem venisse, eamdem olim orae libri sui appinxisse prae se ferat. Sed de his et aliis duriusculis non morari libet lectores. Harius tamen haud inutiles obseruationes hic illic inspersit. Neque etiam Bentlejus in omnibus conjecturis infelix fuisse existimandus est, quemadmodúm patebit e sequentibus.

Acta Erudítor. ad ann. 1727. p. 22. sq. *Fabricii* B. L. T. II. p. 33. *Desbillonii* Disp. III. cit. p. 29. sq. Addatur *Brüggemanni* View p. 642, sq. et Notit. Litter. Bipontin. p. XXX. coll. ann. 1727. 1738.

1 7 2 7.

Phaedri Aug. Lib. Fabular. Aesopiar. Libri V. cum nouo Commentario Petri Burmanni. Leidae 1727. 4. apud. Sam. Luchtmans.

Et a Hario et a Bentlejo audacter nimis Phaedrum esse emendatum, videbat Burmannus. Recte indignabatur, vulgatam lectionem toties sine caussa esse rejectam, ipsas conjecturas tam nudas proponi, denique MStorum Codicum et olim impressorum nullam fere rationem haberi, sed ab vtroque viro docto conjecturis nimium quantum tribui. Hac re impulsus nouum commentarium concinnauit, in quo omissis aliorum notis, veterem lectionem contra nouas conjecturas late tuetur, ita tamen, vt eamdem justo saepius negligat, et sine necessitate nouas substituat lectiones. Non tantum ad loca, tentata ab aliis, multa contulit, sed

etiam vbi aliae dictiones singulares, aut obscuriora quaedam, quae ad ipsas fabulas pertinent, occurrebant, diligenter notauit atque illustrauit ex antiquis Latinis Graecisque scriptoribus. Hic illic conjecturas attulit, interdum etiam aliorum auctorum loca emendauit, nec raro laudauit cum emendationes Bentleji et Harii, tum aliorum. Praeterea de reliquis interpretibus eorumque curis, vt de Jac. Gronouio, Gudio, Hoogstratano, Richtero aliisque judicium suum attulit. Sed tamen eruditissimus iste commentarius non immerito nimis prolixe a Burmanno scriptus videtur Bipontinis editoribus, vel in suis defendendis, vel in aliorum ausis confutandis. Atque etiam non sine veritatis specie monet Desbillonius, auctorem non pauca veterum testimonia adduxisse, quae fere nihil apposite ad Phaedri vel explicandas locutiones obscuras, vel comprobandam Latinitatem conferant; eumdemque longissimas disputationes, quae parum ad rem aliquando pertineant, instituisse magnaque contentione esse persequutum; nihilo vero secius non vnum locum minime explanatum reliquisse. Attamen si rite expendantur omnia, non dubitandum, huncce commentarium singulari quadam et eximia laude dignissimum, et Burmannianam Phaedri editionem principem esse omnium, e cujus lectione ad artis criticae cupidos summa redundabit vtilitas. Praefatio de re critica et modestia, in ea conseruanda, opposita est Bentleji audaciae. Quae etsi multum quoque loquentiae habet; tamen, vt omnes ferociores huius artis alumni eam legant, optandum. Eruditae praefationi subjunxit Burm. varias lectiones Codicis Perotti, quae multas emendationes Heinsii Gudii aliorum confirmant. Praefationes Editionum 1698. et 1718. Vita Phaedri, auctore Scheffero; Judicia et Testimonia de Phaedro; Catalogus Editionum; Fabularum Inscriptiones hic deficiunt; nec non Appendix fabularum ex MS. Divionensi. Subjectus ad calcem libri Epistola critica de Bentleji Emendationibus, auctore Franc. Hare, et Index, ab ipso Burmanno passim emendatus.

Vid. Acta Eruditor. ad ann. 1727. p. 434. *Desbillonii* Disp. III. cit. p. XXIX. Notit. Litter. *Bipontin.* p.

XXVII. XXX. Deutsche Acta Eruditor. T. II. p. 641. et quae notata sunt ad ann. 1726. Quibus addatur *Lallemant.* l. c. p. 234. sq.

Repetita est Terentii et Phaedri Editio, a Bentlejo curata. Amstelod. 1727. 4. maj. apud R. et J. Wetstenios et G. Smith. Editio secunda, exhibens Additamenta et Emendationes, manu ipsius Bentleji margini Editionis I. adscriptas. Vid. Leipz. N. Z. von gel. Sach. ann. 1729. No. 78. p. 707. coll. supra ann. 1726.

Phaedri Fabular. Aesopiar. Libb. V. c. Appendice. Recensuit et Commentariis illustrauit, nec non Indices adjecit Jo. Dav. Leonhardus. Jen. 1727. 12.

Adolescentulorum commodis inseruire voluit Editor. In constituendo textu celeberrimos sequitur viros, qui in emendando illo ingenium suum exercuere. Proprio nihil indulsit ingenio, si excipias vnum locum I. v. X. 9. vbi legit laudasti. In notis explicauit, quae ad indolem, puritatem et elegantiam latini sermonis spectarent, non omissis iis, quae ex antiquitatibus illustranda sunt. Maxime Gudii et Schefferi adnotationes in suos conuertit vsus. Locutiones difficiliores sermone expressit teutonico. Praemissa est Praefatio docta, qua generatim de ratione, doctrinam moralem per fabulas tradendi, speciatim de Phaedro ejusque stylo disseritur. Censuram libri vid. in Leipz. N. Z. von gel. Sach. 1729. No. 59. p. 540.

Funccius l. c. p. 99. *Meisneri* Cat. vniuersal. T. III. p. 420. coll. ann. 1743. de Editt. Phaedri.

Repetita P. Daneti Editio in vsum Delphini. Londini 1727. 8.

Brüggemanni View p. 641. coll. ann. 1688. 1675.

Phaedri Fabular. Aesopiar. Libb. V. ex Edit. Jo. Stirling. (cum versione Anglica prosaica) Edinburgi. 1727. 8.

Th. *Ruddimanni* Bibliotheca Romana. p. 16. coll. *Brüggemann.* Supplem. p. 115. et ann. 1734. 1738. 1744. 1750. 1771. et Version. Anglic. ad hosce annos.

Repetita est Gabr. Schumanni Edit. Hal. 1727. 12.

Cat. Bibl. *Lauhn.* P. II. p. 140. *Heinsii* Catal. vniuers. T. I. p. 606. coll. ann. 1715.

1727 — 1728.

Les Fables de Phédre, Affranchi d'Auguste, en Latin et en François, augmentées de plusieurs Fables et des Sentences de Publius Syrus, qui ne sont pas dans les Editions précédentes. Traduction nouvelle avec des Notes critiques, morales et historiques, qui en facilitent l'intelligence, et des Chifres qui en forment la Construction. A Paris chez les Freres Barbou. 1727. 12. pagg. 346.

Sic exhibetur titulus libri in Bibliotheque Françoise, ou Histoire Litter. de la France T. XI. Part. I. p. 26. edit Amstelod. 1728. 8. Librum impressum esse Parisiis sub finem ann. 1727. apud fratres Barbou, dicitur quoque in Leipz. N. Z. von gel. Sach. ann. 1727. No. 97. p. 963. coll. ann. 1728. No. 8. p. 73. Sed juris publici factum esse ann. 1728. docet titulus libri in Bibl. Badenhaupt. p. 230. No. 2594. coll. Desbillonii Disp. III. cit. p. XXV. F. de Blankenburg Zusätze cet. T. I. p. 547. et Lallemant l. c. p. 235. Editor libelli est Jo. Claud. Fabre, Oratorii Jesu sacerdos, idem, qui Fleuryi, Abbatis, historiam eccles. continuauit. Cf. Ephemer. Lips. Litter. l. c. Hanc editionem recensent Bipontini ad ann. 1727. titulo latine verso; eademque memoratur in Catal. libror. apud Paul. Vaillant prostantium, Lond. 1745. 8. p. 331. sub titulo: Les Fables de Phédre, Lat. Fr. avec des Notes Critiques et des Chiffres, qui en forment la Construction. Paris. 1728. 12. Ex quibus omnibus intelligitur, incertum esse, quem annum impressionis titulus libri prae se ferat. Ceterum Notae Editoris castigantur in Biblioth. Françoise l. c. p. 30. E Notis enim Roberti Prevost (vid. supra de Editt. Ph. ann. 1702.) exscripsit multa. Atque etiam castigatur haec editio in Journ. des Savans. ann. 1728. m. Martii.

1 7 2 8.

Phaedri Fabulae c. interpretatione Anglicana praxique grammaticali. Opera N. **Bailey**. **Londini** 1728. 8.

Brüggemann. l. c. p. 643. cf. ann. 1721.

Recueil des Fables d'**Esope** de **Phédre**, et de la **Fontaine**, qui ont rapport les unes aux autres, en Grec, Latin et François, avec de courtes Notes, par M. **Gaullyer**. A **Paris** 1728. 8.

Cat. libror. apud Paul. *Vaillant* prostant. p. 331. *Sched. Brüggemann.* p. 21.

Phaedri Fabular. Aesopiar. Libri V. c. Not. Var. a Petro **Burmanno**. **Lugd. Bat.** 1728. 8. Editio est anni 1718. **Hagae-Comit.** in 8.

Sic memorat hanc editionem *Biblioth. Pinellian.* T. II. p. 360. Eiam *Georgi* l. c. T. III. p. 206. meminit Editionis ann. 1728. 8. c. Not. Burmann. v. ann. 1698 et 1745.

Phaedrus c. Not. germ. Em. **Sinceri**. **Aug. Vind.** 1728. 8. apud Merz.

Bibl. J. J. *Schwabii.* P. I. p. 88.

1 7 2 9.

Repetita Mich. **Maittarii** Editio. **Lond.** 1729. 12. Ex officin. Jac. Tonson et Joann. Watts. Cum variantium Lectionum spicilegio. *

* Cat. Bibl. *Lauhn.* P. II. p. 133. v. ann. 1713.

Phaedri Fabulae. **Parisiis**, ex Typographia Regia. 1729. 4.

Lallemant Cat. Raisonn. p. 235.

Phaedri Fabulae et **Publii Syri**, Mimi, Sententiae. **Paris.** e Typograph. Regia. 1729. 16.

Hanc aeque splendidam ac raram editionem, impressam forma *16.* non *8.* vt statuunt Bipontini, memorat **Freytag** in Analect. de libris rariorib. p. *676.* „Rarissima, inquit, est haec editio. Caussa illius rei allata fuit in Catal. bi-

bliopolii Car. Levier p. 315. vbi haec leguntur: cette edition, qui est d'un très petit caractere, est faite dans le goût de celle de Jeannot; c'est le roi, qui en a fait la depense, de sorte qu'on n'en a tiré qu'un très petit nombre pour en faire present aux Seigneurs de la Cour." Coll. Baueri Bibl. libror. rarior. T. III. p. 194. In Dictionn. bibliograph. hist. et crit. T. II. p. 384. haec litteris consignata sunt: „il a été tiré de cette edition quelques exemplaires sur Velin, qui sont rares et precieux. Vend tel 145. Livr. chez Randon de Boisset et 131. Livr. chez Gouttard.

Crevenna l. c. T. III. p. 223. Edit. 1776. Cat. Bibl. Duc. de *Valliere*. T. II. p. 99. Cat. Bibl. Com. de *Reviczky* p. 145.

1 7 3 0.

Phaedrus c. Not. Em. Sinceri germ. Aug. Vindel. 1730. 8.

Bibl. *Schwarzian*, P. I. p. 119.

1 7 3 2.

Hoc anno Arn. Henr. Westerhouius Phaedri fabulas in vsum scholarum eleganter excudendas curauit. Hag. Comit. 1732.

Memoratur haec editio in *Leipz. N. Z. von gel. Sach.* ann. 1732. No. 86. p. 764.

Phaedri Fabulae c. interpretat. Anglicana praxique grammaticali. Opera N. Bailey. Londini. 1732. 8.

Brüggemanni View cet. p. 643. cf. ann. 1721.

1 7 3 3.

Phaedri Fabulae ex recens. Dav. Hoogstratani, in vsum Seminarii Patauini. Patavii 1733. 12. (8.)

Cf. Ephemer. *Noriberg.* litter. ann. 1780. p. 74. *Paitonus* in Bibl. degli Autori antichi Greci e Latini volgarizzati T. II. p. 67. notat, Phaedri fabulas c. Not.

Hoogstratani saepius in vsum Seminar. Patav. fuisse excusas. v. ann. 1721.

1 7 3 4.

Phaedri Fabular. Aesopiar. Libb. V. With a literal Translation by Ja. Gibb. **Edinburg.** 1734. 8.

Th. *Ruddimanni* Biblioth. Romana p. 16. *Brüggemann.* Supplement to the View of the English Edit. p. 115. v. Version. Angl. ann. 1734.

Phaedri Fabulae. With Improvements in a new Method, (and an English translation) by J. **Stirling. Londini.** 1734. 8.

Brüggemanni View p. 643. coll. ann. 1727. 1744. 1750. 1771.

Phaedri Fabulae selectae, Latine, Anglice, Gallice. Fifty instructive Fables of **Phaedrus**, in Latin, English and French. Attempted after a new Method, for the more speedy Improvement of Youth in Schools. Translated into Englisch by **Daniel Bellamy**, formerly of St. John's College in Oxford, and illustrated with fifty curious Cuts, copied from the Designs of the best Masters. **London.** 1734. 8.

Brüggemanni View of the English Editions. p. 644. sq.

Eodem anno repetita est Roberti **Prevost** Editio. **A Paris.** Chez Nicolas-Pierre Amand, Libraire, rüe St. Jacques, à S. Benoît. 1734. 8. (12.) Avec Privilege de Sa Majesté.

Obscenas Phaedri fabulas fere omnes interpolauit Editor. Sic. legitur L. I. F. XVIII. v. 7.: **Malum finiri, qui mihi suspectus est;** L. I. F. XXIX. 7. **demisso pede;** L. III. F. III. 5. **Agnos informi capite;** v. 10. **infelices liberos;** v. 17. **Quod aequum est da tuis pastoribus;** L. III. F. XI. 1. **Cum quodam litigabat claudus improbo;** v. 3. **inualidi corporis;** v. 5. **Te persequendi quia copia desit mihi;** Lib. IV. F. XIV. omissa. Nec dubitandum, quin Editiones ann. 1702 et 1725. eodem modo contaminatae sint. Ad calcem Libri V. adjectae sunt quinque Fabulae, a Gudio

ex Manuscripto Divionensi descriptae et numeris suis redditae.

De hoc libro, cf. ann. 1702. de Editt. Phaedri et Vers. Gall. ann. 1702. coll. Burmann. ad L. III. F. III. init.

1 7 3 5.

Recusa P. Daneti Editio in vsum Delphini. Londini. 1735. 8.

Brüggemanni l. c. p. 641. coll. ann. 1688. 1675.

Le Favole di Fedro, Liberto d'Augusto, tradotte in versi volgari da Giovan-Grisostomo Trombelli, Canonico Regolare del Salvadore. In Venezia appresso Francesco Pitteri, in Venezia all' Insegna della Fortuna Trionfante. 1735. Con licenza de' Superiori, e Privilegio in 8. (Edit. I.)

Subjunctus est huic editioni textus Phaedri, teste Paitono in Bibliotheca degli autori antichi Greci e Latini volgarizzati. T. II. p. 67. cf. ann. 1739. 1749. 1752. et versiones Italicas ad hosce annos. Adde Schedas Brüggemann. p. 24.

Phaedri Fabulae in Corp. omnium veter. Poëtar. Latinor. c. eorumdem Italica versione, edit. ab ann. 1731 — 1765. Mediolani in Regia Curia, Tomis XXXVI. 4. Vid. Bibliotheca Badenhaupt. p. 206. n. 2354—2389. Exstat Phaedrus T. X. p. 1. sqq. excus. 1735. non 1741. quod volunt Bipontini. Vid. Not. Litter. Bip. p. XXXI. Praefixa est Vita Phaedri, ab Argelati italice scripta: addita versio Italica, de qua v. infra version. ital. ann. 1735. Notae interpretis ad Phaedrum laudantur in Ephemer. Lips. litter. germanice script. 1737. p. 49. sq.

Recusa est Walchii Editio tertia. Lips. 1735. 12.

Heinsii Catal. vniuersal. T. I. p. 606. Notit. Litter. *Bip.* p. XXXI. coll. ann. 1713. 1724.

Phaedrus c. Not. germ. Em. Sinceri. Aug. Vind. 1735. 8.

Notit. Litter. *Bipont.* p. XXXI. coll. I. Sam. *Heinsii.* Cat. vniuers. T. I. p. 606.

1 7 3 7.

Phaedri Fabulae c. Not. Burmanni. Amstelod. 4. (1 Rthlr.)

Ita exhibetur hujus Editionis titulus in Georgi Europ. Bücher-Lex. Supplem. I. p. 287. Sed in Jo. Sam. Heinsii Catal. vniuersal. T. I. p. 606. et Wilh. Heinsii Allg. Büch. Lex. occurrit sub titulo: Phaedri Fabulae c. Commentar. Varior. edidit P. Burmannus. Amstel. 1737. 4. (1 Rthlr.) De hac Editione nondum satis compertum habeo.

Phaedri Fabulae. Lugd. 1737. 8.

Cat. Bibl. *Burmann.* p. 237.

1 7 3 8.

Repetita Bentleji editio Terentii, Phaedri et Publii Syri. Londini ap. J. et P. Knapton. 1738. Edit. III.

Memoratur haec editio in Leipz. N. Z. von gel. Sach. ann. 1739. No. 9. p. 69. mens. Jan. vbi haec: „Folgendes Werk ist bey J. und P. Knapton in 4. neu aufgelegt: P. Terentii Afri Comoediae; Phaedri Fabulae Aesopiae; Publii Syri et aliorum Veterum Sententiae, ex rec. et cum Not. Rich. Bentleji.“ v. ann. 1726.

Phaedri Aug. Lib. Fabular. Aesopiar. Libri V. recensuit et facili solutaque paraphrasi in vsum scholar. exposuit Jo. Nic. Funccius, Marburgensis. Rintel. 1738. 8. Litteris et Sumtibus Jo. Godofr. Enax Acad. Typ. Edit. I.

Cat. Bibl. *Christ.* P. II. p. 254. coll. ann. 1765. 1769.

Phaedri Fabular. Aesopiar. Libri V. Cura Joann. Stirling. Londini. 1738. 8.

Brüggemann. Supplem. to the View of the English Editions. p. 115.

— — c. Not. Em. Sinceri. Aug. Vind. 1738. 8. ap. Merz et Meyer.

1 7 3 9.

Phaedri A. Lib. Fabular. Aesopicar. Libri V. nunc

denuo editi in vsum Scholarum piarum, c. Notis. Florentiae ex Typographia Petri Cajetani Viviani. 1739. 12.

Editor, P. Leonard. Targioni, rescidit nonnulla, quae puerorum pudori obesse putaret, Vocumque difficiliorum interpretationem, lingua Italica scriptam, adjècit. Sed vereor cum S. V. Brüggemanno, ne Editio Florentina ann. 1741. quam memorant Bipontini, sit eadem haec. Illa recensetur in Diario litterario, quod inscribitur: Journal des Savans, Janvier 1741. p. 129. Hinc error fortasse ortus.

Repetita Jo. Chrysostomi Trombelli Editio, exhibens textum Phaedri c. versione Italica metrica. Editio secunda. Ven. 1739. 8.

V. ann. 1735.

1740.

Fabulae Aesopi ac Phaedri selectae. Genev. du Villard. 1740. 8.

Bibliotheca *Maucleriana*. *Sedini*. 1744. 8. p. 178.

Phaedri Aug. Lib. Fabular. Aesopiar. Libri V. ad exemplar Burmannianum recensuit, suasque Adnotationes adjecit Jo. Mich. Heusinger. Isenaci. 1740. 8.

Vtilis editio! Textus ad editionem Burmanni ann. 1727. 4. recusus est. Lectionis varietatem, in scriptis editisque libris obseruatam, adjecit Editor; nec doctorum virorum conjecturas praeteriit, earumque rationes, quantum per breuitatis studium fieri potuit, exposuit. Si a scriptura Burmanniana sibi recedendum putaret, quod tamen raro, nec sine caussa, factum esse video, silentio non praetermisit. Notulae critici plerumque sunt argumenti et breues.

Hambergers kurze Nachr. von den alten Schriftstellern im Auszug. T. I. p. 288. Cat. *Vandenhoek*. T. II. p. 247. coll. ann. 1772. 1800.

Phaedri et Fl. Auiani Fabulae cum Adnotationibus ad vtrumque. Accedunt Fabulae Graecae, Latinis respondentes, et Homeri Batrachomyomachia. Patav. 1740. 12.

Vid. *Harlesii* Notit. breuior. Litter. Roman. p. 438. coll. ann. 1721.

Phaedri Aug. Lib. Fabular. Aesopiar. Libri V. cura P. Burmanni. Lugd. Batav. 1740. 12. ap. Langerak. Plagg. 8.

Forte haec editio, edita, vt videtur, in vsum puerorum, non differt ab ea, quam Bipontini Lugd. Bat. in 8. prodiisse contendunt. Vid. Not. Litt. Bip. p. XXXI.

Catal. *Vandenhoek* T. II. sub *Phaedrus*. *Georgi* l. c. P. III. p. 206. *Meisneri* Cat. vniuers. T. III. p. 420. coll. ann. 1719. 1765.

1 7 4 1.

Phaedri Fabulae, ex Edit. Dav. Hoogstratani. Amstel. 1741. 8.

Biblioth. *Pinellian.* T. II. p. 360. V. ann. 1699.

Phaedri Fabb. Aesopicar. Libri V. cura P. Burmanni. Glasguae. Urie. 1741. 12.

Biblioth. *Pinellian.* T. II. p. 360. *Brüggemanni* View p. 643. coll. ann. 1751. 1754. 1762. 1783.

Phaedri Fabulae. Accedit Auienus et Fabulae quaedam Graecae et Latinae. Etonae. 1741. 8. Passim adspersae Notulae.

Possidet hanc editionem Bibl. Electoral. Dresd. splendida. V. cl. *Dasdorfii* Schedae.

1 7 4 2.

Phaedri Aug. Lib. Fabular. Aesopiar. Libb. V. ad optimas quasque Editiones emendati, c. Auiani fabulis et Publii Syri Sententiis. Paris. apud Coustelier, typis Jos. Barbou. 1742. 12.

Curauit hanc editionem splendidam Jo. Bapt. le Mascrier, Abbas, qui prouidere vel neglexit, vel non potuit, ne mendis siue propriis, siue typographicis, nec paucis, Litteratores offenderet. Hoc testatur Desbillonius l. c. p. XXXIV. coll. Lallemant Cat. raisonn. p. 236.

Cat. Bibl. *Krohn.* p. 214. Cat. Bibl. de *Boze.* p. 188.

Burmanniana minor Phaedri Editio, c. Appendice recusa Berolin. 1742. 12. Gohl. Edit. quinta, habens textum Burmanni, sine notis.

Cat. Bibl. *Lauhn.* P. II. p. 139. cf. ann. 1752. 1767.

Phaedri Fabulae. Goettingae. 1742. 12.

Notit. Litter. *Bipont.* p. XXXI.

Phaedri Fabb. sine Notis. Paris. 1742. 12. maj. Haak. (8 Gr.)

Cat. *Vandenhoek.* T. II. p. 247.

1 7 4 3.

Phaedri Fabulae. J. D. Leonhardus Commentariis ac Indicibus instruxit, jam nunc collectione phrasium et sententiarum Phaedrinarum annexa recognouit M. Gottfr. Buchnerus. Jen. 1743. 12. apud C. H. Cuno.

De hac Editione V. supra ann. 1727. Sed de Notis Buchneri et Collectione phrasium, libro adjectis, ita judicant Bipontini: „Buchnerus leuibus notulis, passim additis, et futili illa phrasium collectione supersedere potuit."

V. Notit. Litter. de Phaedro *Bipont.* p. XXXI.

1 7 4 4.

Phaedrus c. Not. german. Hal. 1744. 12. Renger.

Cat. *Vandenhoek.* T. II. sub *Phaedrus.* coll. supra ann. 1715.

Phaedri Fabulae c. interpretatione Anglicana praxique grammaticali. Opera N. Bailey. Londini. 1744. 8.

Brüggemanni View p. 643. cf. ann. 1721.

Recusa Jo. Stirling Editio Londini. 1744. 8. c. vers. prosaic. Anglic.

Brüggemanni View p. 643. *Ej. Schedae* p. 23. coll. ann. 1727.

1 7 4 5.

Phaedri et Auiani Fabulae, cum Adnotationibus. Accedunt fabulae graecae latinis respondentes et Homeri Batrachomyomachia. Patauii et Bassani. 1745. 12.

Catal. Biblioth. ill. Comit. *Teleki de Szék.* P. I. p. 123. edit. *Viennae.* 1796. 8. maj.

The Fables of Phaedrus translated into English prose, with the latin text, order of Construction, and Notes in English. London. 1745. 8.

Gentleman's Magazine for March 1745. p. 168. coll. *Brüggemann.* l. c. et Vers. Anglic. ann. 1745.

Phaedri Fabular. Aesopiar. Libri V. Latin and in English Prose with Notes by Edw. Jamieson for Davidson. Lond. 1745. 8.

Th. *Ruddimanni* Biblioth. Roman. p. 16. *Brüggemann.* Supplement to the View of the Engl. Editions. p. 115. *Harwood's* Uebersicht verschied. Ausg. der Griech. u. Röm. Classiker, übersetzt von *Alter.* p. 239. coll. Vers. Anglic. ann. 1745.

Phaedrus in vsum Delphini edit. per P. Danet. Londini. 1745. 8.

Catal. Bibl. *Thott.* T. IV. p. 348. coll. ann. 1688. 1675.

Repetita Burmanni Editio c. Not. Varior. Lugd. Bat. non Amstelodami, 1745. 8. maj. apud Sam. Luchtmanns et F. Edit. III.

Auctus est liber Indice Editionis majoris Burmanni in 4. Cum in Bibliotheca Badenhaupt. p. 229. n. 2593. et Cat. Bibl. Menken. P. I. p. 240. haec editio dicatur tertia; Editio Burmanni, quam supra ad ann. 1728. memoraui, esse videtur editio anni 1718. c. Not. Varior. renouato tantum titulo. Cf. supra ann. 1698.

1 7 4 6.

LXXIII. auserlesene Fabeln Phaedri, sammt einer daraus gezogenen Sylloge Vocabulorum, und Samlung der vornehmsten Phrasium und Sententiarum, den ersten Anfängern in der Lat. Sprache zum besten herausgegeben von Jo. Jac. Schatz. Jena und Weissenfels 1746. 8. ap. Jo. Christ. Croeker.

Heinsii Catal. vniuersal. T. I. p. 606. coll. ann. 1756. 1761. 1776.

Phaedrus c. Not. Em. **Sinceri** german. **Aug. Vindelic.** 1746. 8.

1 7 4 7.

Phaedri Fabulae c. Not. Em. **Sinceri. Aug. Vindelic.** 1747. apud Merz et Meyer.

Leipz. Mich. Mefskatalog. 1747.

1 7 4 8.

Phaedri Augusti Liberti Fabulae. Ad MSS. Codd. et optimam quamque editionem emendauit **Steph. And. Philippe.** Accesserunt Notae ad calcem. **Lutetiae Paris.** Sumptibus Joan. August. Grangé M.DCC.XLVIII. **Flavii Aviani** Fabularum Aesopiarum Liber vnicus. Accurante **Steph. And. Philippe. Lutetiae Paris.** Sumptibus Joan. August. Grangé. M. DCC. XLVII. it. L. Annaei **Senecae** ac P. **Syri Mimi** Sententiae. Cum Notis J. **Gruteri.** 12. Prolegg. p. XLVIII. et pagg. 305. (Cum figuris aeri incisis.)

Complectitur Editio Phaedri Vitam poëtae a Joann. Scheffero compositam; Judicia et Testimonia de Phaedro; Indiculum Editionum Phaedri, in quo Editiones LXII. memorantur; Delectum Variarum Lectionum, in quo tamen mira quadam Editoris oscitantia semper scriptum inuenias MS. Par. pro, Perott. Non enim objici potest, typothetam mutauisse Per. in Par. cum vero non sit simile, hunc semper et tam saepe in eadem voce errare potuisse, vt recte notauit Desbillonius in Disp. III. p. XXXIV. Delectum variarum lectionum excipiunt fabulae Phaedri, cum Appendice Fabb. XXXIV. Ad calcem libri adjectae sunt Notae in **Phaedrum, Appendices,** et **Avianum,** ad Glossarii formam exactae, et **Notae peculiares** in aliquot Phaedri fabulas.

De hac Editione, typis nitidis et elegantibus impressa, ita judicant Bipontini : „vsus est Editor Annotationibus ineditis Nat. Steph. **Sanadon,** qui Editionem Phaedri meditatus erat; neque illum puduit, ejus, qui praeiuerat, nomen dissimulare. Sanadonius profecto in hoc elegantio-

rum litterarum genere versatus erat maxime, sed aduersus emendandi pruriginem non satis firmus, ipso Brotierio in Praef. Phaedri sui (p. XIV.) judicante; quod quidem ex Philippei Editione satis superque patet.“ Cum quibus comparabis, quae obseruat Desbillonius l. c. p. XXXIV. „In hac Editione et inueniuntur aliquot versus subditii, et alii plures, qui Phaedri sunt, excluduntur, ac denique passim ab Editionibus probatissimis receditur. Monet etiam Gabriel Brotier vsum esse Stephanum Philippe Annotationibus Sanadonis nostri ineditis, miraturque, quod nusquam ab ipso nominatus fuerit, per quem se profecisse crederet. Sed laborem ille fortasse in hanc Editionem illaudabilem tenuissimum contulit: memini enim, cum Josephus Valart mihi olim Parisiis diceret, se procurando omni operi ordinandoque praefuisse.“

In indice Editionum, huic Editioni praefixo, inueni hunc libri titulum: „Phaedri Fabulae. Ad MSS. Codd. et optimam quamque Editionem emendauit Steph. And. Philippe. Sumptibus Jo. Aug. Grangé: typis C. F. Simon. Lutet. Paris. 1747. 12. cum Iconibus aeneis; carta Gallica vel Batauica.“ Hinc factum est, vt nonnulli librum assignarent anno 1747. vt Bipontini, in Notit. Litt. de Phaedro p. XXXI. Brotier. in Indic. Editt. Phaedri et in Praef. p. XIV. Desbillonius, qui loco paullo ante cit. affirmat, librum impressum esse Parisiis apud Barbou? anno 1747. Equidem minime negauerim, eumdem dicto anno esse excusum. Leguntur enim p. 275. haec: „Typis C. F. Simon, Reginae, nec non D. Archiepiscopi Parisiensis Typographi. 1747.“ At vero cum titulus fabulis Phaedri praefixus, prae se ferat annum 1748. quo scilicet liber juris factus est publici, rectius huic adscribitur, quam anno impressionis 1747. id quod factum in Catal. Biblioth. Badenhaupt. p. 201. No. 2299. Harlesii Notit. Litt. R. p. 439. vt omittam alios.

Cf. Notata ad ann. 1753. et 1754. *Lallemant.* Cat. raison. p. 236. *Journal des Savans.* Dec. 1748. p. 553. Cat. Biblioth. *Rottböll.* Havn. 1798. 8. p. 93. *Luxdorph.* P. II. p. 464.

1 7 4 9.

Recusa Hoogstratani Editio. Harderovici. 1749. 8.

Notit. Litter. *Bipont.* p. XXXII.

Le Favole di Fedro, Liberto d'Augusto, tradotte in versi volgari da Giovan-Grisostomo Trombelli, Canonico Regolare del Salvadore. Terza Edizione. In Venezia appresso Francesco Pitteri, in Venezia all' Insegna della Fortuna Trionfante. 1749. in 8.

V. supra ann. 1735. et vers. Italic. ad h. a.

1 7 5 0.

Phaedri Aug. Lib. Fabular. Aesopiar. Libri V. cum Indice verborum locupletissimo. Londin. 1750. 16. Typis J. Brindley.

Bipontini Editores hanc editionem anno 1730. adsignant. Falso. Teste enim Brüggemanno, editiones veterum Auctorum Classicorum, a Brindlejo impressae, lucem adspexerunt ab anno 1744 — 1774. Phaedri autem editio prodiit 1750.

Biblioth. *Breitkopf.* p. 25. Biblioth. *Badenhaupt.* p. 199. *Crevenna* l. c. T. III. p. 224. Ed. ann. 1776. Cat. Bibl. Com. de *Reviczky.* p. 145.

Phaedri Fabulae. Edente Joann. Stirling. Editio quinta. Londini Astley. 1750. 8.

Meminit Editionis *Lallemant* l. c. p. 237. cf. ann. 1727. de E. Ph.

Phaedrus c. Not. Fr. Chr. Schönau. Hauniae. 1750. 12.

Bibl. *Thott.* T. IV. p. 369.

1 7 5 1.

Phaedri Fabular. Aesopiar. Libri V. ex recensione Alex. Cuninghami, Scoti. Accedunt Publii Syri et aliorum Veterum Sententiae. Edinburgi, apud Hamilton et J. Balfour. 1751. 8.

Brüggemanni View p. 643. V. quoque ann. 1757.

Phaedri Aug. Lib. Fabular. Aesopiar. Libri V. ex recensione Petri Burmanni, c. Publii Syri Sententiis. Glasguae, in Aedibus Acad. Excudebant Rob. et Andr. Foulis. 1751. 8. (12.)

Crevenna l. c. T. III. p. 224. Ed. 1776. Dictionn. bibliograph. T. II. p. 385. coll. ann. 1741.

Phaedri Fabulae c. Interpretatione anglicana praxique grammaticali. Opera N. Bailey. Londini. 1751. 12.

Brüggemanni View p. 643. v. supra ann. 1721. et Vers. anglic. 1721.

Phaedri Fabb. Lat. et Gallice c. Adnotatt. et Fabulis Fontanii. Wratislav. 1751. 8.

V. infra Versiones gall. 1751. et de Editt. Phaedri 1762. 1775.

Repetita Editio Walchii IV. Lips. 1751. 12.

Cat. Bibl. *Lauhn.* P. II. p. 139. coll. ann. 1713.

Phaedrus c. Not. Santoroci. Giessae 1751. 8.

Notit. Litter. *Bipont.* p. XXXII. cf. ann. 1721.

1 7 5 2.

Phaedri Fabulae Lat. et Italice c. Adnotationibus, Editore et Interprete Jo. Chrysostomo Trombelli. Mediolani. 1752. 12.

Paitoni Biblioteca degli Autori antichi Greci e Latini. T. II. p. 67. in Venezia 1766. 4. v. supra ann. 1735. et infra Versiones Italicas. ann. 1752.

Burmanniana minor recusa Berolini. 1752. 12. Edit. VI.

1 8 0 2.

Des Phaedrus Aesopische Fabeln, prosaisch übersetzt, mit einem antiquarischen Wörterbuch erläutert und zu einem durchaus faſslichen und unanstöſsigen Lesebuch bearbeitet von D. E. F. G. Oertel. Anspach. 1802. 8. Haueisen.

Allg. Bücherverz. Ostermesse 1802.

2) *In Belgio.*

1 6 7 2 — 1 6 9 5.

Belgica Phaedri versio, incertum quo interprete, excusa est c. Phaedri fabulis, ex Tan. Fabri et hominis cujusdam litterati recensione. Lugd. Bat. 1672. 8. Apud viduam Charpentier.

V. de Editt. Phaedri ann. 1672.

Joann. Hilaridis Versio belgica prodiit Franequerae. 1694. 8.

Fabricii B. L. T. II. p. 31. *Mülleri* Einleit. in d. A. S. T. V. p. 100. coll. ann. 1694. de Editt. Phaedri.

Phaedrus Esoopische Vertellingen, in Neederdujtsen Dichte vertaald door Johannes Hilarides. On by deezen tweeden Druk aader oovergesien; veel verbeeterd en vermeerderd. Te Dokkom. By Joh. Hilarides — 1695. 8.

Cf. *Fabricius* l. c. p. 34. Not. Litt. *Bipont.* p. XXVI.

1 7 0 4.

Ezopische Fabelen van Fedrus in nederduitsch Dicht vertaelt door D. van Hoogstraten. Amsterdam. 1704. 4. c. figg.

Crevenna l. c. T. III. p. 224. Edit. ann. 1776.

1 7 1 8.

Hoc anno Jo. Jac. Slater, Schol. Campens. Rector, denatus sub initium ann. 1719. specimen Versionis Phaedri belgicae, metrice compositae, excudendum curauit in Diario belgico, quod inscribitur: Maendelyke Uittreksels, versioni Hoogstratani, judicantibus artis peritis, longe anteponendum.

Leipz. N. Z. von gel. Sachen. 1718. No. 81. p. 641. coll. ann. 1719. No. 53. p. 419.

3) *In Italia.*

1 7 3 5.

Le Favole di Fedro — tradotte in versi volgari da Giovan-Grisostomo Trombelli. — In Venezia. 1735. 8.

V. supra de Editt. Phaedri ann. 1735. coll. F. de *Blankenburg* Zusätze T. I. p. 547. et Vers. Ital. 1739. 1749. 1752. 1775.

Corpus omnium veterum Poetarum Latinorum cet. Raccolta di tutti gli antichi Poeti cet. Tomo decimo contiene li cinque libri delle Favole di Fedro tradotti da un' Anonimo Veneziano, e l'Etna di Cornelio Severo, tradotto dal Dottor Claudio Nicola Stampa P. A. Milano. MDCCXXXV. Nel Regio Ducal Palazzo. Con licenza de Superiori. in 4.

Testatur Paitoni in Biblioteca degli autori antichi Greci et Latini volgarizzati T. II. p. 67. auctorem interpretationis esse Luigi Giusti, Abbatem.

V. de Editt. Phaedri ann. 1735. F. v. *Blankenburg* l. c. Cat. Biblioth. *Bünav.* T. I. p. 330.

1 7 3 9.

Le Favole di Fedro — tradotte in versi volgari da Giovan-Grisostomo Trombelli. — Seconda Edizione. In Venezia. — MDCCXXXIX. — in 8.

V. de Editt. Phaedri ann. 1735. et Vers. Ital. ann. 1735.

1 7 4 9.

Le Favole di Fedro — tradotte in versi volgari da Giovan-Grisostomo Trombelli — Terza Edizione. In Venezia. MDCCXLIX. in 8.

V. de Editt. Phaedri ann. 1735. et Vers. Ital. ann. 1735.

1 7 5 2.

Phaedri Aug. Lib. Fabulae cum Adnotationibus cet. Le Favole di Fedro Liberto d'Augusto tradotte in versi volgari dall' Abate D. Giovan-Grisostomo Trombelli, Canonico Regolare del Salvadore. In Milano. MDCCLII. Nella Stamperia della Biblioteca Ambrosiana appresso Giuseppe Marelli. in 12. Edit. IV.

Cf. Biblioteca degli Autori antichi Greci et Latini volgarizzati di Jacopomaria *Paitoni*. T. II. p. 67. Ven. 1766. 4. it. de Editt. Phaedri 1735. et paullo ante ann. 1735.

1 7 6 3.

Le Favole di Fedro, e d'Aviano, e la Batracomiomachia d'Omero tradotte in versi volgari dal Signor D. Antonio Migliarese, Patrizio ed Accademico di Tropea. In Napoli. MDCCLXIII. Nella Stamperia Abbaziana. Con Licenza de' Superiori. in 8.

Paitoni l. c. p. 68. F. v. *Blankenburg* Zusätze. T. I. p. 547.

1 7 6 5.

Le Favole di Fedro tradotte in Verso Toscano. In Napoli. MDCCLXV. Nella Stamperia Simoniana con Licenza de' Superiori. In 4. grande.

Editor et Interpres Azzolino Malaspina (non Malespina v. Blankenburg l. c. T. I. p. 547.) de Marchesi di Fosdinovo. Vid. Dedicationem ad Electricem Saxoniae viduam. Laudant hanc versionem Bipontini in Not. Litt. p. XXIX. v. Blankenburg l. c. Adde Neue B. d. S. W. T. III. P. II. p. 347.

1 7 6 6.

Le Favole di Fedro ripurgate, e in volgar Prosa Toscana recate, al riscontro del Testo Latino, con Annotazioni di Sebastiano Zappalà. Catania. 1766. 8. Edit. I.

V. ann. 1766. de Editt. Phaedri.

1 7 7 5.

Le Favole di Fedro tradotte in versi volgari da Giovan-Grisostomo Trombelli. Venezia. 1775. 8. Edit. V. v. ann. 1735. 1739. 1749. 1752.

Vid. Catal. Libror. Italic. qui prostant ap. Viduam Jos. Curione. Lipsiae.

Le Favole di Fedro, Liberto d'Augusto, Libri cinque, tradotte da Nicola Landucci. Viterbo. 1775. 12.

1 7 7 8.

Le Favole di Fedro tradotte da Sebast. M. Zappalà, col Testo Latino a fronte. Catania. 1778. 12. Edit. II.

Vid. Catal. Libror. qui prostant *Venetiis* apud Jos. *Remondini* impress. 1785. p. 191. coll. de Editt. Phaedri ann. 1778.

1 7 8 3.

Le Favole di Fedro in volgar prosa Toscana recate ed illustrate con note di M. Zappalà; col testo latino a fronte. Catania. 1783. 12. Edit. III.

Catal. Bibliopolii Jos. *Remondini* et Filior. cit. p. 535.

1 7 8 4.

Le Favole di Fedro ripurgate in volgar prosa Toscana recate a riscontro del Testo Latino, ed illustrate con note di varie maniere per Sebastiano M. Zappalà. Venet. 1784. 12.

Cf. Catal. *Typographiae Remondinianae*. p. 46. impress. 1788.

Not. 1. *Argellati* in *Biblioteca de Volgarizzatori* memorat italicam fabularum Phaedri versionem, interprete *Angelo Maria Ricci Florent.* 1736. 8. Sed probat *Paitoni* in Biblioteca degli autori Greci e Latini volgarizzati. T. II. p. 68. Argellatum errauisse.

Not. 2. In recensendis versionibus et Editionibus Phaedri Italicis quam plurima debeo S. V. Brüggemanno.

4) *In Gallia.*

Saepissime Phaedrus in linguam gallicam translatus est, cum a Gallis, tum a Germanis. Vt enim omittam Anonymos, e Gallis nominandi sunt:

1) Albinus (St. Aubin) cujus verum nomen est Isaac le Maître de Sacy. (Vide supra de Editt. Phaedri ann. 1647.) Desbillonius eum appellat Porturegiensem interpretem, (Port-Royal. v. Ej. Praef. Disp. III. p. XXV.) sic dictum a monasterio Portroyal des Champs, in quo aliquam diu commoratus est.

2) Portroyal, i. e. Claud. Lancelot, Ordini Benedictinorum adscriptus. Itidem vixit aliquamdiu in monasterio Port-Royal des Champs, vbi tradidit praecepta litterarum, quae ad humanitatem pertinent. Libris, quos edidit, nomen suum non praefixit. Hinc appellatus est Portroyal, a loco domicilii. Denatus 1695. Nomen Portroyal legitur apud Baylium in Lexico sub Phaedrus. Sed cum Baylius dicat, Fabrum Salmuriensem in versione Phaedri gallica, a Porturegiensi interprete (Portroyal) profecta, et collaudata a Moreri, non pauca deprehendisse errata; Faber autem in gallicam Albini interpretationem, non Lanceloti, obseruationes vulgauerit criticas (V. de Editt. Ph. ann. 1664.) in loco Baylii Albinus, non Lancelotus, intelligendus est. At vero Lancelotus, Phaedri interpres, memoratur in N. Leipz. Z. von gel. Sachen 1729. No. 18. p. 156. et Bibl. Françoise. T. XI. P. I. p. 27. item in Grand Dictionn. Hist

par Moreri. T. V. p. 38. Edit. Amstel. 1740. f. Sub Claud. Lancelot, vbi haec memoriae prodita sunt: „il a traduit les Fables de Phédre et quelques Comedies de Terence purgées de leurs saletez. Ces ouvrages lui ont aquis beaucoup de reputation parmi les gens de Lettres," denique in Baylii Dict. Hist. et Crit. T. III. p. 46. Edit. Amstel. 1740. f. „Claude Lancelot a composé plusieurs bons Livres: une Traduction Françoise des Fables de Phédre et une autre de quelques Comédies de Terence." Quae vero, comparentur cum iis, quae notamus ad Version Gallic. ann. 1646. non sine caussa vereor, ne viri docti, modo nominati, attribuerint Lanceloto, quod attribuendum erat Albino, seu Isaac le Maître de Sacy. Facile autem fieri poterat, vt miscerent vtrumque, cum vterque in monasterio Port-Royal des Champs commoratus fuerit, a quo vtrique nomen Portroyal fuit inditum.

3) Sibour, cui debetur versio metrica. V. mox ann. 1689.

4) Prevost, qui vocatur a Desbillonio (Praef. Disp. III. p. XXV.) Robertus Prevost; a F. de Blankenburg (Zus. T. I. p. 547.) Claud. Prevost; a Brotierio et Bipontinis Renatus Prevost. At verum nomen videtur esse Rob. Prevost. Vid. Allg. Regist. über die Götting. Anzeig. von 1753 — 1782. p. 1191. et Vers. gall. 1702. 1734.

5) L. Tranquille Denise. Vid. mox ann. 1708.

6) Jo. Claud. Fabre, Oratorii Jesu Sacerdos. Cf. Desbillonii Praef. Disp. III. p. XXV. et ann. 1727 — 1728.

7) Bourgeois. Vid. ann. 1757.

8) L'Allemant de Maupas, Abbas. cf. ann. 1758.

9) Franç. Nau. De quo consules F. de Blankenburg l. c.

10 a) M. M. Rey. Vid. ann. 1769.

10 b) Wandelaincourt. Vid. ann. 1772.

11) Gail. Vid. ann. 1796.

Dacieriam quoque Phaedrum vertisse gallice false affirmatur in Dictionnaire Histor. Portatif, sub Phaedrus. Vid. Lallemant l. c. p. 226.

E Germanis, praeter Anonymos, memorandi sunt: Choffin et ill. Comes Franc. Mattuschka. Vid. infra 1748. ann. 1751. et 1755. 1756.

1 6 4 6.

Hoc anno excusa est Versio Phaedri prosaica, interprete Albino. Paris. 1646. 12. Sub titulo: Les Fables de Phédre traduites en François avec le Latin à coté. Edit. I.

Isaac le Maître de Sacy, sub nomine Albini, edidisse versionem Terentii et Phaedri, testatur Baillet, in Jugemens des Sav. T. II. P. III. p. 504. Edit. Amstel. 1725. 8. Hanc emissam esse Paris. 1646. 12. contendit F. de Blankenburg in Additament. ad alteram Theoriae Sulzer. Editionem; item in iisdem Additam separatim editis Lips. 1796. T. I. p. 547. Et vere. Namque in Bibl. Françoise, ou Hist. Litt. de la France. T. XI. P. I. A Amsterd. 1728. 8. haec inueniuntur litteris mandata p. 27. „la Traduction de D. Lancelot, connue sous le nom de Port-Royal, qui parut en 1646, fut extrémement applaudie. Il y a un tour, si naif, si noble, et en méme tems si simple et si élégant, que Phédre ne se fut pas exprimé autrement, s'il avoit écrit en Prose Françoise.“ At non Lanceloti, sed Albini versio anno 1646. prodiit. Libro enim citato recensetur Editio Phaedri, curata a Jo. Claud. Fabro, addita versione gallica, eodem interprete. Censor eruditus, comparaturus versionem Fabri cum Lanceloti interpretatione, speciminis loco excudendam curauit fabulam VII. Lib. II. de Mulis et Latronibus, versionis, vt putat, Lancelotianae. Quam vero si quis conferre velit cum versione Albini, ipsam verbo tenus huic respondere intelliget. Ex quo consequitur, locum in Bibliotheca Gallica, seu Hist. Litt. Galliae, supra memoratum, non de Lanceloti, sed Albini versione esse intelli-

gendum. Quae docent, vix exstare Versionem Phaedri gallicam, a Lanceleto compositam.

Haec Albini interpretatio, de qua lege, quae scribunt Baillet l. c. p. 518. et Lallemant l. c. p. 216. magno cum plausu excepta est; id quod vel ex eo patet, quod addita est non paucis Jo. Schefferi et Tan. Fabri, nec non aliis Phaedri Editionibus. De illis vid. ann. 1667. 1673. 1687. 1693. 1706. de his ann. 1664. 1673. 1689. 1712. 1723. 1725. de Editt. Phaedri: quas quidem h. l. praetermittimus omnes. Adde quae notamus supra ad ann. 1647. de E. P.

1 6 4 7.

Phaedri Fabulae, c. prosaria Albini versione. Paris. 1647. 12. Edit. II.

Fabricii B. L. T. II. p. 30. Vid. de Editt. Phaedri ann. 1647.

1 6 5 4.

Phaedrus c. gallica versione Isaac. le Maître de Sacy. Paris. 1654. 12. Edit. III.

Brotier. in Ind. Editt. ad calcem Editionis: Notit. Litt. *Bipontin.* p. XXIV. coll. ann. 1654. de Editt. Ph.

1 6 5 8.

Phaedri fabulae gallice. Paris. 1658. 12. Editio Albini IV.

1 6 6 1.

Fables de Phédre traduites en François avec le Latin à côté. Paris. Durand. 1661. 12.

Lallemant l. c. p. 218. „mediocre edition Latine, avec la Version de Port-Royal.“ (St. Aubin, seu Albinus.)

Vid. de Editt. Ph. ann. 1661: coll. ann. 1654. Haec Editio in exemplari Bibl. Elect. Dresd. vocatur Vme Edit. teste Cl. *Daſsdorf.* Vid. ann. 1646. 1647. 1654. 1658. Vers. gall.

1 6 6 5.

Les Fables de Phédre Affranchy d'Auguste. Paris. 1665. 12.

Cat. Libror. qui in Bibliopol. Dan. Elsevirii venales exstant. *Amstel.* 1674. 12. p. 69. *Georgi* A. B. L. P. V. p. 305. Conf. h. l. ann. 1664. et 1665. de Editt. Phaedri.

1 6 6 9.

Les Fables de Phédre enrichies de figures. Paris. 1669. 12.

Possidet librum Biblioth. Elect. Dresd. quod me docuit doctissimus *Dasdorf.*

1 6 7 6.

Fables de Phédre en Latin et en François. Paris. 1676. 12.

Editio curata in vsum Scholarum c. Vers. Albini. Vid. *Lallemant.* l. c. p. 223. et 216. it. de Editt. Phaedri ann. 1676.

1 6 8 6.

Fables de Phédre en Latin et en François. Rouen. Herault. 1686. 12.

V. de Editt. Phaedri ann. 1686.

1 6 8 9.

Les Fables de Phédre en vers François, trad. du Latin par Mr. Sibour. A Strasbourg. 1689. 12. chez Spor. Plagg. 15. (8 Gr.)

Georgi l. c. P. V. p. 305.

1 6 9 3.

Les Fables de Phédre par le Sieur de R. D.L. Paris. 1693. 12.

Georgi l. c. P. V. p. 305. Vid. de Editt. Phaedri ann. 1693.

1 7 0 0.

Festin nuptial dressé dans l'Arabie heureuse, ou Mariage d'Esope, de Phédre et de Pilpay, avec trois Fées par Mr. de Palaydor, Pirou Florent à Table. 1700. 8.

V. *Blankenburg* Zusätze T. I. p. 543. Plura de hoc libro dabit *Gellert* de Poësi Apologor. p. 45.

1 7 0 1.

Les Fables imitées d'Esope par Phédre en Latin et en François. (Avec une explication Allemande) A Strasbourg. 1701. 12. chez Spor.

Sine dubio repetitio Edit. ann. 1689. Vid. supra de Editt. Phaedri 1701. et paullo ante ann. 1689.

1 7 0 2.

Les Fables de Phédre, Affranchi d'Auguste, traduites en François, augmentées de huit Fables, qui ne sont pas dans les editions précédentes, expliquées d'une maniere très facile, avec des Remarques. A Paris, chez Jean Bapt. Coignard. ruë S. Jaques. 1702. 12.

Auctorem Interpretationis Rob. Prevost, varie scribi, paullo ante indicaui sub No. 4. vbi Gallorum Interpretes recensentur. Vid. etiam notata ad ann. 1702 et 1734. de Editt. Phaedri. Adde Journal des Savans. ann. 1702. m. Jul. p. 29. sq. Lallemant l. c. p. 228.

1 7 0 7.

Les Fables morales de Phédre. A Hambourg. 1707. 12.

Auctore Fabricio l. c. p. 34. Fabulae Phaedri LVIII. Gallica et Germanica prosa, cum fabulis politicis Pilpaei et aliorum in lucem emissae sunt. Cf. etiam F. v. Blankenburg, l. c. T. I. p. 547. et Vers. german. 1707 et 1775.

1 7 0 8.

Les Fables de Phédre en vers François avec une Edition Latine à côté — par Mr. (L. Tranquille) Denise — A Paris. 1708. 8. (12.)

De Editione Latina v. supra ann. 1708. de Editt. Ph. Interpretatio non infeliciter est composita, teste Fabricio l. c. p. 34. Adde Mem. de Trevoux. ann. 1707. p. 184. et ann. 1708. p. 785. Journal des Savans ann. 1708. Mai. p. 238. et Nouv. Dictionn. hist. T. VII. p. 194.

1 7 1 0.

Elite des Fables. 8.

Hocce opusculum comprehendit fabulas Aesopi, Phaedri et Pilpaei.

V. *Blankenburg* Zusätze T. I. p. 543.

Les Fables de Phédre — traduites en François. (Par R. Prevost.) Paris. Armand. 1725. 12. cum textu Latino et Notis.

Vid. ann. 1702. 1725. 1734. de Editt. Phaedri, et Vers. Gall. 1702. 1734.

1 7 2 7 — 1 7 2 8.

Excusa est Jo. Claud. Fabri Versio c. textu Phaedri et Notis. Paris. 1727. 12.

De hoc libro supra de Editt. Phaedri ad h. a. vberius exposui. Versio grauiter castigatur in Bibl. Françoise. T. XI. P. I. p. 26. sqq. coll. Leipz. N. Z. von gel. Sachen ann. 1729. No. 18. p. 156. aeque ac in Journ. des Sav. 1728. m. Mart. Add. Lallemant Cat. rais. p. 235.

1 7 3 4.

Les Fables de Phédre — traduites en François — (par R. Prevost) Nouvelle Edition. A Paris. 1734. 8. Cum textu Latino et Notis.

Liber editus sine Interpretis nomine; sed epistola dedicatoria subscripta R. P.

Vid. ann. 1702. 1725. 1734. de Editt. Phaedri et Vers. Gall. 1702. 1725.

Phaedri Fabulae selectae, Latine, Gallice, Anglice, edit. a Dan. Bellamy. Londini. 1734. 8.

Vid. de Editt. Phaedri ad h. a.

1 7 4 0.

Les Fables de Pilpay, corrigées par Charl. Mouton. 2) Les devoirs de l'honnéte homme par le même. Hambourg. 1740.

Biblioth. *Thott.* T. IV. p. 555. coll. ann. 1750. et 1775. Vers. gall.

1 7 4 8.

Les Fables imitées d'Esope par Phédre corrigées par A. H. B. (Abrah. Henri Benard) et E. V. (Eman. Vernezobre) à Dresde. 1748. 8.

V. *Georgi* A. B. L. P. V. p. 305. et mox 1750. it. 1756.

1 7 4 9.

Gallica Phaedri versio, impressa Paris. 1749. 12.

Not. Litt. de Phaedro *Bipont.* p. XIX.

1 7 5 0.

Esope en belle humeur, ou l'Elite de ses Fables, avec les plus belles Fables de Phédre, de Pilpai et de Mr. de la Motte, avec les devoirs de l'honnête Homme par Charles Mouton. A Hambourg. 1750. 12. avec figures.

Addita est Versio Germanica. Vid. supra Version. germ. 1707. 1729. 1750. 1775. et mox Vers. gallic. 1775 et 1781. coll. ann. 1740.

Les Fables imitées d'Esope par Phédre, Affranchi d'Auguste, revües et corrigées à l'usage de la Compagnie des Gentils-hommes Cadets de Saxe, par A. H. B. et E. V. A Dresde. 1750. 8. chez Fred. Hekel. (Plagg. 7.)

Repetitio Edit. ann. 1748. vbi vide. coll. Cat. Bibl. Lauhn. P. II. p. 133. n. 2761. Erlang. gel. Anmerkk. u. Nachr. ann. 1751. p. 61. (b.)

1 7 5 1.

Les Fables de Phédre nouvellement traduites le texte vis-à-vis la Traduction, avec des Remarques et les fables, que Mr. de la Fontaine a composées à l'imitation de Phédre. A Breslau. 1751. 8.

Curata est haec versio a Comite ill. Franc. Mattuschka, teste F. de Blankenburg l. c. p. 547. v. de Editt. Phaedri. 1751.

Cat. Bibl. J. J. *Schwabii* P. I. p. 88. cf. ann. 1762. 1775. Vers. gallic. it. mox ad ann. 1756.

1755.

Nouveau Recueil de Fables d'Esope de Phédre, avec la vie d'Esope par Mr. Choffin. à Halle. 1755. 8.

1756.

Les Fables imitées d'Esope par Phédre — revües et corrigées à l'usage de la Compagnie des Gentils-hommes Cadets de Saxe, par A. H. B. et E. V. à Dresde. 1756. 8. chez Fred. Hekel.

Cat. Bibl. *Lauhn.* P. II. p. 133. coll. ann. 1748. 1750.

In Epistola dedicat. Editores haec memoriae prodiderunt: „nous n'avons rien fait à cet ouvrage, que de retoucher une ancienne edition, en très mauvais François, que le hazard a fait tomber sous nos mains." Versio est prosa scripta.

Les Fables de Phédre en François, avec de Notes grammaticales et autres explications allemandes, par F. J. B. (Bierling, ci devant Secretaire. Vid. praef.) A Liegnitz, chez Dav. Siegert. 1756. 8.

Cat. Bibl. *Walther.* Dresd. P. II. p. 88. Bibl. *Lauhn.* P. II. p. 133. In praefatione carpit Bierlingius versionem Comitis de *Mattuschka*, ann. 1751. vulgatam.

1757.

Phaedri Fabulae gallice versae, interprete Bourgeois. Paris. 1757. 12.

V. *Blankenburg* l. c. T. I. p. 547. coll. supra de Editt. Phaedri ann. 1757.

1758.

Hoc anno gallica Phaedri Versio vulgata est ab Abbate Lallemant de Maupas, Rotomagi. 1758. 12. (8. min.)

Lege quae supra disputaui ad ann. 1758. de Editt. Phaedri. Cf. Memoires de Trevoux. Août. 1758. p. 454. En général tout l'ouvrage est estimable; il merite d'être preferé à la plupart des Versions de Phédre, qui ont précédé celle-ci."

1 7 5 9.

Les Fables de Phédre en Latin et en François avec les Fables de la Fontaine, qui y sont relatives. Amsterdam. 1759. 8. maj.

V. de Editt. Phaedri ann. 1759.

1 7 6 2.

Repetita Versio ill. Com. Franc. Mattuschka. Wratislav. 1762. 8.

Cat. Bibl. *Lauhn.* P. II. p. 133. cf. ann. 1751. Vers. gallic.

1 7 6 5.

Phaedri Fabulae c. Versione Gallica. Editore M*** Paris. 1765. 12.

V. de Editt. Phaedri ann. 1765.

1 7 6 9.

Phaedri Fabulae Lat. et Gall. Amstel. apud M. M. Rey. 1769. 8.

Cf. de Editt. Phaedri ann. 1769.

1 7 7 1.

Die Fabeln des Phaedrus Lat. und Französisch herausgegeben von M. F. Soergel. Cassel. 1771. 8.

V. de Editt. Phaedri ann. 1771. 1795.

Fables de Phédre en Latin et en François avec des Notes historiques et critiques. Basil. apud Jo. Schweighäuser. 1771. 8. (Interprete Lallemant de Maupas.)

V. de Editt. Phaedri 1771.

1 7 7 2.

Fables de Phédre avec la Construction en Latin et une Interpretation françoise litérale, par Wandelaincourt, ancien Principal du College de Verdun. Bouillon. 1772. 12.

La France Littéraire par J. S. *Ersch.* T. III. p. 413.

Repetita ill. Com. Franc. Mattuschka Versio. Wratislav. 1775. 8. Guil. Th. Korn.

V. Leipz. Ostermefs Catal. 1775. et Vers. gall. 1751.

1775.

Esope en belle humeur, ou l'Elite de ses Fables, enrichies de figures, de discours moraux et de quatrains, auxquelles on a joint les plus belles fables de Phédre, de Pilpai, et de Mr. de la Motte, avec les Devoirs de l'honnête Homme, ou maximes politiques et morales, tirées des plus célèbres ecrivains de ce siecle; pour servir d'instructions aux personnes qui ont à vivre dans le grand monde, par Charles Mouton. A Hambourg, chez la veuve Herold. 1775. 12. (c. vers. German.)

Vid. Notata ad ann. 1775. Vers. German. coll. ann. 1707. 1740. 1750 et 1781. Vers. Gallic.

1778.

Les plus belles Fables d'Esope, de Phédre et des autres Auteurs. Coppenh. 1778. 8.

Wilh. Heinsii A. B. Lex. sub *Phaedrus*.

1779.

Fables de Phédre, in Opere quod inscribitur: Cours d'Education par Wandelaincourt. Paris. 1779. 12. maj.

La France Litéraire par J. S. *Ersch*. T. III. p. 414.

1780.

Aesopi, des Phrygiers, auserlesene Fabeln, mit beygefügten Moralen und Versen; desgleichen die besten Fabeln des Phaedrus und Philelphus. Deutsch, Polnisch und Französisch. Warschau, in der Gröttischen Handlung. 1780. 8.

1781.

Esope en belle humeur — par Charles Mouton. (cum Vers. Germanica) A Hambourg. 1781. 12. avec figures.

V. ann. 1775. Vers. Germ. et ann. 1775. Vers. gall.

1 7 9 5.

Phaedrus Lat. et Gall. c. Praef. M. F. Soergel. Cassel. 1795. gr. 8.

V. de Editt. Phaedri ann. 1771. 1795.

1 7 9 6.

„Les trois Fabulistes, Esope, Phédre et la Fontaine par Champfort et Gail. 4. Voll. in 8. prix 10 L. Il y a quelques Exemplaires sur papier gr. raisin velin 30 Livres. Cet ouvrage Classique étant à l'usage des écoles centrales, on en vend chaque partie separément. Esope Grec, François, Latin 2 l. 10 s. Phédre Latin, François 2 l. 10 s. La Fontaine, avec le Commentaire de Champfort. 2 Vol. 5 l. Esope et Phédre, traduits par le Cit. Gail et accompagnés de Notes semées avec goût, seront lus avec fruit, et par les instituteurs, et par ceux qui se ressouviennent d'avoir fait des études.

L'ouvrage se trouve à Paris, chez Gail, Professeur de Litterature grecque, au Collége de France, place Cambrai."

Journal de Paris. 7. Nov. 1797. La France litéraire par J. S. *Ersch.* T. II. p. 73. sq. coll. *Berlinisches Archiv der Zeit.* Mai. 1797. p. 427. et *Intelligenz Bl. d. A. L. Z.* No. 124. ann. 1796. coll. ann. 1796. de Editt. Phaedri.

Phaedrus, a Franc. Nau in carminis genus redactus, quod Galli vocant Vaudevilles, editus sine mentione anni et loci, sub titulo: Fables de Phédre et de la Fontaine mises en Vaudevilles.

F. de *Blankenburg* l. c. T. I. p. 547. La France litéraire par J. S. *Ersch.* T. II. p. 444. sq.

Nota. In commemorandis Versionibus gallicis multum mihi profuerunt Schedae S. V. *Brüggemanni.*

5) *In Anglia.*

1 6 8 9.

Mythologia Ethica, or three Centuries of Aesopian Fables in English prose, done from Aesop, Phaedrus, Camerarius, and all other ancient Authors on this subject, illustrated with moral, philosophical, and political Precepts: Also with Aphorisms and Proverbs in several Languages, and adorned with many curious Sculptures: by Philip Ayres, Esq. London. 1689. 8.

Catalogue of Books printed and published at London in Hillary-Term. 16 $\frac{89}{90}$. *Sched. Brüggemann.* p. 48.

1 7 0 2.

Mythologia Ethica cet. by Philip Ayres, Esq. London. 1702. 8. v. paullo ante ann. 1689.

1 7 1 5.

The Fables of Phaedrus, who was made a Denizen of Rome by Augustus Caesar, mostly selected from Aesop's Fables. Render'd into Familiar English. By Thomas Dyche. London. 1715. 12.

Fabricii B. L. T. II. p. 34. coll. ann. 1730. 1733.

1 7 2 1.

Phaedri Fabulae c. interpretatione Anglicana. Opera Nic. Bailey. London. 1721. 8. Edit. I.

V. de Editt. Phaedri 1721. et mox ann. 1728. 1732. 1744. 1751. 1754.

1 7 2 7.

Phaedri Fabular. Aesop. Libb. V. c. Vers. Anglica prosaria, Editore Jo. Stirling. Edinburgi. 1727. 8. Edit. I.

Cf. ann. 1727. de Editt. Phaedri: it. Vers. Angl. ann. 1734. 1738. 1744. 1750. 1771.

1 7 2 8.

Repetita Nic. Bailey Editio. Londin. 1728. 8. Ed. II. Vid. ann. 1721. vers. Anglic.

1730.

The Fables of Phaedrus, who was made a Denizen of Rome by Augustus Caesar, mostly selected from Aesop's Fables. Render'd into Familiar English by Thomas Dyche. The third Edition. London: printed by J. Stephens for R. Ware, at the Bible and Sun in Warwick-Lane, at Amen Corner. 1730. 12.

Quo anno Editio II. lucem adspexerit, ignorare me fateor. Vid. Vers. Angl. ann. 1715. et Brüggemanni View of the English Editions p. 644.

1732.

Repetita eadem. Londini. 1732. 8. Edit. III.

Vid. Versiones Angl. ann. 1721.

1733.

Repetita Th. Dyche versio. Londini. 1733. 12. Vid. Version. Angl. 1715. Edit. IV.

1734.

Excusa Jo. Stirling Versio prosaica, ejus Editioni fabularum Phaedri subjuncta. Londini. 1734. 8. Ed. II.

Vid. de Editt. Phaedri ann. 1727. et Vers. Angl. ej. ann.

Phaedri Fabulae (L.) selectae, Latine, Anglice, Gallice, editae a Dan. Bellamy. Londini. 1734. 8.

V. de Editt. Phaedri ann. 1734.

Phaedri Fabulae. With a literal Translation by Ja. Gibb. Edinb. 1734. 8.

Cf. de Editt. Phaedri ann. 1734.

1738.

Phaedri Fabular. Aesopiar. Libri V. cura Jo. Stirling c. versione prosaica. Londini. 1738. 8. Ed. III.

Brüggemann Supplement to the View of the English Editions p. 115.

1 7 4 4.

Repetita Jo. Stirling Versio prosaica c. textu Latino. Londin. 1744. 8. Ed. IV.

V. de Editt. Phaedri ann. 1727. et Vers. Angl. ej. ann.

Eodem anno repetita N. Bailey versio c. textu Latino. Londini. 1744. 8. Edit. IV.

V. de Editt. Phaedri ann. 1721. et Vers. Angl. ej. ann.

1 7 4 5.

The Fables of Phaedrus translated into English prose. London. 1745. 8.

V. de Editt. Phaedri ann. 1745.

Phaedri Fabulae, Latin and in English prose with Notes by Edw. Jamieson. Lond. 1745. 8.

De Editt. Phaedri ann. 1745.

1 7 5 0.

Repetita Jo. Stirling Editio (cum Versione prosaica). Londini. Astley. 1750. 8. Edit. V.

Vid. ann. 1750. de Editt. Phaedri coll. ann. 1727.

1 7 5 1 — 1 7 5 4.

Recusa N. Bailey Editio c. vers. Anglic. Londini. 1751. 8. Edit. V.

V. de Editt. Phaedri ann. 1721. et Vers. Anglic. ej. ann.

Repetita eadem. Ibid. 1754. Edit. VI.

V. de Editt. Phaedri ann. 1754.

1 7 5 4.

Phaedri fabular. Libri V. or the Fables of Phaedrus cet. By John Entick. London. 1754. 8.

Vid. de Editt. Phaedri ann. 1754. The *London Magazine* 1754. for July. p. 335.

1 7 5 5.

A correct Latin Edition of the Fables of Phaedrus:

with a new literal English Translation. — By a Gentleman of the university of Cambridge. London. 1755. 12.

V. de Editt. Phaedri ann. 1755.

1 7 6 5.

A poetical Translation of the Fables of Phaedrus by Christopher Smart. London. 1765. 12.

Vid. de Editt. Phaedri ann. 1765.

1 7 7 1.

Repetita Jo. Stirling editio c. Anglic. vers. prosaica. Londini. 1771. 8.

Vid. de Editt. Phaedri ann. 1727. et Vers. Angl. ej. ann.

1 7 7 6.

The Fables of Phaedrus, Lat. Engl. — By Francis Fowke. London. 1776. 8.

Vid. de Editt. Phaedri ann. 1776.

Nota. Ex hoc indice apparet, Phaedrum *duodecies* a diversis interpretibus Anglice versum esse. Sunt autem hi: Phil. *Ayres*, Thom. *Dyche*, N. *Bailey*, J. *Stirling*, Dan. *Bellamy*, Ja. *Gibb*, Edw. *Jamieson*, John *Entick*, Christ. *Smart*, Francis *Fowke*, duo *Anonymi*. F. de *Blankenburg* in Additamentis, saepius laudatis, T. I. p. 547. ex omnibus nominat quinque, omissis versionum repetitionibus. Ex quo intelligitur, quantum in hac Notitiae litterariae de Phaedro parte debeatur doctissimo *Brüggemanno*.

6) *In Hispania.*

Fabulas de Phedro en Latin y Castellano. Madrid. 1781. 8.

Vid. de Editt. Phaedri ann. 1781.

Nonnullae Phaedri fabulae, Hispanice versae, insertae sunt operi, cujus titulus: Colecion de obras en verso

y prosa de D. Tomas de Iriarte. Madrid. 1787. 1788. 8. maj. 6. Voll.

Schedae Brüggemann.

7) *In Dania.*

Dansk Obersattelse af Phaedri Aesopiske Fabler ved J. Grundtvig. Kopenhagen. 1785. 8. Excudebat Stein.

Phaedri Fabler efter Aesopi Maade oversat af Lehnert. Kopenhagen. 1785. 8. Excudebat Hoeke.

Repertorium der A. L. Z. ann. 1785—1790. sub *Phaedrus.*

8) *In Polonia.*

1770.

Ezop w wesolym humorze (Esope en belle humeur). Warsouiae. 1770. Tomis II. editus est. In quo opere non paucas Phaedri, Aesopi et Philelphi fabulas videbis translatas.

V. *Göttinger Anzeigen* ann. 1770. Partic. 156.

1780.

Aesopi, des Phrygiers, auserlesene Fabeln, mit beygefügten Moralen und Versen; desgleichen die besten Fabeln des Phaedrus und Philelphus, Deutsch, Polnisch und Französisch. Warschau in der Gröllischen Buchhandlung. 1780. 8.

IV.

SCRIPTORES PHAEDRUM ILLUSTRANTES.

1. ANTIQUIORES.

a) *Babrius.* *)

Babrius, quem alii dicunt Babriam, alii Gabriam, a) rectius dicitur Babrius. Teste enim Cannegietero, b)

*) Peculiarem de hoc fabularum scriptore dissertationem edidit *Thom. Tyrwhitt*, eques Anglus, cujus titulus est: *de Babrio fabularum Aesopearum scriptore. Inseruntur Fabulae quaedam Aesopeae, numquam antehac editae, ex Cod. MS. Bodlejano. Accedunt Babrii Fragmenta.* Londin. ap. T. *Payne.* 1776. 8. maj. Postea suae *Orphei* de Lapid. editioni adjecit Auctarium. Recusa est Dissert. cum Auctar. *Erlang.* 1785. 8. cura ill. *Harlesii,* qui Excerpta dedit in *Fabric.* B. G. Vol. I. p. 629.

a) De hac scripturae varietate lege *Cannegieteri* Not. ad Praef. Aviani p. 8. in qua mentio fit Babrii. Nonnullis Aviani Editoribus placuit *Gabrias,* vt Maittario et Pulmanno; sed Neveletus itemque Editores Lugdunensis et Genevensis dederunt *Babrias*, quod etiam praeferunt *Vossius* Inst. Or. L. II. C. 15. et *Lambecius* in Commentar. de Bibl. Vindobon. Vol. VII. Cod. LXXVIII. n. 4. p. 137. *Junius* de Coma C. X. addubitat, *Babrius,* an *Gabrias* dicendus. Verum fabulatoris nomen fuisse *Valerium*, cujus fabulis inscriptum fuerit: Βαλερίε λόγοι vel μῦθοι, est ingeniosa conjectura S. V. *Herderi,* Viri Summi, qui laudat Cod. MS. a Tyrwhitto citatum (p. 68. Edit. Harl.) in quo hoc nomen legitur. Vid. Ej. *Zerstr. Blätt.* Dritte Samml. p. 186.

b) Loco Not. a. citato.

in omnibus Auiani Codd. MSS. si a paucis discesseris, legitur Babrius; quam quidem lectionem, praeter Pithoeum et ipsum Cannegieterum, Editores Bipontini secuti sunt. Huic scripturae fauent quoque Inscriptiones apud Gruterum c) et Fabrettum. d) Quibus adsentit Etymologici Magni auctor, e) qui bis aduocat Babrium. Suidas denique in omnibus locis, quibus versus Babrii laudat, buncce poëtam semper appellat f) Babrium; etsi alio loco et Babriam et Babrium nominatum fuisse dicat. g) Secundum Auianum h) duo volumina, auctore Suida decem libros (βιβλία) fabularum, i) ex Aesopo expressarum, in metrum choliambicum seu metrum jambicum ejus generis, quod est τῶν σκαζόντων, redegit. Quae quidem diuersitas in numerandis fabularum libris, a Babrio

c) *Corp. Inscriptt.* P. 167. n. 8. p. 672. n. 9.

d) Cap. IX. n. 298. Vid. *Cannegieter.* l. c.

e) v. Ὄμφαξ. coll. Indic. Edit. Sylburg. *Cannegieter.* Not. ad Praef. Avian. p. 8. et *Tyrwhitt.* p. 50. Edit. Harles.

f) V. *Suidae* Lex. in vocc. ἀμᾶν T. I. p. 132. ἑκάστοτε T. I. p. 686. καμειραια T. II. p. 236. κνηκίας. T. II. p. 334. Ex Edit. *Kusteri.*

g) Vid. voc. βαβρίας, ἢ βάβριος. T. I. p. 408.

h) V. Praef. Aviani, vbi haec: *quas* (fabulas) *graecis jambis Babrius repetens, in duo volumina coartauit.* De hac fabularum Collectione Cl. *Jacobs,* auctor elegantissimae Dissertationis, editae sub titulo: *Griechische Fabulisten,* notat: *diese Sammlung scheint eine der vorzüglichsten Quellen gewesen zu seyn, aus welcher die spätern Sammler geschöpft haben. Sie lösten die Verse des Babrius von neuem in Prosa auf, gut oder schlecht, wie sie es vermochten; sehr oft aber so, daſs sie die eigenen Ausdrücke des Babrius und halbe Verse desselben beybehielten.* Cf. *Charaktere der vornehmsten Dichter aller Nationen.* T. V. P. II. p. 296. sq. Idem fatum experti sunt Jambi Phaedri. Vid. mox Notit. Litt. de Romulo.

i) *Suidas* v. βαβρίας, ἢ βάβριος, in quo loco, monente Kustero, prô χοριάμβων, quod habent omnes editiones, sed male, legendum χωλιάμβων, quoniam Babrius fabulas Aesopi versibus *Choliambicis,* sive Scazontibus reddiderat, vt patet, e Fragmentis apud Suidam. Adde *Suid.* v. χορίαμβος, ibique consule notam Kusteri.

conscriptis, fecit vt metueret Cannegieterus, k) ne Suidas Babriam et Babrium miscuerit. Putabat autem, vtrumque fabulas Aesopias scripsisse, tempore, metro, numero diuersas; illum priorem fuisse Aviano et Phaedro, hunc posteriorem; illum jambis, hunc Scazontibus; illum duos fabularum libros, hunc decem scripsisse. At vero recte vidit Cl. Tyrwhittus, l) numeros in Codd. MSS. non raro turbari, adeoque librarios Suidae fallere; neque etiam constare censet, Avianum volumina posuisse eodem sensu, quo Suidas βιβλία. In quam sententiam quoque discedit ill. Harlesius. m) Quis Babrius ille fuerit, quo tempore et quo loco vixerit, non constat. Saxius v. c. in Onomast. Litt. T. I. p. 402. censet, eum circa ann. 348. vixisse. Certe ejus meminit Julianus Imperator Ep. LIX. ad Dionysium p. 444. B. fide Cod. Barocciani τὸν μῦθον τὸν Γαβρίυ ἀκήκοας. At Cl. Tyrwhitto rectius circa tempora Augusti clarus fuisse videtur; id quod vir doctus probare studet primum e versuum ejus elegantia et Suauitate; n) tum e praefatione Aviani, qui Babrium ante Phae-

k) Not. ad Praef. Aviani p. 8. Vid. etiam Joann. *Tzetzis*, quae idem vir doctus citat. L. XII. 258. 264. et L. XIII. vs. 493. sqq. quibus probare studet, confudisse Tzetzem *Babriam* et *Babrium*, cum diuersum genus Jambi probe animadverterit. Sed Babrius facile credi potest vtroque scripsisse. Compara *Suid.* in v. ἑταιρχίιx.

l) Diss. cit. p. 3. not.

m) Ad *Fabric.* B. G. Vol. I. p. 628.

n) De versibus Babrii choliambicis haec litteris consignauit S. V. *Herderus:* „Noch besser (als das heroische Sylbenmaafs) schickte sich der Choliambe zur Fabel, weil er der ungeschmückten, simpeln Erzählung näher trat, und mit der gröfsten Klarheit den schönsten Wohlklang verband. Reste von den Fabeln des so genannten Babrius zeigen dies unwidersprechlich; und hätten wir ihn ganz, wer würde die Prose unserer griechischen Fabel lesen, die nicht Aesops, sondern der Grammatiker Prose ist, die gröfstentheils ungleich schönere versificirte Fabeln in sie aufgelöfst haben. Der Glückliche, der uns den ächten Babrius fände, hätte der Litteratur ein trefliches Geschenk gemacht. Denn die zwey oder drey Fa-

drum collocat; denique e loco Apollonii, o) qui conjectura admodum probabili ab eo in Choliambos redactus ad Babrium refertur. p) Ex quo colligitur, Apollonio, cujus aetas in tempora Augusti incidere videtur Babrium esse antiquiorem. Sed Babrii fabulae, ***) paucis exceptis, perierunt. Iis, quae aetatem tulerunt, hae fere adnumerandae: I. Μύρμηξ καὶ Τέττιξ, quam protulit ex MS. Aesopi Vossiano L. C. Valckenaer. q) II. Κώνωψ καὶ Ταῦρος, ex ejusdem MS. Voss. apographo edita a Tyrwhitto. r) III. Αηδὼν καὶ χελιδών. Haec fabula, monente Tyrwhitto, primum edita ab Aldo, ann. 1505. cum fabulis Gabriae, vulgo sic dicti, viris doctis consentientibus, Babrio restituta est. s) IV. Γάλλοι καὶ Ὄνος. Habetur fabula, cujus in fine pauca desunt, apud Tzetzem, t) exceptis versibus 3 et 4. quos primum in lucem protulit Natalis Comes, u) apud quem reperit Neueletus, qui notis in Phaedrum inseruit. x) V. Fabula, e Cod. Harlejano a Tyrwhitto edita, y) cujus initium est: *Ζεὺς ἐν πίθῳ τὰ χρηστὰ πάντα συλλέξας* cet. Sed non pauca Babrii

beln, die man von ihm hat, und jedes kleine andere Fragment haben bey dem schönsten Wohlklange eine so süfse Einfalt, dafs der schöne, aber oft gezwungene Phaedrus ihnen kaum zur Seite treten dürfte." *Zerstr. Blätt.* Saml. 3. p. 186. sqq.

o) Lex. Hom. v. Ἀείδε. T. I. p. 48. Edit. Cl. *Villoison.*

p) *Tyrwhitt.* l. c. p. 2.

***) De natura et indole earum acute disputat eruditus auctor Dissertationis, sub titulo: *Griechische Fabulisten*; vide *Charaktere der vornehmsten Dichter aller Nationen.* T. V. P. II. p. 269. sqq.

q) In Schediasm. de Hygini fragmento Dositheano, *Misc. Observ.* Vol. X. p. 122. Exstat quoque in *Tyrwhitti* diss. de Babrio p. 46.

r) Diss. cit. p. 52.

s) Legitur in Tetrastichis *Gabriae* apud *Nevelet.* in Mythologia Aesop. p. 379. et in *Tyrwhitti* Diss. p. 48.

t) Chil. XIII. 264. sqq.

u) Mythol. L. IX. C. 5. p. 968.

x) Vid. *Ej.* Praef. ad Mythol. Aesop. coll. p. 652. Edit. Francof. 1610. 8. Emendatius edidit *Bentlej.* in Diss. de fabulis Aesopi. §. 7.

y) Diss. cit. p. 67. Recusa quoque in *Herderi* Zerstr. Bl. Saml. 3. p. 187. sq.

fragmenta hodie supersunt. Nonnulla enim congessit Neueletus e Suida; z) quaedam dedit Fabricius. a) Plenius ista Fragmenta exhibentur in Tyrwhitti libello, supra laudato, secundum ordinem fabularum Aesopearum in editione Oxon. anni 1718. quae quidem omnia, si pauca excipias, exstant in Suidae Lexico, vel adjecto Babrii nomine, vel omisso; ita tamen, vt auctor facile agnoscatur e versuum numero atque argumento. b) Atque etiam fabellas aliquot Babrii, prosa graeca scriptas, Tyrwhittus e Codice Bodlejano descripsit, quae in nullo alio Aesopi codice leguntur, et quas e Babrii Choliambis in prosam orationem conuersas fuisse demonstrant vestigia Scazontum disjectique membra poëtae, passim occurrentia, sed etiam ipsius Babrii fragmenta quaedam, a Suida conseruata. c) Babrii fabulas conversas esse latine a Julio Titiano, patre, qui vixit Principibus Caracalla, Macrino atque Elagabalo, scripsitque fabulas Aesopias, non a se inuentas, sed ex Graecis Gabriae, s. Babrii in linguam Latinam prosa translatas, testis est Cannegieterus. d) Cui adsentit Cl. Wernsdorf, in erudita de Carminibus Avieni Commentatione, praemissa R. F. Avieni Descriptioni; e) vbi ex Ausonii Epistola XVI. ad Probum docet,

z) In Praef. ad Mythol. Aesop.

a) B. G. Vol. I. p. 628—630. Additae quoque sunt Babrii fabulae, quas Tyrwhittus publicarat, *Antonini Liberalis* Transform. Conger. ex Edit. L. H. *Teucheri. Lips.* 1791. 8.

b) Conf. ill. *Harlesius* ad *Fabric.* B. G. Vol. I. p. 630.

c) *Tyrwhitt* l. c. p. 3. 4. sqq. Atque etiam Bentlejus in Diss. de fabulis Aesopi §. 7. quae exstat in Ej. Opusc. philol. recusis Lips. 1781. 8. maj. p. 72. sqq. ostendit et multis probat exemplis auctorem collectionis fabularum, quam edidit Neveletus, nihil egisse aliud, quam multas Babrii fabulas in sermonem solutum conuertisse e Choliambis. V. l. c. p. 76. sq.

d) De aetate et stylo Aviani p. 275. 276. ad calcem Editionis suae. Cap. X. XI. XII.

e) In Poët. Lat. minor. T. V. P. II. p. 665. sq. Non tamen hujus loci est, repetere quae Cl. *Wernsdorf* erudite disputat contra Cannegieterum de aetate Auiani fabularum Scriptoris. Recte enim adsentit sententiae a plerisque receptae, quae Fla-

Titianum latine vertisse Babrium graecum, i. e. ejus Apologos Aesopios trimetros, et quidem oratione pedestri et soluta, eumque inter Latinos forte primum fuisse, qui hoc auderet. f) Istas Titiani fabulas prosaicas, seu, vt ait Avianus, (Praef.) rudi Latinitate compositas, Avianus deinde in elegos redegisse mihi videtur; de quo in Disp. de Phaedro Antiquitatis Scriptore plura dicentur. Quod reliquum est, complures Babrii fabulae latere videntur in tenebris. Namque indicante Harlesio, g) P. Romolinus in coenobio quodam Grotta Ferrata, haud procul Tusculo (hodie Frascati) inuenit Codicem membranaceum, in forma quarta, initio saeculi XI. scriptum, qui praeter Aesopi vitam et fabulas, continet Fabulas XXX. versibus jambicis, vel potius Scazontibus, concinnatas, hoc titulo: τῶν Αἰσώπȣ μύθων ἴαμβοι. h) Quas fabulas esse Babrii, non sine veritatis specie cum Harlesio eruditissimo conjicere licet.

Iis, quae hactenus de Babrio ejusque fabulis disputata sunt, non pauca addi possent, quae suo quasi jure huc pertinere videntur; sed modus adhibendus est. Itaque harum rerum cupidos lectores et ad praestantissimum Cl. Tyrwhitti libellum, quem legisse et relegisse poenitebit neminem, et ad nouam Fabularum graecarum, cum prosaicarum, tum metricarum, Editionem, quam accepimus moliri Cl. Wilhelm, Scholae Coenobii Roslebiensis Rectorem, ablegamus.

uium Auianum Theodosiani aeui scriptorem, nec eundem cum Festo Auieno, sed huic aetate supparem, existimat. Cum Cannegieterus statuisset, Fl. Auianum Antoninorum floruisse tempore. Vid. p. 663. l. c. sqq.

f) Cf. *Harlesii* Introd. in L. G. T. I. p. 584.

g) Ad *Fabric.* B. G. Vol. I. p. 635.

h) De hocce codice cel. de *Murr* in Ephemer. Noriberg. No. 50. ann. 1789. ex litteris Romolini notitiam dedit, teste *Harlesio* ad *Fabric.* Vol. I. p. 635.

b) *Ignativs Diaconvs*, seu *Ignativs Magister*, vulgo dictus *Gabrias.*

Ignatius Diaconus, vt habet vetus Codex Vossii, i) seu Magister, k) qui in Codd. MSS. Palatinis l) quoque appellatur Ignatius Mastigor, m) in eunte Saeculo IX. floruit. n) Scripsit τετράστιχα metro jambico, quibus Babrii fabulas in compendium redegit, sed isto fetu insigne mali sui saporis specimen edidit, ita quidem, vt ne vmbram quidem auctoris sui hic nobis conservaret. o) Id quod luculenter confirmat titulus, Tetrastichis ejus in Codice Vindobonensi praescriptus: Βαβρίȣ ἐν ἐπιτομῇ μεταγραφὲν ὑπὸ Ἰγνατίȣ Μαγίστορος. p) Hinc Tetrasticha ista vulgo adscri-

i) *Vossius* in I. O. L. II. C. 15. p. 324. sic scripsit: „*Babrias, quem vulgo* Gabriam *appellant, quamquam nec Babrias genuinus auctor videri queat, cum quia hisce fabulis in metrum ipsum peccatur, tum quia eae in V. C. adscribuntur Ignatio Diacono.*" Teste *Fabio Paullino*, Vtinensi, quem laudat *Harlesius* loco, mox citando, exstat Cod. MS. cujus titulus est: Ἰγνατίȣ Διακόνȣ τετράστιχα διἄμβα εἰς τὰς μύθȣς Αἰσωπικὰς μεταφραστικά. De rara fabularum editione, curata a *Fabio Paullino* Ven. 1587. c. figg. lege *Harles.* ad *Fabric.* B. G. Vol. I. p. 635.

k) In Cod. Bibl. Vindobon. sunt *Ignatii Magistri* Tetrasticha Jambica ex fabb. Aesop. *Babriae*; sub titulo: Βαβρίȣ ἐν ἐπιτομῇ μεταγραφὲν ὑπὸ Ἰγνατίȣ Μαγίστορος· nec non *Ignatii Diaconi* Tetrasticha Jambica ex Fabb. Aesop. *Babriae.* Vid. *Lambecii* Commentar. de Bibl. Vindob. Vol. VII. Cod. 133. n. 34. p. 254. et Id. Vol. Cod. 78. n. 4. p. 137. coll. ill. *Harlesio* ad *Fabric.* Vol. I. p. 634. De aliis Codd. MSS. Gabriae S. Ignatii, qui multi sunt, lege eumdem l. c. p. 632—635.

l) *Neveleti* Praef. ad Mythol. Aesop. Frcf. 1610. 8. pag. penult.

m) Vox *Mastigor* orta esse videtur e Graeco Μαγίστορος v. not. k.

n) *Lessing* zur Gesch. der Aesop. Fab. p. 249. *Gellert* de Poësi Apologor. eorumque Scriptis p. 35. *Tyrwhitt* diss. cit. p. 6.

o) *Tyrwhitt* l. c. p. 6. coll. *Gellert* de Poësi Apolog. p. 35.

p) *Lambecius* l. c. Vol. VII. p. 137. et 254. *Tyrwhitt.* p. 45.

buntur, errore scribae, Gabriae, qui nullus fuit, acute suspicante Cl. Tyrwhitto. In quibusdam enim exemplaribus Γαβρίυ, pro, Βαβρίυ legitur; qui error etiam deprehenditur apud Tzetzem. q) Tyrwhitti autem conjectura, numquam exstitisse Gabriam, scriptumque fuisse Γαβρίυ, pro Βαβρίυ, ex eo fit probabilior, quod eam sententiam, quae in Codice Coisliniano Babrio claris verbis assignatur, r) censor doctus s) sub Chabriae nomine deprehendit in Maximi et Antonii Sententiis, adjectis Stobaeo. t) Errore igitur et aurium et oculorum nouum illud nomen ortum in Codices irrepsisse, non male cum Harlesio V. C. suspiceris. u) Exstant hodie sub Gabriae nomine fabulae LIV. e quibus XLIII. editae sunt graece et latine saepius; x) reliquas XI. e Codd. Palatinis addidit Neveletus. y) Hae singulae epimythium prosa subjunctum habent, nec choliambis constant, sed tetrastichis jambis, vt supra jam dictum est; excepta quadragesima tertia, quae tredecim

q) Chil. VIII. 516. quem locum profert *Tyrwhitt* p. 44.

r) Locus, a Montfauconio indicatus, hujus est sententiae: ΒΑΒΡΙΟΥ· Δέον τὰ τέλη τῶν πραγμάτων προορᾶν, καὶ ὕτως τὴν τύτων ἐγχείρησιν ποιεῖσθαι. V. *Bibl. Coislin.* p. 574. Cod. 371. coll. *Tyrwhitt.* p. 38. n. 36. et p. 68.

s) In *Biblioth. Crit.* Amst. Vol. I. P. II. p. 127. coll. *Harl.* ad *Fabric.* B. G. Vol. I. p. 630.

t) Edit. Francof. p. 96.

u) Loc. cit.

x) Editiones et versiones memorantur in *Fabricii* B. G. Vol. I. p. 635. sq. et in *Harlesii* Introd. in Hist. L. G. T. I. p. 584. qui meminit quoque vers. germ. sub titulo: *Gabriae Fabeln* aus dem Griechischen mit Anmerkk. von *J. C. F. Bährens*. Colon. 1787. 8. Adde F. *de Blankenburg* Zusätze. T. I. p. 547. Tetrasticha Ignatii etiam expressit oratione ligata germanica *Melander*, et malo exemplari vbique satisfecit simili conuersione. Vide ejus *Aesopische Fabelgedichte Phaedri*, in fine. Cf. *Gellert* de Poësi Apologor. p. 35. et supra Versiones Germ. ann. 1712.

y) Heidelb. 1610. 8. vt ait *Harles.* in Intr. in Hist. L. G. T. I. p. 584. et ad *Fabric.* Vol. I. p. 635. Sed v. Notata in Notit. Litt. de Phaedro ad ann. 1610. Insertae tamen sunt Mythol. Aesop. edit. Francf. 1610. et 1660.

choliambis absolvitur, et a viris doctis restituta est Babrio. Verumtamen in Bandini V. D. Catalogo Codd. MSS. Bibliothecae Mediceae z) sunt τετράστιχα Γαβρίχ γραμματικῦ κὰι ἕλληνος, ad quem Codicem Bandinus haec notavit: „animadvertendum hic est, Gabriae, non Babriae, fabulas in nostro Codice esse LXIX. ex quibus XLIII. editae sunt graece et latine ab Aldo Manutio c. Phurnuto, Palaephato et aliis, Ven. MDV. f. et a Frobenio Basil. 1518. 8. Tubing. 1546. 8. reliquas vsque ad LIV. e Codd. Palatinis addidit Js. Nic. Neveletus in Edit. Frcf. M. D. C. LX. Hac vsi sumus in recensione nostri Codicis, in quo VI. fabulae desunt ex editis a Neveleto, reliquae vero multum ab ipsis discrepant. Itaque supersunt XX. quae adhuc inter editas desiderantur, quas hic in studiosorum gratiam, vti jacent in Codice, proferimus." Quod Bandinus observat, hic non Babriae, sed Gabriae fabulas, nec Ignatium diaconum, sed Gabriam, teste inscriptione Codicis, esse fabularum istarum auctorem, id nullius esse momenti, ex iis quae paullo ante disputata sunt, facili negotio potest intelligi. Codex vero Bibliothecae Mediceae etsi pessime scriptus est; non sine ratione tamen e codice quodam perantiquo Harlesio (l. c.) fluxisse videtur. Qui quia non solum multa inedita continet, sed etiam singularia in fabulis Babrii, aut Aesopi praebet, diligentius est excutiendus. Ceterum Ignatii fabulae 5. 17. 18. 19. 20. 23. 24. 26. 32. 35. 39. 42. 9. (ap. Nevelet. p. 386.) comparandae cum fabulis Phaedri ejusdem argumenti. Plura de Ignatio dabit Cannegieter. a) Iudicium de Fabulis ejus habes in libro, inscripto: Charaktere der vornehmsten Dichter aller Nationen. T. V. Partic. II. p. 300.

c) *Aphthonius.*

Aphthonius, Rhetor et Sophista, Antiochia ortus, sae-

z) T. I. p. 29. Plut. V. Cod. X. n. LXXXVII.

a) Diss. de aetate et stylo Aviani. C. 14. p. 289. adde F. v. *Blankenburg* Zusätze. T. I. p. 547.

culo P. C. N. II. floruit. b) Sunt tamen, quibus saeculo III. aut IV. vixisse videatur, c) adeo, vt certum aetatis tempus vix definiri possit. Litteris consignauit fabulas XL. prosa graeca scriptas, adjunctis Epimythiis, quarum paucissimas inuenisse, plerasque ex Aesopo, Phaedro aliisque collegisse videtur. In enarrando argumento presse sequitur Aesopi siccam breuitatem, neque raro in affabulatione peccat. **) Babrio, si Fabricio credimus, est antiquior; at vero junior isto fabularum scriptore, si quis iis album calculum adjicere velit, quae supra de aetate Babrii, fulti argumentis, ad probandum idoneis, praeeunte Tyrwhitto, notauimus. Cum fabulis Aphthonii XVIII. XXV. XXIX. XXXI. XXXV. comparandae Phaedri L. I. F. XII. VIII. XIII. III. IV. Hae fabulae cum Versione latina Jac. Kimedontii, filii, primum editae. Sunt apud Commelinum 1597. 8. ad calcem Progymnasmatum. Cum eadem versione vulgauit Neveletus in Mythologia Aesopica, d) additis castigationibus. Reliquae editiones cum Codd. MSS. recensentur a Fabricio. e)

d) *Romulvs.*

Neque de nomine et patria hujus fabularum scriptoris, neque de aetate, qua suas scripsit fabulas, satis liquet. Sunt enim, qui nomen Romuli putent esse fictum, vt Nilantius, f) Gudius, g) Eschenburg V. C. h)

b) *Lessing* zur Gesch. der Aesop. Fab. p. 248. v. *Blankenburg* Zus. T. I. p. 546. sq.

c) *Harlesii* Introd. in Hist. L. G. T. II. P. I. p. 506. Floruisse Aphthonium post ann. 315. est sententia eruditissimi *Saxii*, in Onomast. Litt. T. I. p. 394.

**) *Gellert* de Poësi Apologor. p. 34. coll. Cl. *Jacobs* Diss. de Graecis fabulatoribus in *Charakteren der vornehmsten Dicht.* Vol. V. p. 279.

d) De duplici hujus libri editione v. supra de Editt. Phaedri ann. 1610. et 1660.

e) l. c. Vol. I. p. 636. coll. de *Blankenburg.* T. I. p 546. sq.

f) Praef. ad Fabb. ant. edit. L. B. 1709. vbi haec leguntur: *Romulus, nisi illud nomen plane fictitium est*, cet.

g) Vid. infra titulum exempli Gud. Cod. Diuion.

h) Cf. *Lessingii* Diss. de *Anonymo Neueleti*, in opere eru-

At quare nomen Romuli non possit esse verum nomen, ego quidem non video. Quod enim nomen vmquam apud latina lingua loquentes fuit tam vulgatum quam Romuli? Sic legitur in inscriptionibus Festus Romulus; i) C. Annius Romulus; k) Flavius Romulus; l) Curius Romulus; m) Postumius Romulus; n) Aemilia Romula; o) C. Attius Romulus; p) vt omittam alios. Neque etiam nomen Romuli recentiori aeuo in Italia fuisse insolens, docebit exemplum, infra e Petri Albini Chronico proferendum. Alii fabulas, a Romulo compositas, adscribunt Romulo Augustulo, vltimo imperii Romani occidentalis imperatori; quorum in numero habendi sunt, praeter Nilantium, q) Christius r) et Hauptmannus. s) In praefatione enim ad Esopum moralisatum t) exstant haec: post hoc a Romulo imperatore romano ad instruendum filium suum in latinum venit; in Codice autem MS. Nilantii Dedicationi Romuli ad filium inscriptum erat: Romulus, vrbis Romae imperator, Tiberino, filio suo, salutem mittit. u) Quibus rebus factum est, vt viris doctis, paullo ante memoratis, Romanorum imperator fabularum, quae hodie sub Romuli nomine circumferuntur, esset vel auctor, vel interpres. At haec cum incerta sint et, si quid ego judico, ab imperatoris Romani persona aliena, maxime hisce temporibus: cel. Eschenburg x) vero videtur esse simile, hisce fabulis eo tempore, quo vel scribi, vel fre-

dito: zur Gesch. und Litterat. *Beytr.* V. ibique Additam. *Eschenburgii.* p. 61.

i) *Gruteri* Corp. Inscriptt. T. II. p. 931. n. 6.

k) Id. l. c. T. II. p. 901. n. 12.

l) Id. l. c. T. II. p. 857. n. 1.

m) Id. l. c. T. I. p. 679. n. 10.

n) Id. l. c. T. I. p. 458. n. 7.

o) Id. T. II. P. I. p. 1126. n. 6.

p) Id. l. c. T. I. p. 524. n. 6.

q) Praef. cit.

r) Fabb. Vet. Aes. L. II. p. 77.

s) Not. brev. Auct. Vet. Gr. et Lat. *Ger.* et *Lips.* 1779. 8. p. 267. quem citat Ill. *Eschenburg.* l. c.

t) Daventr. 1502. edit. coll. *Eschenburg.* l. c. p. 61.

u) *Idem* l. c. p. 62.

x) Loc. cit.

quentius legi coeperunt, ad augendam earum auctoritatem, imperatoris Romani nomen fuisse praefixum; quemadmodum Alphonsum regem fabularum quarumdam auctorem perhiberi constet. Atque etiam fuerunt, qui Romulo Romalii nomen inderent. Non enim hoc loco praetermittenda sunt, quae reperit Barthius y) in peruetusto Codice, qui continebat fabulas, genere elegiaco scriptas, auctore Anonymo, quem vulgo dicunt Anonymum Neveleti, vbi inueniebantur haec: Aesopus magister Atheniensium fuit. Quidam vero imperator Romanorum rogauit Magistrum Romalium, vt sibi aliquas jocosas fabulas conscriberet, ad remouendum publicas curas. Magister Romalius, non audens precibus tanti viri contradicere, auctorem graecum in latinum transtulit. Etsi vero hic sermo est de libro fabularum elegiacarum, quae Anonymum Neveleti habent auctorem, non de fabulis Romuli, prosa scriptis: facile tamen intelligitur, Romulum errore scribae mutatum fuisse in Romalium, atque Magistrum Romalium non alium esse, quam Romulum nostrum, cujus fabulas prosaicas, vt docebunt Sequentia, Anonymus postea in metrum redegit, adeo quidem, vt mirum videri non possit, fabulas elegiacas in Cod. MS. Barthii Romalio, i. e. Romulo, a glossatore inepto fuisse attributas. Sed de hoc infra paullo vberius expositurus sum. Videri possit, Romulum fuisse Atheniensem. Dedicatio enim Romuli ad Tiberinum filium in Editione Vlmensi ita incipit: Romulus Tiberino filio de ciuitate attica S. Esopus quidam homo graecus et ingeniosus fabulis suis docet homines cet. quae in Germanica Steinhoewelii versione sic redduntur: Romulus synem Sun von der statt Athenis hail! Esopus ist gewesen ein sinnricher Man uſs Kriechen cet. Quibus, praeter alios, inductus est Christius ad credendum, z) Romulum fuisse Athenien-

y) *Advers.* L. III. Cap. 22.

z) *Prolus.* de Phaedro ejusque fabulis p. 55. vbi appellat Romulum ironice *Aesopum Athe-*

sem. At recte monet Eschenburgius, a) additamentum ad vocem Romuli, de civitate attica, ortum esse vel praua interpunctione, vel, quod malim, transpositione, librariorum culpa facta. Verba enim, de civitate attica, ad Aesopum, non Romulum referenda sunt. Nam in Codice Divionensi sic legitur: *Romulus Tyberino filio.* De civitate Attica Aesopus quidam cet. atque etiam Cod. MS. Leidensis, ex quo Romuli fabulas edidit Nilantius, b) habet veriorem lectionem: „Romulus Thiberino filio! Civitate attica Aesopus quidam, homo graecus et ingeniosus, fabulis suis docet homines" cet. Quae quidem conjectura confirmatur iis, quae leguntur apud Vincentium Bellovacensem: c) „exstant Aesopi fabulae elegantes et famosae. Quas Romulus quidam de graeco in latinum transtulit, et ad filium suum Tybertinum d) dirigit, ita scribens: de civitate attica Esopus quidam homo graecus et ingeniosus famulos suos docet." Ex quibus omnibus luculenter apparet, Aesopum loco supra citato appellari ciuem Atheniensem, adeoque Romulum ciuibus Atheniensibus non esse adnumerandum; litteras vero C. A. quas Christius in quibusdam libris nomini Romuli praescriptas inuenit, e) et quas incertas nominis ac praenominis litteras vocat, sed ad Aesopum, non Romulum referendas, nil aliud significare, quam civem Atheniensem, seu Atticum. f)

Sed de aetate Romuli non magis constat, quam de

nis Atticis semilatinum, et p. 56. mentione facta metaphraseos Phaedri fabular. prosaicae addit: *at haec tam barbara ab ipso Romulo, Atheniense praesertim, esse profecta, cum ratio et Gyraldi testimonium, tum argumenta, e Theotisco Romulo petita, non patiuntur.*

a) *Additam.* ad *Lessingii* Anonymum Neveleti p. 63. libri cit.

b) Cf. Ej. *Fabb. antiquae.* p. 65.

c) *Speculum Historial.* Lib. IV. c. 2. coll. *Eschenburg.* l. c. p. 64.

d) Romuli filius rectius dicitur *Tiberinus*, quam *Tibertinus*, seu *Tybertinus*. *Tiberinus* habent Codd. Divion. et Nilant. itemque Edit. Vlmens.

e) Prolus. cit. p. 55.

f) *Eschenburg.* l. c. p. 63. sq.

nomine ejus et patria. Certum est, eum saeculo XIII. esse antiquiorem. Nam ejus meminit Vincentius Bellovacensis, *) Scriptor, saeculo XIII. clarus. Cui sententiae fauet Codex Divionensis, quem quingentorum et amplius annorum esse, contendit Gudius, grauis in hoc genere testis. Quae cum ita sint, dubitari nequit, Romulum, aetatis ferreae Scriptorem, saeculo XI. aut XII. non esse juniorem. At vero in tantis, quibus premitur, tenebris, quis certum aetatis tempus definire audeat?

Iste igitur Romulus, de quo hactenus disputauimus, composuit fabularum Aesopiarum, prosa, non versu, scriptarum, Libros IV. qui complectuntur fabulas LXXX. Quae fabulae, vt viris doctis recte videtur, g) e Phaedro manifesto sunt desumtae; etsi auctor earum dicat in Praefatione libri I. Ego Romulus transtuli de graeco sermone in latinum. Membra enim poëtae latini melioris distracta, carminumque frustra secta, vbique obuia, facile agnoscas; **) ita quidem, vt vix dubitari possit, Codicem fabularum Phaedri MS. in manibus habuisse Romulum, cum saepissime ipsa Phaedri, quem hodie habemus, verba seruaverit. Propterea Gudius Romulum fabularum Phaedri Metaphrastem, aut Phaedrum barbare glossatum recte dixit. h) Fabulae Romuli primum, quod sciam, impressae sunt, nescio ex quo Codice, Vlmae, in officina Joannis Steineri, cum Henrici Steinhoewelii Versione germanica, sine mentione anni, at conjectura probabili intra ann. 1476 — 1484. i) Porro fabulas Romuli habet Codex Divionensis, nunc primum ad exemplum Gudianum a me editus, cum varietate lectionis Editionis Vlmensis. Denique editae sunt ex Cod. MS. Leidensi a J. F. Nilant, Lugd. Bat. 1709. k) at varie muti-

*) Vide Ej. Spec. Hist. L. IV. C. 2. Adde Notata in Notit. Litter. de Vincent. Bellovac.

g) Vid. *F. de Blankenburg.* Zusätze. T. I. p. 548. *Fabricii* B. L. T. II. p. 30.

**) *Christii* Prolus. cit. p. 66. coll. infra Disp. de Phaedro, Antiquit. Script.

h) Not. in Phaedri Fabb. L. I. Fab. 8.

i) Vid. supra de Codd. MSS. Phaedri n. 4.

k) V. de Editt. Ph. ann. 1709.

latae et corruptae; quae editio LX. habet fabulas, cum in Vlmensi et Codice Divionensi reperiantur LXXX. Etenim Nilantius in Codice, quo vtebatur, tantummodo XXXXV. inuenit fabulas, quibus adjecit appendicem XV. fabularum ex Romulo Vlmensi, ita quidem, vt essent LX. addita nota: sequentes fabulae reperiuntur quoque apud editum Romulum, cujus ne quid desideretur, et quia nonnullae Phaedri phrases diserte exhibent, eas in postremo agmine collocavi. l) Nihilo vero secius in Romulo Nilantii XX. desunt fabulae, quas habet Divionensis, et, si duas excipias, *) quoque Ulmensis; e quibus XII. e Phaedro expressae sunt. Ex quo intelligitur, Romulum et Vlmensem et Divionensem multum praestare Romulo Nilantii, qui vsus est Codice pessime descripto et mirum in modum interpolato, vt fuse et erudite monstrauit Lessingius, m) cujus disputationem non lubet hoc loco repetere. Judicante vero eodem illo Lessingio, rationibus lectorum, fabularum cupidorum, melius consulturus fuisset Nilantius, si fabulas Romuli ex editione Vlmensi excudendas curavisset, adjectis variis Codicis sui lectionibus. At vero variae istae Lectiones cui bono? Nam, si quid ego judico, fabulae Romuli Nilantii criticis vsibus parum inseruiunt.

Probe distinguendus est Romulus a Rimicio, vt vulgo scribitur, sed cujus verum nomen est Ranutio d'Arezzo. n) Sic discernitur in Supplemento Supplementi Chronicarum ab ipso mundi exordio vsque ad redemtionis nostrae annum MCCCCCX. editum

l) *Lessingii* Romulus et Rimic. p. 56. sqq.

*) Vid. Fabb. Romuli e Cod. MS. Div. L. IV. F. 13 et 14.

m) L. c. p. 54 — 57.

n) v. *Blankenburg* Zus. T. I. p. 550. *Fabricii* B. G. Vol. I. p. 637. vbi *Harlesius* V. D. laudat *gli Scritt. Ital.* Bresc. 1753. f. Vol. I. P. II. p. 1020. Alii appellant *Rinutium*, alii *Remicium*, nunc *Aretinum*, nunc *Thettalum* dictum; alii aliter: vnus enim idemque homo fuit. De qua scripturae varietate cf. *Fabricii* B. L. T. II. C. 3. p. 29. Adde Cel. *Saxii* Onomast. Litt. T. II. p. 445.

et novissime recognitum: et castigatum a venerando patre Jac. Philippo Bergomate ordinis heremitarum — Venet. 1513. f. p. 75. „Harum (de Aesopi fabulis loquitur) nonnullas cum Romulus quidam ad eruditionem filii Tyburtini versum in latinum o) jam diu transtulerit: novissime eas omnes vna cum ipsius Esopi vita Rainutius quidam, eruditus vir, ad Antonium tituli S. Chrysogoni presbyterum Cardinalem latinas accuratissime fecit.“ p) Quae docent, Romulum et Rimicium diuersos fuisse homines, etsi a plurimis doctissimis viris confundantur. Distinxit eos quoque Nilantius in editione ann. 1709. Jam vero cum Rimicius opusculum dedicauerit Antonio Cerdano, viro purpurato, qui vita excessit 1459. fabulae Romuli autem inueniantur in Codd. MSS. quadringentis quingentisue annis antiquioribus: facile vides Romulum et Rimicium esse discernendos. q) Rimicius autem Vitam Aesopi et fabulas 96. r) quae ex altero Babrii volumine, ex mente Tyrwhitti, prosaice erant factae, s) ante ann. 1459. e graeca lingua in latinam prosaice transtulit. *) Sed hujus loci non est, de scriptis, nomine et cognominibus Rimicii vberius disputare. Docte enim de hisce omnibus egerunt Lessingius t) et Quirini vir purpuratus, u) quos adeant lectores, quorum interest. Hoc

o) Fuerunt enim, qui fabulas Anonymi elegiacas adscriberent Romulo. De quo infra.

p) *Harlesius* ad *Fabric.* Vol. I. p. 637.

q) *Lessing.* in Rom. et Rimic. p. 59. sqq.

r) Editae sunt sub titulo: *Vita Aesopi e graeco latina per Rynutium facta.* In calce *Mediolani. Anton. Zarotus Parmensis.* f. 1476. Postea saepius recusae. Editiones recensentur a *F. de Blankenburg* l. c. T. I. p. 650. et *Harles.* ad *Fabric.* Vol. I. p. 637. sqq. quos viros doctissimos compara. Editio Accursiana habet 100. Rimicii fabulas, teste *F. de Blankenburg* l. c.

s) Diss. de Babrio. coll. *Harlesio* ad *Fabric.* Vol. I. p. 637.

*) *Lessing* in *Rom.* et *Rimic.* p. 60. coll. supra de Codd. MSS. Phaedri n. 4.

t) L. c. p. 60. sqq.

u) In Diatriba ad Epp. Franc. *Barbari* P. I. C. 4. §. 7. et inprimis in Ep. ad *Schelhornium* subjuncta. T. III. *Freytag.* Ap-

loco tantum monere sufficiat, editionem Vlmensem non esse curatam a Rimicio, vt male putabat Nilantius; neque etiam fabulas Romuli cum reliquis editionis Vlmensis fabulis ab eodem Rimicio versas esse germanice, quae erat Neveleti sententia. x) Namque Vlmensis editio nil debet Rimicio, nisi vitam Aesopi et fabulas XVII. e graeco latine versas; sunt Fab. 2, 3, 5, 7, 10, 15, 18, 21, 40, 43, 53, 68, 70, 74, 90, 97, 100, secundum ordinem Rimicii. Revera autem e graeco latine vertit Rimicius, non, vt Romulus, simulavit, se vertisse; id quod contra Cannegieterum probavit Lessing in Rom. et Rimic. p. 71. sq. interpretatio vero germanica fabularum Romuli et aliorum auctorem habet Henr. Steinhöwel, quemadmodum patet ex antecedentibus.

e) *Anonymvs Neveleti.*

Sub hoc nomine circumferuntur LX. fabulae, genere elegiaco scriptae, ortae e prosaicis Romuli fabulis, in metrum redactis; id quod probandum suscepit Lessingius, y) quem deinde secuti sunt alii. *) Leguntur autem apud Lessingium haec: „was sonst an diesen vier Büchern Fabeln (des Romulus) hier (in der Ulmer Ausgabe) merkwürdig ist, ist dieses: daſs ihnen ausser der deutschen Uebersetzung des Steinhöwel auch die elegischen Fabeln des alten Anonymus, so weit sie reichen, untergeordnet sind. Sie reichen aber nur bis auf das vierte Buch, ob sie schon überhaupt aus den prosaischen Fabeln des Romulus, genommen und entstanden zu seyn, die offenbarsten Spuren haben. Denn es sey nun, daſs das vierte Buch von ihnen verlohren gegangen, oder daſs es nie

par. Litter. p. 785. sqq. qui libri laudantur ab Harlesio, V. C.

x) De quo fuse et erudite disputatum a *Lessingio* in R. et R. p. 63. 64. 70. 71. 72. 73.

y) In *Romul.* et *Rimic.* p. 67.

exstat. in *Beytrag* I. zur Geschichte und Litter.

*) v. *Blankenburg* Zus. T. I. p. 548. ill. *Eschenburg* in Additam. ad *Lessingii* Anon. Nevel. p. 60.

zur Wirklichkeit gekommen: so ist doch das, dafs dieser Anonymus nichts als der versificirte Romulus ursprünglich sey, nicht allein aus der Folge der Fabeln klar und deutlich, welche bey beiden die nehmliche ist, sondern auch aus der Uebereinstimmung der Fabeln selbst, und besonders aus dem Vorberichte der 21sten. Denn warum hat diese 21ste Fabel bey dem Anonymus anders einen besondern Eingang, von dem Nutzen der Fabel überhaupt, als weil sie die erste des zweyten Buchs bey dem Romulus war, und an so eine Stelle dergleichen allgemeine Betrachtungen wohl gehören? Daher ist es denn auch gekommen, dafs die Arbeit des Anonymus für die eigene Arbeit des Romulus gegolten, und so wohl in Manuscripten, als in gedruckten Büchern des erstern elegiesche Fabeln den Namen des letztern führen.“ Sed neque de nomine Anonymi, neque de tempore, quo fabulas scripsit, satis constat; atque etiam de Latinitate et virtute poëtica haud vna est virorum doctissimorum sententia. Gyraldus z) et H. Bebelius a) appellant Romulum; sed male. Namque in dedicatione, prosaicis fabulis praefixa, Romulus diserte affirmat: id ego Romulus transtuli de graeco in latinum. *) Atque etiam in Codd. MSS. Dedicatio Romuli ad Tiberinum, filium, prosaicis fabulis semper praefigitur; sed praefatio ad elegiacas neque Romuli, neque Tiberini habet nomina. Facile autem fieri poterat, vt Gyraldus induceretur in errorem. Nonnullae enim Inscriptiones et praefationes vel Codd. MSS, b) vel

z) De poëtar. Histor. Dial. V. p. 306. T. II. Opp. ex Edit. *Jensii.* quem citat *Lessing.* in Anonym. Nevelet. p. 46. vid. *Beytrag.* V. zur G. u. Litt.

a) In Epist. qui auctores legendi sint, ad eloquentiam comparandam. *Argent.* 1513. 4. coll. *Harles.* ad *Fabricii.* B. G. Vol. I. p. 649. sq.

*) *Lessing* l. c. p. 46. 47.

b) Vid. Praef. *Nilantii* ad Fabb. Ant. quam laudat *Eschenburg* in Additament. ad *Lessingii* Anon. Nevel. p. 60. 61. Sic in obsoletis Barthii membranis, quae exhibebant Anonymi fabulas, legitur nomen *Magistri Romalii*, i. e. Romuli, vt supra docui, in Dissertatiuncula de Romulo; coll. *Barthii* Adv. L. III. Cap. 22.

Editionum impressarum c) nominant Romulum fabularum Anonymi auctorem. Neque mirum cuiquam videri debet, nomen Romuli fuisse inscriptum et prosaicis et elegiacis fabulis, si cogitet, in priscis fabularum libris elegiacas prosaicis esse subjectas, v. c. in Editione Ulmensi; d) si perpendat similitudinem fabularum et aequalem, quo se invicem excipiunt, ordinem; prosaicas denique vna cum elegiacis fabulis in vsum scholarum fuisse excusas. e) Anonymus noster vocatur Accius laudibusque effertur in caelum a J. C. Scaligero. f) „Hic enim: Accius, inquit, si quis alius, tum accuratus, tum argutus poëta est. Illud obseruarunt praeceptores nostri, ab eo nusquam Ecthlipsin vllam factam in carmine syllabarum. Videmur tamen nos alicubi vnam aut alteram deprehendisse. De ipso vero ita judico: quae dixit, a me nullo modo melius dici posse. Quare cum poëtis nouitiis non solum ediscendum ob fabularum utilitatem; sed etiam propter versuum munditias imitandum.“ Mirifice displicet hoc Scaligeri de Anonymo judicium Lessingio. g) Descripsit autem Accius Zuchius (Accio Zucco) Anonymi fabulas per epigrammata latina et Italica, et ab illius nomine opus istud inscribitur: libellus Zuccharinus. h) Itaque quoniam Italus, Accio Zucco, fabulas Anonymi in linguam Italicam metrice transtulit, factum est inde, vt Scaliger Accium ipsum illarum latinarum fabularum haberet auctorem; i) in cujus

c) Vid. *Esopus moralisatus Daventr.* 1490. et 1502. qui libri continent fabulas Anonymi elegiacas. coll. *Lessingii* Rom. et Rim. p. 67.

d) *Lessingii* Anon. Nevelet. p. 57.

e) *Eschenburg* in Addit. ad *Lessingii* Anon. Nevel. p. 60.

f) Poëtic. L. VI. C. 4. p. 304. Edit. 1561. apud *Vincentium. Accium* quoque subinde vocauit *Christius*, Prolus. cit. p. 55. non quod verum hoc nomen putaret, sed vt aliquo non obscuro vtcunque designaret, atque vt obiter distingueret ab alio fabularum scriptore, quem Nilantius dedit.

g) Vid. *Ej.* Anonym. Nevelet. p. 49.

h) *Fabricii* B. G. Vol. I. p. 656. vbi vide Not. *Harlesii* V. C.

i) *Lessingii* Anon. Nevelet. p. 49. sq.

sententiam discesserunt deinde alii. k) Scaligeri placita non magis se mihi probant, quam Barthii, l) fastidiosi elegantiarum existimatoris, respectu Anonymi. Is enim hunc appellat poëtam **priscum**, in obsoletissimas membranas exaratum, sed valde **ineptum** atque **barbarum**. Post haec exordium Lib I. et fabulam I. speciminis loco producit, addita nota: „talis est vniuersa illa poësis. Si quis me auctoris nomen roget, dicam, **Bernardum** esse, cujus ad oculum similes versus de Castoris fabula producit **Silvester Gyraldus**. m) Sed recte rejicit **Lessingius** n) futilem hanc Barthii conjecturam: nititur enim argumentis, ad probandum parum firmis. Neque etiam Barthium serio contendisse arbitror, Bernardum Anonymi scripsisse fabulas, cum in sequentibus de auctore certiori, **Magistro Romalio**, cujus nomen inuenerat in membrana, verba faciat. **Christius** de auctore fabularum Anonymi haec memoriae prodidit: o) „nugae glossarum veterum ineptissimarum modo scriptorem earum elegiaco carmine fabularum (denuo publicatarum a Neveleto) faciunt **Magistrum Esopum de civitate Atheniensi**; p) modo **Gualterum Anglicum**, qui, vt puto, est inter cathedrae Romanae purpuratos, dictus a **Winterborn**, quem tradunt diem suum obiisse a. C. N. CIↃCCCV. q) modo subobscure aliquid ex hoc libro tribuunt **magistro Romulo**: quatenus fortassis argumenta praebuit.“ r) Sunt denique, qui Anonymum, saepius memoratum appellent **Romulum juniorem**, Petri Mosellani aequalem et

k) *Harlesius* ad *Fabric.* Vol. I. p. 656.

l) Advers. L. III. c. 22.

m) Itinerar. Cambriae. L. II. Cap. III. coll. *Lessingii* Anon. p. 53.

n) L. c.

o) Prolus. cit. p. 55.

p) Factum hoc propterea, quod Aesopus, auctor, materiam fabularum reperit. v. *Lessingii* Anon. Nevel. p. 56.

q) Qua auctoritate *Christius* haec dicat, ego quidem diuinare non possum.

r) Qui factum sit, vt et prosaicis et elegiacis fabulis nomen *Romuli* praefigeretur, paullo ante demonstratum est.

Jul. Pflugii in Italia praeceptorem, s) nescio, qua auctoritate; sunt, qui nuncupent Salonem Parmensem, maxime nixi testimonio Gyraldi, t) qui: „posset, inquit, et inter hos poëtas reponi Romulus ille, qui ad Tibertinum, filium, librum scripsit, quem ab imitatione Apologorum Aesopi illius Phrygis, fabulas Aesopi nuncupauit, non, vt aliqui rati sunt, transtulit. Mirum vobis dicam, quam anxie Parmenses quidam, non Romulum, hujus libelli auctorem asserant, sed suum quendam Salonem municipem, qui poëta dum Athenis studeret, e Graeco fabulas has nostris moribus vt ajunt aptando, carmine composuerit. Sed certe hoc ipso, vel Romulo, vel Salone, me puero nullus liber aeque triuialibus magistris terrebatur, post Alexandri ineptias.“ u) Sic Morellus obseruat, x) auctorem fabularum, de quo verba facimus, Salonem Parmensem vocari, praecipue in quodam epistolae fragmento, typis edito, eique adsentiri nuperum scriptorem Marcheselli. y) At quae de Salone isto Parmensi traduntur, ita profecto ambigua atque incerta sunt, z) vt

s) *Fabricii* B. L. T. II. p. 29. coll. *Pet. Albini* Chronic. Misenens. p. 357. quo loco haec litteris consignata leguntur: *Hieher gehöret was* Fabricius ad Damianum Pflugium *geschrieben:* „ego certe inter Julii nostri felicitates hanc numero unicam, quod cum doctores praeclaros habuerit, in Germania Mosellanum, in Italia *Romulum,* inciderit tandem in hunc senem nostrum.“ cet.

t) De Poëtar. Hist. Dial. V. p. 306. T. II. Opp. L. B. 1696. f. edit. a *Jensio. Gesnerus* in Bibliotheca, coll. *Christii* Prolus. p. 56. F. *de Blankenburg* Zusätze. T. I. p. 548.

u) Per *Alexandri ineptias* intelligendam esse Grammaticam *Alexandri de Villa Dei*, versibus leoninis scriptam, sub titulo: *Doctrinale,* contendit *Lessingius* in Anon. Nevel. p. 47. quem de hoc Gyraldi loco consules.

x) Catal. MSS. Lat. apud Nanios, (Patricios Venetos) p. 153.

y) Delle giunte alla Raccolta Pesarese cet. p. 23. e Seg. N. R. Calog. T. XXIV. Vid. *Harles.* ad *Fabric.* B. G. Vol. I. p. 650.

z) *Lessing* in Anonym Nevelet. p. 47.

vim probandi vix habeant. Ex quibus omnibus perspici mihi posse videtur, verum nomen Anonymi jacere, et, nisi historiae lumen aliquando accedat, jaciturum esse in tenebris. Qualis fuerit, et quando vixerit Anonymus, aeque incertum est. Eum jamjam a Scriptoribus saeculi XIV. allegari, scribit Fabricius; a) a quibus, non addit. At memorat Barthius b) Codicem fabularum Anonymi, in obsoletissimas membranas exaratum; Ill. vero Eschenburg c) et Lessingius alterum Bibliothecae Guelferbytanae Codicem, Anonymi fabulas continentem, duodecimo assignant saeculo. Quae si a veritate non sunt aliena, conjicere licet, Anonymum ad minimum scriptorem esse vndecimi duodecimiue saeculi, si tamen non est antiquior. Si Christium audiamus, Anonymus, siue spectes rem, siue orationem, scriptor putandus est, saeculo IV. haud indignus: „quid? quod ipsi Aviano anteferendus. Sic enim scribit: d) scilicet sunt Anonymi, aut Romuli, aut Accii cujusdam nomine, eodem carminis genere, quae illis, Avieno inscriptis, nisi meliores, inferiores re atque oratione non sunt. Licuerit Perotto libros habere, in quibus hae quoque Avieno inscriptae essent: vel licuerit ei sic opinari, aut judicare denique, vtrasque, vel has maxime scitiores, Avieni esse.“ Quod quidem Christii de Anonymo judicium haud immerito mirum ac minus rectum videtur Lessingio. e) In contraria currit Scaliger, f) qui Anonymum

a) Bibl. Lat. T. II. p. 29.

b) Advers. L. III. Cap. 22.

c) In Additam. ad *Lessingii* Anon. Nevel. p. 65.

d) Prolus. de Phaedro. p. 39.

e) V. *Ej.* Anonym. Nevelet. p. 57. vbi ait: *Wenn dieses Urtheil sehr gemäſsiget zu seyn scheinet, indem es gleichsam zwischen den Meynungen des Barth und J. C. Scaliger mitten inne liegt, so ist es doch darum nicht minder paradox, indem es der Rangordnung, nach welcher man gewöhnlich die spätern Römischen Autores auf einander folgen läſst, so gewaltig widerspricht. Aus éinem barbarischen Versmacher nemlich wird der Anonymus auf einmal ein Scribent, wie wir uns nur immer einen* virum consularem *des vierten Jahrhunderts, wenigstens einen Höfling der Antoniner gedacht haben.*

f) L. c.

vocat poëtam et argutum et accuratum, cum ob fabularum vtilitatem ediscendum, tum propter versuum munditias imitandum; sed in recentiorum poëtarum habendum numero: id quod factum a tali viro, vnusquisque, elegantiae et pulcri sensu imbutus, recte miratur. g) Barthio de Anonymo quid visum fuerit, supra vidimus; Bebelio h) vero hae fabulae nulla Venere et lepore, Musis scilicet et Gratiis repugnantibus videntur scriptae, vbi puritas quoque verborum desideretur. In tanto virorum doctissimorum dissensu et judiciorum discrepantia medio ibimus tutissimi. Fateamur igitur, Anonymum Phaedri vestigiis insistere, *) ejusque fabulas non omni carere elegantia; concedamus easdem jucundas esse et vtiles; at propter latinitatem barbaram, passim obuiam, ineptum verborum lusum, aeque ac affectatam elisionum fugam, nec non assimilationes frequentes jure vituperandas. i) Quas Phaedri fabulas Anonymus expresserit, indicaui infra ad calcem vniuscujusque fabulae.

Inueniuntur Anonymi fabulae in Editione Ulmensi cum Romuli aliorumque fabulis; k) excusae sunt in veteribus Editt. sub titulo: Esopus moralisatus cum commento optimo. Daventr. 1490. et 1502.; l) exstant

g) Cf. *Lessing* l. c. p. 49. sq. p. 50. l. c. *Gellertus* de Poësi Apologor. p. 34. haec de Anonymo habet: „mea quidem sententia Avieno praestat, sed peculiari laborat morbo, repetitione scilicet ejusdem vocis et male ingeniosa oppositione. Si ab hoc ingenii lusu recedimus et quibusdam non satis latine dictis, multa laude dignus est, nescio num ea, qua illum Scaliger extulit."

h) Epist. qui auctores legendi sint ad eloquentiam comparandam, edit. Argentor. 1513. 4.

*) *Neveletus* in Not. in Anonym. Fabb. p. 668. Mythol. Aesop. „*Simiam Phaedri* hunc nostrum qui dixerit non errauerit. Ita enim est. Quascunque fere fabulas vna cum Phaedro describit, Phaedrum in iis sequitur, et nonnunquam ejus verba seruat."

i) *Lessingii* Anonym. Nevelet. p. 53. 54. coll. iis, quae de elisionum fuga notauit ad

k) V. supra de Codd. Phaedri MSS. n. 4. sub fin.

l) *Lessingii* Romul. et Rimic. p. 68.

quoque in Neveleti Mythol. Aesop. m) Vsus est autem Neveletus Codice Palatino membranaceo, et aliquot priscis Editt. inprimis Ulmensi; adhibuit etiam lectiones nonnullas Cod. MS. Biblioth. Victorian. Paris. ex quo Rigaltius quinque ediderat fabulas, atque inseruerat Notis in Phaedrum. Quibus subsidiis instructus Neveletus priscas editiones plurimis locis emendauit. De aliis istarum fabularum Editionibus et Versionibus, cum Anglica, edita 1503. interprete Wynkyn de Worde; tum Italica, paullo exponunt vberius viri eruditissimi Eschenburg, n) et F. de Blankenburg. o) Praeter Codices fabularum Anonymi MSStos, Palatinum, et Bibliothecae Victorian. Paris. Codicem paullo ante memoratos, hodie supersunt: Cod. MS. qui exstabat olim in Bibl. Paulli Petaui; *) Codex bibliothecae quondam regiae Paris. 893. qui continet Romuli, seu potius Anonymi fabulas, sub titulo: Liber Hisopi; p) duo Bibliothecae Guelferbytanae Codices, alter XII. alter XIV. saeculi. q) Alter, qui inscribitur: Incipit liber Apologorum Esopi, complectitur LXII. fabulas; duabus enim aucta est, quae neque in Edit. Ulmensi, neque apud Neveletum, neque in vllo alio fabularum scriptore reperiuntur, et quas juris publici fecit Eschenburg, V. C. r) Eidem viro docto debemus collationem duarum Anonymi fabularum XII. et L. ad calcem dissertationis suae impressam. Contulit autem textum Neveleti cum Codd. MSS. Guelferbyt. nec non Editt. Ulm. et Daventr. variasque lectiones adjecit. Ex qua collatione potest intelligi, multa superesse, quae in fabulis Anonymi emendari possint.

m) V. supra de Editt. Phaedri ann. 1610.

n) Additam. ad *Lessingii* Anon. Nevel. p. 60.

o) Zusätze. T. I. p. 518.

*) *Fabricii* B. L. T. II. p. 28.

p) *Labbei* Bibl. Nov. MSS. p. 66.

q) De quibus conf. *Lessing* z. G. u. Litt. Beytr. I. p. 249. coll. *Eschenburg* in Addit. ad *Lessingii* Anonym. Nevel. p. 65. sqq.

r) L. c. p. 66. sq. alter Codex inscribitur: *Incipit Esopus*.

f) *Anonymvs Nilantii*, vulgo sic dictus.

Anonymus Nilantii, de cujus nomine, vita et aetate non habeo, quod dicam, scripsit LXVII. fabulas, soluta oratione expressas, et quoad dimidiam fere partem e Phaedro, vt nunc habemus, desumtas. s) Istae fabulae, si accurate loqui velimus, magnam partem sunt fabulae Romuli, at valde mutilatae et interpolatae. Habet tamen Anonymus complures, quae apud Romulum, cujus LXXX. fabulas habemus, Libris IV. neutiquam inueniuntur. Huc referendae sunt fabulae 2. 6. 8. 19. 24. 25. 30. 31. 32. 34. 36. 53. 57. 67. e quibus 2. 31. 32. 57. sunt fabulae Phaedri. t) Ex hoc poëta Anonymus XXXII. expressit fabulas. Quae si comparentur cum textu Phaedri, luculenter apparet, auctorem vsum esse MSto Phaedri Codice. Vide e. c. F. XXI. XXVI. Itaque hae fabulae in constituendo textu Phaedri diligenter consulendae sunt; id quod factum esse a nobis, lectores vbique locorum deprehendent. Multis locis enim Anonymus retinuit Phaedri et voces, et loquendi formulas, et integros versus. Editae sunt hae fabulae cura J. F. Nilant, qui e Codice MS. Js. Vossii, quem ab auunculo suo Jac. Gronovio vtendum acceperat, excudendas curauit, Notis adjectis. u)

g) *Vincentivs Bellovacensis.* *)

Vincentius Bellovacensis, natione Gallus, patria

s) Cf. *de Blankenburg* Zusätze T. I. p. 549.

t) *Lessingii* Rom. et Rimic. p. 58.

u) *Fabricii* B. L. T. II. C. 3. p. 30. it. de Editt. Phaedri ann. 1709. Vberiorem Codicis descriptionem habes in praef. Nil. Vid. quoque infra Disp. de Phaedro Antiq. scriptore.

*) De Vincentio *Bellovacensi* lege, quos laudant, Scriptores. Cel. *Saxe* in Onomast. Litter. T. II. p. 305. *Pope Blount* Censur. p. 411 — 413. *Bruckerus* in Hist. crit. Philos. T. III. p. 783 — 785.

Burgundus, x) non raro dictus de Burgundia, y) regnante Philippo Augusto, Galliae rege, litterarum caussa Lutetiam profectus, sub initia Ordinis Dominicani, huic adscriptus est. z) Dictus est Bellovacensis, non ab episcopatu, a) vt multi falso opinantur, *) sed a coenobio Dominicanorum, in quo Bellovaci (Beauvais) degebat. b) Floruit circa annum 1244. Obiit ann. 1256. **) vel, vt alii, forsan rectius, putant, ann. 1264.; c) ejus tamen vitam nonnulli protrahunt ad annum 1270, d) sed Lessingius, Vincentium circa ann. 1289. decessisse, memoriae prodidit. e) Scripsit Speculum quadruplex, quod artium et scientiarum Encyclopaediam non male dixeris: 1. historiale Libris XXXII. complectens historias ab origine mundi ad ann. 1244. Prodiit seorsim Norimb. 1473. et Mogunt. 1474. f) 2. naturale, de herbis, auibus, situ locorum et ratione temporum, cet. continens Libros XXXIII. g) seu, vt aliis placet, XXXII. h) quod opus scripsit ann. 1250. Sed teste Vossio ann. 1244. i) 3. morale, Libris III. in quo opere de motibus animi, de vitiis et virtutibus dis-

x) *Cave* Histor. Litt. Scriptt. eccles. T. II. p. 299. sq. *Bulaei* Hist. Univers. Paris. T. III. p. 713. Alii Bellovaco ortum esse statuunt. *Allg. Hist. Lex.* Tom. IV. sub *Vincentius Bellov.*

y) *Jöcher* in Lex. sub *Vincentius Bellov.* Sunt tamen qui Burgundum fuisse negent. Vid. *Allg. Hist. Lex.* T. IV. sub *Vincent. Bellov.*

z) *Bulaeus* l. c. Allg. Hist. Lex. l. c.

a) *Cave* l. c. *Bulaeus* l. c. *Allg. Hist. Lex.* l. c.

*) *Ambros. Altamura* in Bibl. Ord. Praedicat. p. 21. *G. J. Vossius* de Histor. Lat. L. II. c. 59. p. 477.

b) *Bulaeus* l. c.

**) *Bellarminus* de Scriptt. eccles. p. m. 201.

c) v. *Blankenburg* Zus. T. I. p. 549. *Cave* l. c. *Bulaeus* l. c.

d) *Bulaeus* l. c.

e) Hist. Fab. Aesop. p. 256. sq.

f) *Cave* l. c. Exstant Codd. MSS. *Spec. histor.* in Biblioth. Acad. Cantabrig. item Oxonii in Bibl. Colleg. nov. conf. *Vossius* de Hist. Lat. l. c.

g) *Bulaeus* l. c.

h) *Cave* l. c. *Bellarminus* de Scriptt. Eccl. p. 201.

i) *Bulaeus* l. c. *Vossius* de Hist. Lat. L. II. c. 59. p. 477.

seruit. At Bellarminus in Catalogo, vbi de scriptis Thomae Aquinatis agit, in dubium vocat, an Speculum morale sit fetus Vincentii Bellovacensis, an potius alicujus auctoris, aetate posterioris. k) Atque etiam, hunc librum a Vincentio scriptum esse, negat Jac. Echardus in Diss. de Scriptis Vincentii Bellovacensis. l) Editum est Speculum morale Norimb. 1485. et Ven. 1493. m) 4. doctrinale, continens Libros XVIII. non XVII. ut quidam memorant; n) in quo vastae eruditionis opere de omni litterarum et artium genere a Grammatica ordiens, et desinens in Theologia, exposuit vberius. Hocce Speculum impressum est Norimb. 1486. Sed Bibliothecae Weimariensis splendidae exemplum, saeculo typographico nitide et eleganter excusum, in lucem emissum est sine mentione anni et loci in fol. maximo.

Istud Speculum quadruplex, quod Bulaeus recte opus immensum vocat, Vincentius, petente et sumtus ministrante rege Francorum, non Philippo Valesio, ut quidam scribunt, *) sed Ludovico IX. composuisse dicitur, cujus filiorum praeceptor et instructor fuit, de quorum eruditione opus scripsit ad Margaritam reginam, Ludovici conjugem. o) Praeter alias editiones Speculi quadruplicis, quas recenset Cave, p) memoranda est Duacensis, edita sub titulo: Speculum majus, q) Tomis IV. 1624. fol. Alia quoque scripsit Vincentius, de quibus, praeter Henricum Gandavensem, r) conferatur Bulaeus. s)

Plura de Vincentio ejusque Speculo dabit Ambros.

k) Vid. *Henricus Gandavensis* de Scriptt. eccles. p. 170. exstat in *Miraei* Bibl. eccles. p. 161. coll. *Bellarmino* l. c. p. 205.

l) Paris. 1708. coll. *Cave* l. c. et *Lex. Univers. Hist.* T. IV. l. c.

m) *Cave* l. c.

n) *Bulaeus* l. c. *Cave* l. c.

*) *Henricus Gandav.* l. c. Schol.

o) *Bulaeus* l. c. coll. *Jöchero* in Lex.

p) Histor. Litter. Scriptor. Eccles. T. II. p. 300.

q) *de Blankenburg* l. c. T. I. p. 549.

r) Libr. cit. l. c.

s) L. c.

de Altamura; t) accuratiore vero judicio de vtroque agit Phil. Labbeus. u) Adde Jac. Echardum; x) maxime Morhofium atque Bruckerum, y) qui prudens et subtile judicium de eo fecerunt. Laudatus enim fuit ab his, culpatus ab illis.

Inseruit Vincentius Speculo suo doctrinali, non historiali, XXIX. fabulas Aesopias, quae exstant Lib. IV. a capite 114. vsque ad caput 124. Miratur Lessingius, z) hasce fabulas, prosa scriptas, nondum ad emendandum Phaedrum fuisse adhibitas; sed re vera adhibuit Jac. Tollius, cujus Notas et Emendationes ad Phaedrum, numquam antea editas, ante hos annos XX. ad calcem Editionis Phaedri subjunxi. a) E fabulis vero XXIX. quae leguntur apud Vincentium, XVI. sunt fabulae Phaedri, oratione soluta expressae. Sunt autem hae: Lib. I. F. 1. 4. 23. 5. 8. 12. 13. 21. 3. 24. 11. Lib. III. F. 20. 7. Lib. IV. F. 22. 23. 2. Quo facilius possit intelligi, istas fabulas non a Vincentio inuentas; sed paucis tantummodo mutatis, e fabulis Romuli maxima ex parte fuisse exscriptas; speciminis loco aliquas hic subjungam, quas comparabis cum fabulis Romuli.

Cap. CXIV.

De fabulis fictis contra calumniosos et insidiosos. Quales sunt et morales Aesopi fabulae, de quibus, exempli caussa, nonnullas hoc in loco placuit breuiter inserere. Nam etsi legenti, vel audienti misceant risum: acuunt tamen ingenium. Verbi gratia contra calumniosos fingitur, quod agnus et lupus sitientes ad rivolum e diuerso venerunt. Sursum bibebat lupus, longeque inferior agnus. Lupus ut agnum vidit, sic ait: turbasti mihi aquam bibenti

t) Bibl. ord. Praedicator. p. 21. quam laudat *Cave* l. c.

u) De Scriptt. Eccles. T. II. p. 478. coll. *Cave* l. c.

x) Bibl. Scriptt. Ord. Praedicat. T. I.

y) Vid. *Morhofii* Polyhistor. T. I. L. I. c. 21. §. 22. et *Bruckerus* l. c.

z) Zur Gesch. der Aesop. Fab. p. 256. sq.

a) Vid. P. III. p. 142. sqq.

Agnus patiens dixit: quomodo aquam turbaui tibi? a te ad me decurrit. Cui lupus: et maledicis mihi, inquit. At ille: non maledixi; lupus vero: pater, inquit, tuus multa mala mihi ondit. In fine autem alterationis lupus improba voce dixit: Et adhuc mihi loqueris latro? statimque in eum direxit et innocenti vitam eripuit.

Cap. CXV.

Quidam canis, flumen transiens, partem carnis ore tenebat; cujus umbram cum vidisset; in aquam patefecit os suum, vt illam caperet. Statim eam, quam prius tenebat, fluvius tulit, et illam, quam sub aqua esse putabat, obtinere non potuit. Sic quisquis alienum quaerit, dum plus vult, suum perdit.

Contra gulosos, qui ad vnum prandium rem suam perdunt, hoc quoque componit.

Nocturnus quidam fur cum cani panem immitteret, canis ait: panis tuus non pro gratia datur: tu ideo das, vt me laedas. Si modo mihi panem porrigas, num quid postea daturus es mihi, cum fame victus fuero? non praesentem tantum vitam volo, sed futuram praeuideo. Nolo igitur fauces meas pane claudas; sed nisi recesseris, ipse contra te latrabo, dominum ac familiam suscitabo, furemque illis nuntiabo.

Cap. CXVI.

Item contra illos, qui malos incaute iuvant, fabulam componit, dicens: Ossa dum lupus devorat, vnum ex illis transversum graviter in faucibus haesit. Lupus magno pretio, qui hoc malum extraheret, invitauit. Rogabatur grus collo longo, ut medicinam praestaret lupo. Id egit, ut caput mitteret, et malum de faucibus extraheret. Sanato lupo, grus reddi promissa praemia petiit, et lupus ait: o iniuria meis virtutibus! ingrata est illa grus, quae caput incolumis extulit, non vexatum dente nostro, et mercedem sibi postulat.

Item contra incautos; item contra illos, qui incaute sociantur potentibus, fingit, quod vacca et capella et ouis

fuerunt sociae simul cum leone. Qui cum in saltibus venarentur, et ceruum caperent, factis partibus leo sic ait: Ego primus tollo, quia leo: secunda pars mea est, eo quod fortior sum vobis; tertiam vero mihi defendo, quia plus vobis cucurri. Quartam autem qui tetigerit, inimicum me habebit. Sicque totam praedam illam sola improbitas abstulit.

Item contra illos, qui laudant sibi inutilia et vituperant vtilia. Ceruus, de fonte bibens, sua cornua magna vt vidit, nimium laudare coepit: crura tenuia vituperauit. Quod cum faceret, venatorum voces ac repente latrare canes audiens, fuga per campum euasit. At vbi eum silua suscepit, magnitudo illa cornuum venantibus eum retinuit. Tunc mortem suam videns ait: quae mihi erant vtilia vituperaui et deceptuosa laudaui.

Cap. CXVII.

De figmentis ejusdem contra vane gloriosos.

Item contra illos, qui laudari verbis subdolis gaudent, et postea poenitent, hanc fabulam fingit. Cum de fenestra coruus occasione caseum raperet, altam arborem supersedit. Vulpes vt hunc vidit, de contra sic ait: o corue quis similis tibi? et pennarum tuarum quam magnus est nitor! Qualis decor esset, si vocem claram habuisses: nulla prior auis fuisset. At ille dum placere voluit, et vocem suam validius ostendere, sursum clamauit, et, ore patefacto, caseum oblitus dejecit, quem celeriter dolosa vulpes auidius rapuit. Tunc stupens coruus ingemuit ac deceptus poenituit.

Fingit etiam idem fabulam, homines, in dignitate mansuetos esse, commonentem, hoc modo: annis defectus et viribus leo cum grauatus jaceret, spiritum extremum trahens, aper ad eum venit iratus, spumans fulmineis dentibus et ictum veterem vindicauit: taurus etiam cornibus hostile corpus leonis confodit. Asinus quoque feram vt sic vidit, calcibus illi frontem aperuit, et ille cum gemitu suspirans sic dixisse fertur: cum esset virtus mea, fuit honor; fuit timor, vt omnes visione mea fugerent, et opinio

ipsa terrerem plures. Quos autem non laesi, quibus et auxiliator fui, ipsi malignantur mihi; et quia sum sine viribus, nullus est honor pristinus.

Cap. CXIX.

Contra arrogantes. Item, ne quis de alienis bonis magnum se jactet, exhortatur; fingens, quod graculus pennas pavonum, quae ceciderant, sustulit, et inde se ornavit suosque contemnere coepit, et gregi pavonum se miscuit. At illi ignoto et impudenti pennas injuriose eripiunt. Calcibus ac morsibus eum fatigant; miserque semivivus ab eis relictus ad proprium genus redire timuit. Vbi cum esset, ornatus multos injuriose terruit. Tunc unus ex his ait illi. Si vestes tuas, quas natura dedit tibi, amasses, hae tibi sufficerent, nec ab illis injuriam passus, nec a nobis pulsus fuisses.

Item contra pauperem superbum.

In prato quodam rana vidit pascentem bouem. Putabat, se posse fieri talem, si rugosam impleret pellem, et inflans se, natos suos interrogauit: sum ipsa quanta bos? Dixerunt: non. Itérum se inflauit potius, et dixit suis, quod modo. Responderunt: nihil. Tertio cum se inflaret, rupta pelle, mortua est. Ideo vulgo dicitur: noli te inflare, ne crepes.

Cap. CXXIII.

Item contra illos, qui virtute facere nihil valent, et verbis inanibus alios terrent. Asinus e diuerso leoni occurrit, et sic ait: Ascendamus in cacumen montis, et ostendam tibi, quod et multi me timent. Leo ridens ait: eamus. Cumque venirent ad locum, stans asellus in edito loco voce dimissa clamare coepit. Quem audientes vulpes et lepores currere coeperunt. Cui leo ait: poterit et me terrere vox tua, si non te scirem, quis esses.

2. Scriptores Phaedrum illustrantes recentiores. *)

Jo. Schefferi Vita Phaedri, praefixa ejusdem aliisque aliorum Editionibus.

Vita Phaedri, auctore Tan. Fabro, praemissa Editionibus Fabri, nec non Editioni Phaedri, quae curata est a Petro Axen, Hamburgi 1671. 8.

La Vita di Fedro scritta dal Signor D. Filippo Argelati co' giudizi e testimoni in latino, tra l'una e l'altra, di chi parla di Fedro.

In *Corp. omnium veterum Poetar. Latinor.* seu *Raccolta di tutti gli antichi Poeti* cet. T. X. *Milano.* 1735. Nel Regio Ducal Palazzo in 4.

The Life of Phaedrus in Biograph. Classica, or the Lives and Characters of all the classic Authors. Vol. I. p. 230.

Brüggemanni View of the English Edit. p. 646.

Leben des Phaedrus, in der Lebensbeschreib. der Römischen Dichter von Ludw. Crusius, aus dem Englischen mit Anmerkungen von Christ. Heinr. Schmid, Prof. in Giesen. Halle. 1777. 8. B. I. S. 342. sqq.

Dictionnaire histor. et crit. par Bayle. Art. Phèdre.

Gottfr. Ephraim Müllers historisch-critische Einl. in die Alten Schriftsteller. B. V. Dresden. 1751. 8. p. 1 — 104.

Gabr. Schumann über das Leben und die Schriften des Phaedrus.

Vid. *Nov. Acerra Philolog.* p. 170. *Hal.* 1715. 8.

Commentarii de Vita Phaedri; praefixi Versioni Xav. Weinzierl metricae, a p. 2 — 18.

V. Vers. Germ. ann. 1797.

*) Scriptores quam plurimos, in Notis ad Phaedrum laudatos, hoc loco omisi.

Commentarii de Vita Phaedri, praemissi Versioni Jo. Paulli Sattleri metricae. p. 7 — 13.

Cf. Vers. Germ. ann. 1798.

Thomae-Pope Blount Censura celebriorum auctorum. Londini. 1690. fol. p. 68. 69.

Adr. Baillet Jugemens des Savans sur les principaux ouvrages des Auteurs. à Paris. 1722. 4.

V. T. IV. p. 147 — 150.

C. F. Gellert Diss. de Poësi Apologorum eorumque scriptoribus. Lips. 1744. 4. et ibid. 1773. 8.

Discours sur la Fable avec un examen des principaux Fabulistes, anciens et modernes.

Haec dissertatio exstat in libro, qui inscribitur: *Fables nouvelles et autres pieces en vers par M. D. D. L. P. D. C. Paris.* 1774. 12.

Saggio sopra Fedro di un Pastore Arcade. Nap. 1780. 8.

V. *Blankenburg* Zusätze. T. I. p. 548.

G. Bertola Saggio sopra la Favola. Pavia. 1788. 12.

Jo. Georg Sulzers Theorie der Aesopischen Fabel.

V. *Ej.* Theorie der S. K. T. I. Art. *Fabel.*

J. G. Herder über Bild, Dichtung und Fabel.

V. *Zerstr. Blätter.* Dritte Saml. p. 87. sqq.

Jo. Chr. Gottlieb Ernesti Diss. de Fabula Aesopia, praefixa Editioni Aesopi. excus. Lips. 1781. 8.

Jakob über die Aesopische Fabel der Alten. In Berlin. Monatsschrift. ann. 1785. p. 300. sqq.

Jo. Georg. Walchii Diss. de stylo Phaedri, praefixa Ejus editioni Lips. 1713. 12.

Jo. Frid. Christii de Phaedro ejusque fabulis Prolusio. Lips. 1746. 4.

Negat auctor dissertationis, Phaedrum, Augusti Libertum, esse auctorem fabularum, quas, argumentis operose cumulatis, Nic. Perotto, Archiepiscopo Sipontino, attribuit. Caussam Phaedri suscepit.

Jo. Nic. Funccius in Apologia pro Phaedro ejusque fabulis. Rintel. 1747. 8. Cui vero acriter respondit

Jo. Frid. Christius in vberiori expositione ad eruditos quosdam de moribus, simul de Phaedro ejusque fabulis. Lips. 1747. 8.

Hoc loco non alienum videtur notare, quae scribit Groslejus (Grosley) in Vita Petri Pithoei, (Vie de Pierre Pithou) Parisiis Tomis II. edita ann. 1756. „Les doutes, inquit, sur l'autenticité du Phédre se sont renouvellés de tems-en-tems. M. Christ, Docteur Allemand, vient de reunir les motifs de ces doutes dans une Dissertation intitulée: Joann. Fr. Christ Prolusio. On trouve ces motifs discutés et combattus dans le Discours préliminaire des Fables et Contes que M. le Boulanger de Rivery vient de donner au public.“ Vid. T. I. p. 373. libri citati. Qua ratione autem Boulangerus caussam Phaedri dixerit, videbimus in Excurs. ad L. III. F. XVII.

Censuras Prolus. Christ. et Apol. Funcc. Vid. in *Nouvelle Bibliotheque Germanique*. T. IV. p. 159. Erlang. gel. Anmerkk. und Nachr. 1747. p. 152. *Gött. Gel. Zeit.* 1747. p. 614. *Erlang. gel. Anmerkk.* 1748. p. 48. Noua *A. E.* 1749. p. 709.

Henr. Cannegieteri Diss. de Stylo et Aetate Aviani.

In *Ej.* Edit. Fabular. Fl. Aviani. *Lugd. Bat.* 1731. 8. p. 267. sqq.

Romulus und Rimicius von Gotthold Ephraim Lessing.

Vid. *Beytrag* I. *zur Geschichte und Litteratur* aus den Schätzen der Herzogl. Bibliothek zu Wolfenbüttel. *Braunschweig*. 1773. 8.

Griechische Fabulisten. Vid. Charaktere der vornehmsten Dichter aller Nationen. T. V. P. II. p. 269 sqq. Haec dissertatio auctorem habet Cl. Jakobs, Professorem Gymnas. ill. Gothani.

Lateinische Fabulisten, auctore Cl. Jakobs. Vide Nachträge zu Sulzers allgemeiner Theorie

der schönen Künste. T. VI. P. I. p. 29. sqq. qui liber etiam exstat sub titulo: Charaktere der vornehmsten Dichter aller Nationen.

Vterque libellus, eleganter profecto et acute scriptus, in hoc opere saepius laudatus est.

Caroli Ferd. Schmidii, Prof. moral. et ciuil. in Acad. Viteberg. Prolus. de Jurisprudentia Phaedri. Viteb. 1788. 4. Non sine fructu legi libellum in explicandis fabulis, quae ad Jurisprudentiam spectant.

Cf. *Bibliothek von Anzeigen und Auszügen kleiner meist akademischer Schriften.* I. B. 2. St. S. 221 — 224. Editor Vir S. V. *Paulus*, Prof. Theologiae Jenens.

Harlesii, Conrectoris quondam Lycei Culmbacens. Prol. de Phaedri fabulis, num ab iis primordia Lat. Linguae sint capienda. Culmbaci. 1754. quam recudi fecit T. C. Harles. in Opusc. varii argumenti p. 499. sqq.

Jo. Christ. Kupfers vernünftiger Vorschlag, wie man die sinn- und lehrreichen Aesopischen Fabeln Phaedri mit der studirenden Jugend hohen und niedrigen Standes also tractiren könne, daſs derselben nicht allein viel schöne Worte, sondern auch viel nützliche Sachen beygebracht werden, vorjetzo nur mit 20 nebst dem Prologo, aus dessen erstem Buche zur Probe erläutert.

De hoc libro vid. *Leipz. N. Z.* von gel. Sachen. 1717. No. 103. p. 834.

Griechische Ergötzungen, d. i. die weisen Sprüche Menandri, die sinnreichsten Erfindungen aus den Fabeln Aesopi, Aphthonii und Gabriae, die nützlichsten Briefe des Alciphronis und die lustigen Erzählungen Hieroclis, welche insgesamt in Griechischer Sprache mit einer darauf folgenden deutschen Uebersetzung nebst einem doppelten Anhange der Fabeln Phaedri und Aviani, die im Griechischen vorgekommen, der studirenden Jugend zu einem gesegneten Anfange in guten Sitten und ruhmlichen Gemüthsvergnügung an das Licht gestellet, von M. Abr. Kriegel. Leipzig. 1747. 8. bey Jo. Gottfr. Dyck.

Erl. gel. Anmerkk. 1747. p. 343.

Jo. Lud. Praschii Introductio in Phaedri fabulas. Praefixa ejus Editioni Phaedri.

Jo. Nic. Funccii Tr. de imminenti L. L. Senectute. Marb. Cattor. 1736. 4. Cap. III. §. 8. sqq.

Theoph. Christoph. Harlesii breuior Notitia Litteraturae Romanae. Lips. 1789. 8. Cap. VI. p. 435. sqq.

F. de Blankenburg Litterarische Zusätze zu Sulzers Theorie. I. B. Leipzig. 1796. gr. 8. p. 547. sqq.

Lettre sur le nouveau Phédre de Mr. Burmann écrite par un François refugié en Hollande. (l'Abbé Granet.)

Dans la Continuat. des Memoires de Litterature et d'Histoire (de Mr. *Sallengre* et du P. *Desmolets*) *Paris.* 1731. 12. T. X. Part. II. Art. 13. p. 443. Vid. *Lallemant* in Cat. raisonn. p. 235.

Christoph Hauptii, Rectoris Schol. Grimmens. Supplementum Fabular. Phaedri, insertum Misc. Lips. T. I. p. 258 sqq. Lacunas in Phaedro ex ingenio supplere tentauit, sed parum feliciter. Cf. Fabricii B. L. T. II. p. 34.

Thomae Crenii Animaduers. Philolog. P. V. Cap. I. §. 5. p. 20. sqq.

Obseruationes criticae in Phaedrum auctore Gotefr. Richtero; in Ej. Specimine Obseruationum criticarum in varios Autores Graecos et Latinos. Jenae. 1713. 8.

Christoph Aug. Heumanni Emendatio aliquot locorum Phaedri.

In der *Neuen Bibliothec.* P. XXVII. p. 603. *Frcf.* et *Lips.* 1713. 8. coll. Catal. Bibl. Bünav. T. I. p. 331.

(Francisci Hare) Epistola critica ad eruditissimum virum H. B. S. E. I. (i. e. H. Bland, Scholae Etonensis Instructorem) in qua omnes doctissimi Bentleji in Phaedrum Notae atque Emendationes expenduntur. Londini ex offic. Jac. Tonson et Joh. Watts. 1726. 4. recusa Leidae apud Sam. Luchtmans. 1727. 4. c. Edit. Burm. Leid. 1727. 4.

Judicia de hoc libro v. in Act. Erud. ann. 1727. p. 22. et in Brüggemanni View of the English Editions p. 646. coll. New. Mem. of Litter. Vol. IV. p. 30 — 35. it. ann. 1727. de Editt. Phaedri.

Sylloges Epistolarum a Viris illustribus scriptarum Tomi V. collecti et digesti per Petrum Burmannum. Leidae apud Sam. Luchtmanns. 1727. 4.

Franc. Theod. Kohlii Commentationes criticae in difficiliora Scriptorum classicorum, Terentii, Nepotis, Virgilii, Phaedri, Ciceronis, Hesiodi, J. Caesaris et aliorum loca. Hamburgi. 1727. 8.

Adriani van Dorp Obseruationes ad quaedam Juris Ciuilis aliorumque Auctorum (etiam Phaedri) loca. Trajecti ad Rhen. 1769. 8. maj.

Jo. Frid. Gruneri Spicileg. Observ. ad Phaedri priores Libros II. Jen. 1745. 4.

Jac. de Rhoer Feriae Daventrienses, siue Miscellaneorum Libri II. Traj. ad Rhen. 1758. 8.

Loca quaedam Phaedri in hoc libro illustrantur.

Epistola Amici ad Amicum, qua disseritur de locis quatuor, vno Taciti, altero Phaedri, tertio Cornelii Nepotis, quarto Velleji Paterculi. Ratisbon. apud Jo. Leop. Montag. 1767. 4.

Gottl. Bened. Schirachii Clauis Poëtar. classicorum, siue Index rerum et verborum criticus in Horatium, Virgilium, Ouidium, Terentium et Phaedrum. Halae. P. I. 1768. P. II. 1769. 8.

Th. Christoph. Harlesii Progr. Emendatt. et Conject. ad Jo. Stobaei Sententias, cui Corollarii loco additae paucae in quosdam auctores (Tibull. Anthol. Lat. Phaedrum, Vellej. Paterc. Demosthenem) Suspiciunculae. Coburg. 1769. 4. recus. in Ejusd. Opusc. Varii argumenti. Hal. 1773. p. 192.

Th. J. A. Schütz Observatt. criticae in Phaedrum. Laub. 1770. 8.

Rutgeri Ouwens Noctes Haganae, siue Obseruatt.

Libri III. in quibus multi veterum scriptorum (etiam Phaedri) loci explicantur, vindicantur et emendantur. Franequerae. 1780. 4. maj. cf. L. I. Cap. XII.

Jo. Gottlieb Lindneri, Rectoris Schol. Arnstad. Tentaminis critico-philologici. P. I. et II. Arnstad. 1782. 4. Plagg. 2. Programm.

Lessings sämtliche Schriften. P. II. Berolin. 1784. 8. Hic liber continet Notas in XIX. priores Phaedri fabulas; item Dissert. zur Geschichte der Aesopischen Fabel. v. p. 223.

Critical Remarks on Phaedrus, by the late Rev. John Jortin, D. D. in his Tracts, philological, critical, and miscellaneous. London. 1790. 8. Vid. Vol. II. p. 297.

Cf. *Brüggemanni* View cet. p. 646.

Gilberti Wakefield Silua Critica; siue in Auctores sacros profanosque Commentarius philologus. Cantabrig. 1789. 8. maj.

Vid. P. I. Sect. XXXII. et P. III. Sect. CLI.

A Critical Remark upon a passage in Phaedrus. Lib. I. F. 1. by Mr. Cary.

In the New Memoirs of Litterature. Vol. III. Jun. 1726. p. 423. sq.

Andr. Ludov. Königsmanni Disquisitio critica; aequae leges quid? apud Phaedrum. Lib. I. F. 2.

In der *Hamburg. vermischten Biblioth.* Vol. II. Part. IV.

E. E. van Bergen Criticae Obseruationes, quibus varia scriptorum classicorum loca, per librarios corrupta, emendantur, in pristinam elegantiam restituuntur: alia tentantur, exponuntur, vindicantur. Trajecti ad Rhen. 1785. 8. maj. Vid. C. XXIII. vsque ad C. XXXIV.

Jo. Casp. Everhard Wineken, Gymnas. Quedlinb. Rectoris, Progr. in Loc. Phaedri. Lib. IV. F. 4. (5.) Halberstad. 1752. 4.

P. Stephani Marcheselli Disp. de Collectione vet.

Lat. Poëtar. Pisaurensi, Italice scripta. Vid. de Editt. Phaedri ann. 1766.

Exstat in *Nuova Raccolta d'Opuscoli scientifici et filologici.* T. XXIII. Ven. 1772. 12.

De argumento Disputationis infra in Diss. de Phaedro antiquitatis Scriptore, vberius disseram.

Christoph Aug. Heumanni Sapientia Scenae Romanae; accedunt monita selecta Phaedri et Pseudo-Catonis. Isenaci. 1716. 12. De hoc libro nondum compertum habeo.

V. Catal. Bibl. *Walther.* P. I. p. 147. Dresd. 1771. 8. maj.

Lexicon Phaedrianum, oder vollständiges Wörterbuch und Phraseologie über Phaedri Fabb. Libb. V. et Appendicem. Mit durchgehends untergemengter Erklärung der meisten und schwersten Constructionum Participialium, zum Nutzen der studirenden Schuljugend ausgefertiget von C. K. Zweybrücken. 1743. 8.

Catal. Bibl. *Lauhn.* P. II. p. 138. coll. A. L. Z. ann. 1785. Partic. 31.

Lexicon Phaedrianum, oder vollständiges Wörterbuch und Phraseologie über Phaedri Fabb. Libb. V. et Appendicem von O. K. Frankfurt und Leipz. 1764. 8.

Lexicon Phaedrianum, oder Lateinisch-deutsches Wörterbuch über des Phaedrus Aesopische Fabeln, nebst der Erklärung der darinn vorkommenden antiquarischen, historischen, geographischen und mythologischen Articul, wie auch eine kurze Naturgeschichte derjenigen Thiere, welche in diesen Fabeln eine Rolle spielen, zur deutlichen Kenntnifs des Charakters derselben, zum vortheilhaften Gebrauch der studirenden Jugend auf niedern Schulen. Frankfurt am Mayn. Bey Reifenstein. 1784. 8.

V. *Allg. Litt. Zeit.* 1785. Febr. I. p. 235.

E. Oertels Wörterbuch über Phaedri Fabeln, zur Praeparation für die Schüler. Nürnb. 1798. 8. Raspe.

V. Allg. Bücherverz. von der Leipz. Ostermesse. 1798.

Wörterbuch zu Phaedri Fabeln. Zum Behuf der Vorbereitung ausgearbeitet von Albert Christian Meineke, Director der Schule zu Osterode am Harz. Lemgo. Im Verlage der Meyerschen Buchhandlung. 1801 8.

Istud Vocabularium adjunctum est Editioni Phaedri, de qua v. ann. 1801. de Editt. Phaedri; libellus separatim quoque editus.

Joh. Frid. Christii Fabularum veterum Aesopiarum Libri duo. Ex eisdem operum vestigiis retractati, e quibus pleraque suarum fabularum argumenta, et verba multa, et numeros quoque passim reperisse eum, qui Phaedri sub nomine fertur, verisimile est. Lipsiae. Ex officina J. G. J. Breitkopf. 1748. 8. maj. c. figg.

V. *Erlanger gel. Anmerkk. und Nachr.* 1749. p. 221. (b)

Aesopus et Phaedrus comparati a Xav. Weinzierl.

Vid. Ej. *Phaedrus in deutschen Reimen.* p. 18. sqq. et Versiones Germ. ann. 1797.

Franc. Joseph. Desbillonii Fabulae Aesopiae. Paris. 1776. 8.

Fables choisies tirées ou imitées de Phédre par la Fontaine. In Editione Phaedri, curata a G. Brotier. Paris 1783. 12.

Fables et Contes. Avec un Discours sur la Littérature Allemande. (par Boulanger de Rivery) à Paris. 1754. 12.

Vid. *la France Littéraire.* T. II. Paris. 1769. p. 100. et *l'Année Littéraire.* 1759. T. II.

DE
PHAEDRO
ANTIQUITATIS SCRIPTORE
DISPUTATIO.

SCRIPSIT

J. G. S. SCHWABE.

DE

PHAEDRO

ANTIQUITATIS SCRIPTORE

DISPUTATIO.

Praeter Phaedrum, fabularum Aesopiarum auctorem, alii sunt Phaedri, de quibus in monimentis antiquitatis facta est mentio. Est enim Phaedrus Platonis, quem iste philosophus facit loquentem in libro, quem ab ipso Phaedro inscripsit, et in quo de amoribus non pauca disputantur. Hunc Platonis Phaedrum, qui, teste Athenaeo, a) post tempora Socratis floruit, intelligere videtur Seneca, scribens b): objicite Platoni, quod petierit pecuniam; Aristoteli, quod acceperit; Democrito, quod neglexerit; Epicuro, quod consumserit; mihi ipsi Alcibiadem et Phaedrum objectate. Est porro Phaedrus Atheniensis, Epicureus, cujus apud Ciceronem mentio est non infrequens. c) Hunc libros scripsisse, auctor est Cicero, d) qui libros, inquit,

a) Δειπνοσοφιστῶν L. XI. p. 505. coll. Nov. Acerr. Philolog. P. II. p. 169.

b) De Vita beata Cap. XXVII.

c) Ad Div. L. XIII. 1. *jam a Phaedro, qui nobis, cum pueri essemus, antequam Philonem cognouimus, valde, vt philosophus, postea tamen, vt vir bonus et suauis et officiosus, probabatur, traditus mihique commendatus est.* De Fin. L. V. 1. *sum vnice cum Phaedro, quem vnice diligo, in Epicuri hortis.* De N. D. L. I. 33. *Phaedro nihil elegantius, nihil humanius.*

d) Ad Att. L. XIII. Ep. 39. vbi vide, quae ex Reinesio notat Graeuius.

mihi, de quibus ad te antea scripsi, velim mittas, et maxime Φαίδρυ περιστῶν et Ἑλλάδος. e) Librorum titulos esse, orationis contextus docet; sed manifesto corrupti sunt. De duobus hisce Phaedris disserere, non est instituti nostri. Adeant, quibus volupe est, Diogenem Laërtium f) atque Fabricium. g) Sed de Phaedro, fabularum Scriptore, ea nunc videamus, quae a nonnullis contra disputata sunt.

Vtrum auctoris nostri nomen in nominandi casu Phaedrus, an Phaeder scribendum sit, de eo quidem inter viros doctos non conuenit. In priorem scripturam consentiunt libri omnes Auiani, cum scripti, tum editi, qui in praefatione ad fabulas scribit: Phaedrus etiam partem aliquam quinque in libellos resoluit. h) Neque id veterum consuetudini aduersum; sicut et Teucrus, Evandrus dicitur a veteribus, i) Periandrus apud Scholiasten Germanici p. 14. et apud Propertium k) docte Menandre, et Menandrus apud Vellej. L. I. C. 16. Philastrium Cap. 30, l) vt omittam alia. At vero Gudius, cui pauci obsequuntur, vnice probat τὸ Phaeder, quod his praecipue argumentis confirmabat. m) Linguae Latinae analogiam id docere; adeo quidem, vt Φαίδρος Latine Phaeder dici possit, quemadmodum dicatur Ἀλέξανδρος, Alexander; Ἀντίπατρος, Antipater; Σώπατρος, Sopater et multa alia. Apertius illud constare putabat ex duobus antiquis monimentis, quorum alterum est apud

e) Confer, quae ad hunc Ciceronis locum notat El. Casp. *Reichard*, cui debetur Epp. Cic. ad Att. versio germ. cum Commentario. T. IV. p. 114. v. et Interpp. Ciceronis in Edit. *Graevii* ad L. XIII. Ep. 39. Attic. p. 486.

f) L. III. n. 29. p. 182. Edit. Meibom.

g) B. G. L. III. C. I. §. 12. et C. XXXIII. p. 814. Edit. I. et Vol. III. p. 81. sq. Edit. Harles.

h) Vid. *Cannegieter.* ad h. l.

i) *Virg.* Aen. III. 108. VIII. 100.

k) L. III. El. XX. 28.

l) Cf. *Fabricii* B. L. T. II. p. 25. *Dausqueji* Orthogr. Serm. Lat. P. I. p. 73. *Ruhnken.* ad Vellej. I. 16. p. 65.

m) Praef. *Burmanni* ad Edit. ann. 1698.

Gruterum n) et **Sanctum Bartolum**, o) vbi legitur:

D. Phedimo. vestitori M.

Aug.

Phaeder. Fratri. Piissimo.

Et in alio saxo Florentino inedito, quod in Collectaneis suis descripserat, memorabatur

P. Runculanius Phaeder.

Valeria. L. eT Ↄ. L. Isidora vixit. cum eo anno. XXV. Nihil dolui nisi quod me reliquid. p)

Quae docent, vix esse dubitandum, quin more Graecorum nominum in ρος Latine dictus fuerit **Phaedrus** et **Phaeder.** q) Sed tamen libenter iis accedo, qui vsum et aurium sensum magis ferre existiment, vt **Phaedrus** dicatur; r) cui quidem sententiae fauet librorum MSS. Aviani auctoritas, in quibus inueniuntur quidem, qui manifesta librariorum oscitantia habeant **Phaedris**, vt Cod. Benedictinorum S. Germani ad Prata; vnus quoque, vt Melian. qui **Phoedrus**; at in reliquis omnibus legitur **Phaedrus**, in nullo **Phaeder**; s) Conjectura autem valde probabili, quae Gudium habet auctorem, t) hoc no-

n) Corp. Inscriptt. p. CIↃCXI. n. 3.

o) In *Antichi Sepolchri* p. 104. quem librum citat. Canneg. l. c.

p) Hoc monimentum produxit *Fabrettus* Inscript. C. IV. n. 160. Vtrumque dedit *Gorius* in Inscriptt. ant. Etruriae. P. I. p. 282. n. 14. et p. 413. n. 247. Flor. 1726. f.

q) De quo more cf. *Cannegieter.* ad loc. Aviani cit. p. 9. *Dausqueji* Orthograph. P. I. p. 72. sq. *Vossius* de Anal. L. II. C. 5. *Munckeri* Diss. de Hygino p. 12. praefixa Mythograph. Lat. Aug. *van Staveren.* et *Verburg.* ad Ovid. Trist. II. 369.

r) *Fabricii* B. L. T. II. p. 25.

s) *Cannegieter* l. c.

t) *Burmanni* Praef. ad Edit. ann. 1698.

men Phaedri Graecum ideo ipsi ab imperatore Augusto fuit inditum, quia hic in seruis et libertis Graeca nomina et erudita amabat. Sic Polybii liberti, qui Augusti testamentum partim manu sua perscripsit, mentio occurrit apud Gruterum. u) Sic et alii imperatores Graecis nominibus delectabantur in libertis, vt probant exempla Eutychi atque Phileti, quibus Phaedrus vnum alterumue fabularum librum dedicauit, de quibus suo loco.

Sunt nonnulli, etsi perpauci, antiquitatis scriptores, qui Phaedri mentionem faciant, Martialis et Avianus. Ille enim canit x):

Dic, Musa, quid agat Canius meus Rufus?
Vtrumne chartis tradit ille victuris
Legenda temporum acta Claudianorum?
An quae Neroni falsus adstruit scriptor?
An aemulatur improbi jocos Phaedri?
Lasciuus elegis, an seuerus herois?
An in cothurnis horridus Sophocleis?
An otiosus in schola poëtarum
Lepore tinctos Attico sales narrat?

Sed Avianus in Epistola ad Theodosium, praefixa ejus fabulis: „Dubitanti mihi, inquit, Theodosi optime, quonam litterarum titulo nostri nominis memoriam mandaremus, fabularum textus occurrit: quod in his vrbane concepta falsitas deceat, et non incumbat necessitas veritatis. Nam quis tecum de oratione, quis de poëmate loqueretur? Cum in vtroque litterarum genere et Atticos Graeca eruditione superes, et Latinitate Romanos? Hujus ergo materiae ducem nobis Aesopum noueris, qui responso Delphici Apollinis monitus ridicula orsus est, vt legenda firmaret. Verum has pro exemplo fabulas et Socrates diuinis operibus indidit, et poëmati suo Flaccus aptauit; quod in se, sub jocorum communium specie, vitae argumenta contineant: quas Graecis jambis Babrius repetens, in duo volumina coartauit. Phaedrus etiam partem aliquam quin-

u) Corp. Inscript. p. LXXV. n. 9.

x) Lib. III. Epig. 20.

que in libellos resoluit. De his ergo ad quadraginta et duas in vnum redactas fabulas edidi: quas rudi Latinitate compositas elegis sum explicare conatus."

Hisce priscae aetatis testimoniis, nec non auctoritate Codicum MSS. eorumdemque antiquitatis laude conspicuorum, repertorum in Gallia sub finem saeculi XVI. virorum denique doctissimorum suffragiis fultus Phaedrus ad annum XVIII. saeculi XVII. peruenerat; cum Petrus Scriverius vocem satis superbam, vt ait Desbillonius, y) pro imperio emisit, jussitque z) haberi vel insanos judices, vel nugatores otiosos, qui adscriberent Phaedro fabulas, quae sub ejus nomine circumferuntur. Quam quidem sententiam vt pronuntiaret Scriverius, adductus est cum variis rationibus, quas in aliud tempus differre se dicebat, sed numquam protulit, tum potissimum ea, quam a Nic. Perotti, Archiepiscopi Sipontini, Cornu copiae, seu ad Martialem Commentario, eruere conabatur. Perottus enim ad L. I. Ep. 76. (77.) quod centesimum quintum est in Cornu copiae, ad verba Martialis, arbor Palladis, haec notat a): allusit (Martialis) ad fabulam, quam nos ex Avieno in fabellas nostras adolescentes jambico carmine transtulimus: deinde iisdem verbis recitat integram fabulam, qualis de Arboribus in Deorum tutela apud Phaedrum b) eligitur, nisi quod ille, vltimo versu omisso, versus 3. 4. 8. 9. paullo aliter ac Phaedrus composuerit. c) Hisce animaduersis Scriverius fabulas, quae vulgo Phaedro tribuuntur, ab hoc plane abjudicat, Perottumque auctorem fabularum facit; certe illas

y) Vid. Praef. Edit. Desbill. p. XVI. Disp. II.

z) In Animaduers. ad Martial. L. III. Ep. 20. p. 88. Edit. ann. 1618. Lugd. Bat. 12.

a) Cornucop. p. 999. Edit. Basil. 1526. f.

b) L. III. F. XVII. Haec fabula, apud alios fabulatores non obuia, forte Perotti libro Aviani addita fuit, vt complures aliae aliorum fabulae; conjiciente *Cannegietero* in Diss. de Stylo et Aetate Aviani p. 286.

c) Legit Perottus V. 3. *laurus.* V. 4. *Pinus Neptuno.* V. 8. *at mehercules inquit, quod quisque voluerit.* V. 9. *fructus.*

prorsus eripit antiquo aeui Tiberiani scriptori. d) At vero cum nec reliquae Perotti fabulae editae vsquam sint; neque in Aviano fabula illius argumenti reperiatur, quam carmine exprimere potuerit: Barthius, Phaedrum citra omnem exceptionem Tiberiani aeui scriptorem professus, e) Scriverium refellit, Perottum autem lectoribus imponere voluisse non dubitat, ratum, apud se solum Phaedri exemplum exstare, adeoque versus illius audacter pro suis a se venditari posse. f) Barthium deinde alii secuti sunt, Perottum plagii arguentes. g) Equidem putauerim, Archiepiscopum Sipontinum plagii suspicione plane esse liberandum. Dicit enim in praefatione ad Pyrrhum, praefixa ejus opusculo fabularum, diserte atque ingenue:

Non sunt mei, quos putas, versiculi,
Sed Aesopi sunt, et Avieni et Phaedri,
Quos collegi, vt essent Pyrrhe, vtiles tibi,
Tuaque caussa legeret posteritas cet. h)

Ex quo satis patet, Perotto in mentem non venisse, fabulas et Aviani et Phaedri pro suis venditare. Quodsi enim verba dare voluisset lectoribus, profecto non confiteretur, sese debere fabulas suas Aesopo, Aviano et Phaedro. Quare Perottum in loco, e Cornucopiae adducto, vitio memoriae, Avianum cum Phaedro commutasse, facile crediderim. Nempe aetate prouectus oblitus est, quae Phaedro, quae Aviano referret accepta, quaeque a se contexta in fabularum opus, quod inde a prima adolescentia struebat, congesserat. i) Istud autem fabularum opus, quod

d) Vid. *Scriverii* Animadvers. ad Martial. L. III. Ep. 20. paullo ante citatas; coll. *Baylii* Lexico, a Gottschedio germanice verso, sub *Phaedrus*. Etiam *Vossius* de Arte Grammat. L. II. C. 16. de Phaedro: *non est Phaedrus Augustaei aeui; vel multa saltem sunt a sequiori aetate.*

e) V. *Barthii* Adv. L. XXXV. C. 21. et ad Claudian. p. 827.

f) *Barth.* l. c. coll. *Fabricii* B. L. T. II. p. 26. sqq.

g) *Schumannus* in Diss. de Vita et Scriptis Phaedri, quae exstat in Nov. Acerr. Philolog. P. II. p. 176.

h) Vide supra Indicem Codd. MSS. Phaedri n. 5. de Codice Perotti.

i) Compara paullo ante Not. b. Perottum etiam a plagio vin-

Chrestomathiam, seu Florilegium non inepte dixeris, hoc modo ortum fuisse videtur. Cum, Paulo Jovio teste, *) Perotto curta esset supellex, adolescens in ludo pueros honestos docuit. Mox Latinae linguae rudimenta, vtili compendio ad normam digesta, atque ob id facile pueris perdiscenda, publicauit. Juniorum igitur studiis vt inseruiret, collegit ex optimis auctoribus fabellas puerorum ingeniis accommodatas, nominatim ex Aesopo, Phaedro, Auiano, quibus addidit et suas, aliis immixtis carminibus, ab adolescente in chartas conjectis. Hancce Collectionem deinde senior in lucem emittere apud animum constituit, librum dedicaturus Pyrrho Perotto, fratris filio, adolescenti, vt ipse ait, suauissimo. Sed lucem non adspexit opusculum, nescio quo casu; ejusdem tamen Codex MS. inuentus est, idem ille, cujus supra descriptionem vberiorem dedi, etsi longa aetate mutilatus et vitiatus. Simili modo aliae fabularum collectiones ortae sunt, in vsum scholarum cum Grammaticorum, tum Rhetorum curatae, qualis est Collectio fabularum Aesopiarum Aphthonii, ad calcem Progymnasmatum. **) Cum Perottus in Praefatione, supra memorata, (v. de Codd. MSS. Phaedri No. 5.) ad Pyrrhum, diserte suos ipsius versus a versibus Phaedri et Auiani distinguat; mirum profecto videri potest, qui viris doctis potuerit in mentem venire, Perottum fabularum Phaedri facere auctorem. Qui enim cum attestatus esset, non esse suos, quos putet Pyrrhus, versiculos; sed Aesopi, Auiani et Phaedri, addit:

dicant *Desbillonius* l. c. Disp. II. p. XVII. *Cannegieter* in Diss. de Aetate et Stylo Auiani. p. 286. Desbillonius autem scribit l. c. „Quod crediderit Scriverius, fetum esse non Phaedri, sed Perotti, fabulam de Arboribus; illud nunc, reperto hujus MSS. Codice, ex istis quantumuis male figuratis versiculis facile possit refutari. Exstitit ergo ante Perotti aetatem Phaedri exemplar, quo ille vsus fuerit.“

*) Elogia doctorum virorum p. m. 45. coll. *Funccii* Apolog. p. 165. sq.

**) Vid. *Charaktere der Dichter aller Nationen.* T. V. P. II. p. 279.

Quas edidissent viri docti fabulas,
Honori et meritis dicaui illas tuis,
Saepe versiculos interponens meos,
Quasdam tuis quasi insidias auribus,
Solet quippe juuare ista varietas.

Nil igitur mihi videtur certius, quam Perottum jam tum habuisse Phaedri et reliquorum fabulatorum Codices MSS. e quibus fabulas omnis generis, etsi valde interpolatas, non vno Carminum genere, in Codicem suum contulit. In quo Codice exstabant fabellae, quas ex Aviano jambico carmine se transtulisse scribit. *)

Hanc opinionem de fabulis, non illi Phaedro antiquo, sed recentiori alicui tribuendis, recoxit ante annos plures Jo. Frid. Christius, scripta peculiari disputatione k) super ea re: in qua multa partim in rebus, partim in verbis a se reperta dicit, propter quae non possent istius aetatis esse hae fabulae. Scripsit contra Christii disputationem Funccius, Marpurgensis, Apologiam pro Phaedro ejusque fabulis; l) ita vt dilueret ille quidem non pauca, libro objecta, sed Phaedrum ipsum non omnino liberaret a peccatis, quae ab initiis labentis tum elegantiae Latinae ducit. Ei acriter respondit Christius libello proprio, qui inscribitur: de moribus, simul de Phaedro ejusque fabulis vberior expositio. m) Simili modo ante hos XXX. annos P. Steph. Marchesellus, Italus, Christii, cujus tamen non meminit, premens vestigia, probare ausus est, fabulas Phaedri fetum esse non antiqui cujusdam scriptoris, sed Perotti, Archiepiscopi Sipontini; nixus argumentis, ad probandum parum firmis, et passim ineptis paulloque longius petitis. n)

Age vero nunc disquisitioni subjiciamus argumenta, quibus viri docti Phaedri auctoritatem et fabularum, scrip-

*) Cornucop. loco supra citato.

k) De *Phaedro ejusque fabulis* Prol. *Lips.* 1746. 4.

l) Lips. et Rintel. 1747. 8.

m) Lips. 1747. 8.

n) Vid. Ejus Disputatio, Italice scripta, de Collectione Vet. Lat. Poëtar. Pisaurensi, quae exstat in *Nuova Raccolta d'Opusculi scientifici e filologici.* T. XXIII. Ven. 1772. 12.

tarum ab eo, γνησιότητα et antiquitatem infringere conati sunt; ita tamen, vt non singula memoremus ac diluamus; liber enim scribendus esset, non dissertatio; sed de iis tantum, quae momentum facere videntur, exponamus vberius. Qua in re in eo potissimum opera nostra versabitur, vt ostendamus, fabulas, quae sub Phaedri nomine hodie exstant, opus esse antiqui scriptoris, certe non scriptas esse a Perotto.

Primum aduersus Phaedri fabulas argumentum Christius petit e constanti apud omnes litteraturae Latinae scriptores silentio. Neminem ejus vllam sententiam philosophum, cum Publii Syri subinde, neminem verbum vllum grammaticum, cum Tironis et Hygini, neminem rem ab eo in fabellis traditam historiarum scriptorem, cum multorum, laudavisse; etiam Senecam, ingenii ac litterarum sua aetate principem, negauisse, vllum argumenti Aesopei Latini oris scriptorem esse, cum scripserit o): non audeo te vsque eo perducere, vt fabellas quoque et Aesopios Logos, intentatum Romanis ingeniis opus, solita tibi venustate connectas. Quae vero supra laudaui Martialis et Aviani testimonia, quae pugnant pro Phaedro, ea quidem fabularum scriptori prorsus eripit. Nam verba Martialis, an aemulatur improbi jocos Phaedri? retrahit ad Phaedrum, philosophum Epicureum nobilem, eumdem illum, de quo supra dixi, quem Atticus miratus sit, vehementerque amauerit, quem Cicero, cum ejus sententiam non probaret, audiuerit tamen vt philosophum, sedulitate praestantem, magnique fecerit. Fingit autem, non probat, Canium, qui item Epicureus videatur fuisse, huncce Phaedrum scriptis aemulatum, dictum esse a Martiale improbum, quod idem sit, quod improbe sedulus ac laboriosa in probando diligentia. Eum videlicet jocis, vt opinatur Christius, liberalibus vsum esse in confutandis stoicis aliisque philosophis, qui Epicurum reprehendebant. Praeterea censet, fabulas opus esse serium; quae hoc agunt, vt verum tradant sub specie noua et jucunda,

o) Consol. ad Polybium C. XXVII.

quae pharmacon quasi salutis ferant animo, non risum moueant; quam primam et praecipuam fabulae dotem esse, affirmet quicunque ille, qui nomen Phaedri vsurpet: ex quo colligit, per jocos improbi Phaedri male intelligi fabulas, nec Martialem, cum haec scriberet, in mente habuisse Phaedri fabulatoris opusculum. Neque etiam hunc poëtam Phaedrum dicere potuisse improbum, quia arcessita et magno labore paranda composuisse fabulis putaret; cum Phaedrus res narret tritas, plebejas, minimeque arcessitas. Sic laborem improbum Virgilium vocasse G. I. 145. Non igitur esse probabile, hujus Phaedri joca frigidiuscula miratum esse Martialem, longe illo doctiorem scriptoremque meliorem; tum vero etiam imitanda sibi proposuisse poëtam optimum Canium Rufum. Quid enim inueniret in opere vtcunque Latino liberti, neque clari et semibarbari, stylo non minus multo, quam origine? p)

Largior, alios ante Martialis tempora scriptores Phaedri mentionem facere omnino nullam. Finge etiam, neque Martialem, neque Avianum poëtam memorare nostrum: an propterea antiquitas fabularum in dubium vocanda, et auctor earum scriptoribus suppositiciis accensendus est? Constat inter omnes rei litterariae gnaros, plures alios antiquitatis scriptores idem quod Phaedrus fatum *) esse expertos; nihilo vero secius in priscorum scriptorum numero recte haberi. Ita Q. Curtius Rufus, quacunque de caussa, a nullo antiquitatis scriptore laudatur; adeo quidem, vt non defuerint, qui non dubitarent affirmare, libros, qui sub ejus nomine feruntur, ab erudito quodam Italo ante CCC. annos esse confectos. Nihilo vero tamen minus ab omnibus, harum rerum peritis scriptoribus Latii, nec immerito, adnumeratur. q) Vides igitur, e scriptorum omnium silentio aduersus Phaedri fabulas argumentum peti non posse.

p) Cf. *Christii* Prol. cit. p. 6 — 8.

*) *Funccii* Apologia pro Phaedro. p. 155.

q) *Fabricii* B. L. T. II. p. 342. sqq. *Clerici* Ars Crit. P. III. Sect. II. C. 3. §. 15. *Hambergeri* zuverläſsige Nachr. von den vornehmsten Schriftstell. T. II. p. 43.

Atque etiam recte mirati sunt viri docti, quod Aesopios Logos Seneca intentatum Romanis ingeniis opus dicat, varie ausi ad hunc locum respondere. Sunt enim, qui putent, noluisse Senecam Thracem Romanis adnumerare ingeniis, r) a quibus recte dissentiunt Cannegieterus s) et Marchesellus. t) Nam si ii soli scriptores inter Romana ingenia ponenda sunt, qui Romae nati, quanta ingeniorum eorum paucitas erit! Sic Terentius, quod Afer est; sic Seneca natione Hispanus, patria Cordubensis, vt silentio praeteream alios, in numero Romanorum ingeniorum non erunt habendi. At vero omnes illi scriptores, qui ciues Romani erant, vndecunque nati, Romanis scriptoribus accensentur. Ipse Phaedrus, Macedo, Romanis ingeniis se adnumerari voluit. u) Baylii aliorumque sententia est, fugisse Phaedri fabulas notitiam Senecae, cum paucis amicis tantum communicatas, nec publice editas. Sed jam supra in Vita Phaedri obseruatum est, non paucis scripsisse has fabulas Phaedrum, sed omnibus; neque tantum ad priuatum dolorem leniendum, sed etiam ad famam publice aucupandam, et ad emendanda hominum vitia. Fabricius, x) cui adsentiunt alii, y) ad locum Senecae memoratum hoc modo responderi posse existimat: cum, inquit, caput XXX. Consol. ad Polyb. consulo, video, eum loqui de Aesopiis Logis, non versu Latino, vt Phaedrus fecerat, sed Latina prosa digerendis, atque, vt ipse loquitur, connectendis. Locus autem Senecae, ad quem prouocat, hujus est argumenti: Agedum illa, quae multo in-

r) Sic visum *Pithoeo*, testibus *Morhofio* de Patavin. Liv. p. 158. *Vossio* de Poët. Lat. C. II. p. 38. *Schumanno* Diss. cit. p. 178. *Lipsio* Commentar. ad loc. Senecae.

s) De Stylo et aetate Aviani p. 269. Cf. etiam *Mülleri* Einl. in die alten Schriftst. T. V. p. 25.

t) Dissert. cit.

u) Epil. L. II. 8. 9.

x) B. L. T. II. p. 24.

y) *Schumann.* Diss. cit. l. c. p. 178. *C. H. Schmid* Not. y. ad *Crusii* Vit. Romanor. Poëtar. T. I. p. 351. Vers. germ. *Funccius* Apol. pro Phaedro. p. 161.

genii tui labore celebrata sunt, in manus sume, vtriuslibet auctoris carmina: quae tu ita resoluisti, vt quamuis structura illorum recesserit, permaneat tamen gratia cet. Quod vereor, vt multis persuadeat vir eruditissimus. z) Immerito tamen a Marchesello vapulat Fabricius, cum conjectura viri hujus docti nitatur non sola interpretatione loquendi formulae connectere fabulas, quae legitur Cap. XXVII. Consol. ad Polybium; isque simul respiciat locum Cap. XXX. libri memorati. Quomodo autem Marchesellus probabit, verbum connectere etiam notare, inuenire? quomodo idem probabit, melius de versu, quam de prosa vsurpari? a) Fuerunt etiam, qui Senecam putarent aut Phaedrum plane ignorasse, aut cum vulgo erudito esse aspernatum. b) At vero Vavassor c) maligne et inuide a Seneca Phaedrum silentio praetermissum, censet, libellum Phaedri fabularem, cujus in Apologis plerisque mera illius saeculi tyrannis notaretur, suppressum fuisse continuo et euanuisse tandem, et ignoratum a Seneca, et reliquae posteritatis oculo subductum: idque eo esse vero similius, cum Tiberii, Caligulae, Claudii, Neronis temporibus scripta edictis abole-

z) Cf. *Müller.* l. c. T. V. p. 25. sq.

a) Vid. *Marchesellі* Disp. cit. lib. cit.

b) *Schirachii* Epist. ad b. Ernesti praefix. *Ej.* Poëtar. classicor. *Funccius* de imminenti L. L. Senect. C. III. §. 17. *Id.* in Apolog. pro Phaedro. p. 160. „Potuit, *inquit*, hic Seneca parum attendisse. Vel memoriae lapsu peccauit, quod Phaedri ejusque opellae non meminit. Vel inuidia, cujus semet passim fecit suspectum; expositae jam fabulae gloriolam tribuere noluit Augusti liberto. Nam et plures alios melioris notae scriptores supprimere studuit, vt vnus omnium maxime videretur sapere, et in vniuersa litteratura principatum tenere. Queritur inde Quinctilian. I. O. Lib. X. C. 1. extr. quod meliores non destiterit incessere, *cum diuersi sibi conscius generis, placere se in dicendo posse iis, quibus illi placerent, diffideret.*“ Laudat etiam Funccius *Suet.* Ner. C. 52. et *Tac.* Ann. L. XIII. C. 3.

c) De Dictione ludicra p. 207 — 209. Edit. Par. 1658.

rentur et Senatusconsultis, si cui poëtae aut historico verbum excidisset, opportunum delationi et calumniae; cum ne liberae quidem relictae cogitationes, et opinio tacita de principe, sicunde vel ex vultu argui posset, majestatis rea fieret. Quae si admittantur, et simul perpendatur, Romanos non vehementer delectatos fuisse fabulis, d) facile fieri poterat, vt Phaedrus Senecae esset ignotus. Neque etiam, hisce positis, mirum videri debet, numerum MSS. Phaedri tam esse exiguum. e) Veruntamen haec non vrgeo, cum non nesciam, quid objici possit ab aduersariis. *)

Sed alio modo, si haec non arrideant, satisfieri potest loco Senecae. Nempe statuendum, sic enim vult Gellertus, f) Senecam Phaedri ea de caussa non meminisse, quia ipsum tamquam Graecarum Aesopi fabularum interpretem, non inuentorem et conditorem Apologorum considerauit. Hoc enim respectu vtique fabellas intentatum Romanis ingeniis opus appellare poterat. Quae Gellerti conjectura eo probabilior, cum, mea quidem sententia, Senecae tum, cum scriberet Consolationem ad Polybium, tantum duo priores fabularum Phaedri libri noti fuisse videantur, qui quidem magna parte continent fabulas, ab Aesopo inuentas, et a Phaedro versibus senariis politas. Videtur enim scripsisse librum de Consolatione ad Polybium, sub initium imperii Claudii, anno circiter tertio, quam relegatus esset in Corsicam insulam; quemadmodum intelligi potest e locutione Britannia aperta, cujus in libro memorato meminit g): quo quidem tempore posteriores fabularum libri vel nondum scripti, vel in lucem nondum erant emissi. Nam supra in Vita Phaedri dictum est, nec sine ratione, istos libros, in quibus non paucae inueniuntur fabulae, ab ipso Phaedro inuentae, maxime Libro V. **) re-

d) Caussas neglectae apud Romanos fabulae indagat *Schirachius*, V. D. in Ep. paullo ante cit.

e) Aliam caussam raritatis Codd. MSS. vid. supra de libris scriptis Phaedri, ab init.

*) Cf. *Funccii* Apolog. pro Phaedro. p. 161.

f) De Poësi Apologor. eorumque Scriptoribus. p. 32.

g) *Hambergerus* l. c. T. II. p. 89.

**) Prol. V. 1 — 3.

gnantibus Caligula et Claudio, videri scriptos esse, et demum post Phaedri exitum juris factos publici. Ex quo luculenter patet, Senecam fabulas intentatum Romanis ingeniis opus recte dixisse, cum ignoraret fabulas, a Romanis inuentas ingeniis. Sicque spero, futurum, vt omnis ex animo Marcheselli scrupulus euellatur, qui vel ex hoc capite antiquitatem Phaedri impugnauit, nec fieri potuisse putat, vt Seneca lapsu memoriae Phaedrum omitteret. Cl. Jacobs in Diss. de Fabulatoribus Latinis l. c. p. 38. ita se expedit: „Da Seneca, wie aus der ganzen Veranlassung und Absicht erhellet, keinesweges als Litterator spricht, so war es ihm wohl vergönnt, einen Versuch zu ignoriren, den er vielleicht, seinem Geschmacke zufolge, nicht ausserordentlich glücklich fand, und das unversucht zu nennen, was nur von einem Einzigen, ohne ausgezeichneten Erfolg unternommen worden."

Praeter Christium sunt alii, qui locum Martialis de Phaedro, fabularum scriptore, intelligi posse negent. Sic Farnabius h) de mimographo aliquo jocullario intelligit. In eamdem sententiam discedunt Schrevelius in Notis ad Martial. L. III. Ep. XX. S. W. C. L. Zieglerus in Comment. de Mimis Romanorum Götting. 1788. 8. maj. p. 75. etsi de aetate et vita hujus Mimographi apud veteres altum sit silentium, et satis certe de illo pronunciare auctor non valeat; maxime vero cel. Boettigerus, in cujus scriniis erudita hanc in rem obseruatio a Viro doctissimo litteris consignata, latebat, hujus fere argumenti: „Solitos fuisse Romanorum lepidissimos scriptores stylum acuere etiam in mimis, exemplo Laberii, Catulli, (Juven. Sat. VIII. 185.) Verginii (Plin. Ep. VI. 21.) aliorumque, quos Vossius jam laudauit de Poët. Lat., satis apparet. Ad fabellas concinnandas illos descendisse, vix ausim praestare. Enumerat Martialis plura, quibus Romani tum otii fallendi ingeniique ostentandi caussa indulgere solerent, carminum genera. In iis mimos vix desiderari posse, facile mihi largietur, qui saeculi illius mores et studia penitius per-

h) In Not. ad Martial. locum.

spexerit. Facere igitur non possum, quin assentiar sagacissimo Scriverio, haec verba ad Phaedrum, fabellarum scriptorem, referenda esse, neganti atque perneganti, quamquam γνησιότητα illius argumentis demonstrari posse, facile concedam. Bene igitur qui nuper de mimis disputauit, Zieglerus ex hoc loco Phaedrum exsculpsit mimographum p. 75. necdum, sententiam vt mutem, doctis sane argumentis vicit J. Fr. Gronouius in Diatr. ad Statium C. 29. p. 185. sq. Jocos Phaedri fabellis tribui posse, non est, quod dubitem. Sed quid improbi joci in istis fabellis sibi velint, nondum intelligo. Nam quae in vocabuli istius significationibus ad fabellas Phaedri detorquendis moliti sunt Viri Doctissimi, vim afferre videntur vsui perpetuo τοῦ improbus." A quo tamen dissentit cl. Lange, nescio an recte, notans in Prolegg. ad Phaedr. p. X. „Das Wort improbus, inquit, hat man allgemein falsch verstanden. Sehr witzig nennt Martial den Phaedrus improbus, weil dies ein Lieblingswort von ihm ist, welches so häufig und in so vielerley Bedeutungen vorkömmt, daſs es den Phaedrus sehr witzig charakterisirt, und, so wie öfters bey ihm, räthselhaft ist und seyn soll." Compara, quae de hac voce mox notantur. Alii locum Martialis aliter intelligunt. Gesnerus i) et Marchesellus de Phaedro, Epicureae disciplinae philosopho, capiunt, improbante Radero. *) At verba improbi jocos Phaedri minime conueniunt Phaedro illi Epicureo. Docet enim orationis contextus, de poësi, de versibus esse sermonem, non de philosophia; non de jocis liberalibus in confutandis Stoicis aliisque philosophis. Martialis enim meros nominat poëtas, et se cupere scire dicit, cui generi poëseos sese Canius dederit; de philosophia silentium est. k) Male etiam explicauit Christius epitheton improbus, a Martiale voci Phaedri, non substantiue jocos, additum; quod ei idem est, quod improbe sedulus et laboriosa in probando dili-

i) In Thes. L. L. v. *Phaedrus.*
*) Not. ad Martialis l. c.
k) Vid. Ep. Cl. *Schirachii* ad b. Ernesti, praemissa Ejusd. Claui. coll. *Nachträge zu Sulzers Theorie.* T. VI. P. I. p. 36

gentia. Etsi enim Latine recte dici potest, improbe sedulus; cum improbus etiam significare possit nimis magnus, effusus, vt labor improbus, improbus somnus: tamen haec vox, nude posita, vix capi potest pro improbe sedulo et laboriosa in probando diligentia. Contra Phaedrus, fabulator, a Martiale non inepte dicitur improbus, l) siue malo, siue bono sensu vocem capias. Quia nimirum in Phaedri fabulis insunt quaedam obscena et scurriliter praua, Martialis Phaedrum vocare potuit improbum, i. e. petulantem, quo sensu Ovidius dixit improba verba, improba carmina. m) Neque tamen ii jure reprehendi posse videntur, qui capere velint sensu bono; quemadmodum eum hodie neutiquam vituperamus, quem, propter acumen ingenii jocosque liberales, lingua vernacula vocamus lose, n) boes, schlimm. Ita apud Latinos improbi dicebantur, qui scriberent Satyras et hominum vitia lepide perstringerent Ita Juuenalis o): Et tamen improbior Satyram scribente cinaedo. p)

Hoc igitur sensu Phaedrus, quia corruptos aetatis suae mores notauit, nec vllius pepercit vitiis, recte vocatus est improbus. Neque etiam displicebunt placita cl. Jacobs, qui, si tamen recte intellexi, statuit, Phaedrum dictum

l) Hoc Epitheton, de Phaedro fabulatore vsurpatum, carpitur a C. H. *Schmidio* l. c. p. 352. Sed *Brotier*. Praef. Editionis suae p. XII. „mirum, *inquit*, videri non debet, ab adulatore Domitiani, principis flagitiosissimi, Phaedrum *improbum* appellatum fuisse, qui nec Sejanum nec Tiberium laudauerit." Quae tamen minus placent. Gronovio *improbus Phaedrus* est audaculus, quod sub persona fabularum Aesopicarum traducere ausus est hominum potentum mores. Vid. Not. Gronov. in Edit. Martialis Schrevelii p. 167. it Ej. Diatriben in Statium p. 187 vbi de vsu vocis *improbus* docte disputat.

m) A. A. L. III. 796. Trist. L. II. 441.

n) Sic vertit vocem *improbus* Müllerus l. c. T. V. p. 22. At *Giovansi*, Italus, explicat *artig, galant*, inuito *Marchesello*, Disp. cit.

o) Sat. IV. v. 106.

p) Cf. *Funccius* de imminenti L. L. Sen. C. 3. §. 10. et Apolog. p. 156.

esse improbum, malo quidem sensu, respectu ad eos, qui rapiebant ad se, quod ex mente Phaedri commune esset omnium. Vide Ej. Diss. de Fabulatoribus Lat. p. 36 l. c. Ad haec non video, quare Martialis fabulas Phaedri non dicere possit jocos; cum ipse Phaedrus fabulas suas non raro jocos et semel nenias dicat, eidemque verbum jocari de fabulis sollemne sit. q) At enim fabulae sunt opus serium, quae hoc agunt, vt verum tradant, non risum moueant, quam primam et praecipuam fabulae dotem dicit Phaedrus, r) quasi idem τοῖς risum mouet, non addiderit illa: prudenti vitam consilio monet! s) quasi Phaedro non licuerit, quod licuit aliis Fabulatoribus, e. c. Fontanio, Lichtwehrio, quos constat simili modo ridendo dixisse verum. Namque a fabula antiqua non alienum fuisse τὸ risum mouere, docet Auctor ad Herennium t): Si defessi erunt audiendo, ab aliqua re, quae risum mouere possit, exordiemur, ab apologo, a fabula verisimili, imitatione cet. Cum quo facit Sulzerus, elegantissimus ille bonarum litterarum magister, scribens u): Manche Fabel wird dadurch gut, dafs sie in einem kalten Ton erzählt wird; andern steht der lustige, etwas schnakische, andern sogar der erhabene, enthusiastische Ton am besten. Et alio loco: Es giebt Fabeln, deren Moral blos belustigend ist, indem sie gewisse Charaktere, oder Handlungen, die lächerlich sind, in einem recht komischen Lichte zeigen. x)

Quod denique Christius dicit, Phaedrum narrare res tritas atque plebejas; quod ejus fabulas appellat joca frigidiuscula, opusculum vero fabularum vtcunque La-

q) Vide ad Prol. I. 7. et *Cannegieter.* ad Praef. Aviani p. 6. 7.

r) *Christii* Prolus. p. 6.

s) Prol. I. 3. 4.

t) Lib. I. C. 6.

u) Cf. *Ejus* Theorie der S. K. T. I. sub *Fabel.*

x) Hisce adde, quae notat C. H. *Schmid.* Not. ad *Crusii,* Angli, Vit. Poëtar. T. I. p. 352. Vers. Germ.

tinum, earumque auctorem Libertum, non clarum et semibarbarum, quem Canium imitandum sibi proposuisse, non esse credibile; in hisce nugis ego nolo morari lectores. Immo vero ad alterum de Phaedro testimonium, quod est penes Avianum, progredior. Maximam vero operam Christius, etsi frustra, in eo posuit, vt et hoc eriperet Phaedro. En argumenta viri docti! Avianum, ait, Graecum scriptorem dicere; nominis etiam figuram Graecam esse; aliter enim Phaeder appellandus fuisset; y) credibile esse, non alium Phaedrum Avianum intelligere, qui fabulas, quemadmodum Socrates, scripserit, quam nobilissimum illum, quem Cicero etiam laudauerit; verbum resoluit, quod perperam explicat Aesopi dictis vberiora scribere, in fabulas Phaedri nostri non conuenire; Phaedrum enim Aviani fabulas non multas in multa verba resoluisse; at Phaedri, qui vulgo fertur, fabulas cum esse multas, tum plerisque earum vix aliquid inueniri breuius adstrictiusque. Praeterea Avianum prodere, se de his Phaedri et Babriae fabulis suas rudi Latinitate composuisse: quod non dixisset, si illae Latinae essent; postremo, si quis recentem Phaedrum cum Aviani fabulis componat, tamquam si is esset, cujus hic in praefatione mentionem fecisset, operibus his adeo parum inter se conuenire, vt alterum ex altero expressum esse non possit. Quid, quod ne vnicam quidem Pseudophaedri fabularum in his quadraginta duabus, quae Aviani sub nomine cum hac praefatione feruntur, apparere; verba in praefatione Aviani de his ergo ad quadraginta et duas in vnum redactas fabulas edidi, sic esse interpretanda: vnum ego librum de quinque Phaedri libris, electis inde fabulis, feci. Nunc quia ne vna quidem earum in Phaedri nostri libris quinque inueniatur, non esse igitur hunc Aviani Phaedrum, sed plane alium. z)

Orationis contextus in praefatione Aviani vnumquemque lectorem, a partium studio alienum, et praejudicata

y) At supra probaui, et *Phaeder* et *Phaedrus* recte dici.

z) *Christii* Prolusio p. 8.

opinione non abreptum, potest docere, hunc locum longe alio sensu esse capiendum, atque Christius auctori obtrudere ausus est. Dicit autem haec Avianus: Dubitanti mihi, Theodosi optime, a) quonam litterarum titulo nostri nominis memoriam mandaremus, fabularum textus b) occurrit. Additis caussis, quare elegerit fabulas, pergit: Hujus ergo materiae ducem c) nobis Aesopum noueris, qui responso Delphici Apollinis monitus ridicula (fabulas, quae risum mouent) d) orsus est, vt legenda firmaret, i. e. vt ridiculis suis auctoritatem conciliaret, hominesque ad audiendum legendumque inuitaret, firmauit ea Apollinis oraculo. e) Verum has pro exemplo fabulas et Socrates f) diuinis operibus indidit, (pro exemplo adduxit in Operibus suis,) et poëmati suo (Horatius) Flaccus aptauit, g) quod in se sub jocorum communium h) specie vitae argumenta (hi-

a) Communis est virorum doctorum sententia, omni assensu digna, Theodosium, cui dedicauit Auianus fabulas, non alium esse, quam Macrobium Theodosium, Grammaticum, Saturnalium auctorem. Vid. *Colomes.* Opusc. C. 38. p. 90. coll. cel. *Wernsdorf.* de Carmine Avieni. T. V. P. II. Poët. Min. p. 663. sqq. Macrobium autem, quem dignitate praefecturae sacri cubiculi euectum dicunt, familiarius alloqui potuisse *Theodosi optime*, pulchre ostendit Cl. *Wernsdorf* l. c. p. 670.

b) Facilioris materiae et tenuis argumenti versus *texi* dicuntur. Vid. *Cannegieter* ad h. l.

c) V. *Phaedri* Prol. I. 1. 2.

d) *Phaedri* Prol. I. 4. Simili modo Aristophanes Ἀισώπȣ γελοῖα, et Αἰσωπικὸν γελοῖον dixit. v. Ej. Vesp. Cf. *Bentleji* Diss. de Fab. Aesopi, in Ej. Opusc. Phil. p. 72. sq. Ed. Lips. et Hesych. sub Αἰσώπȣ γελοῖα; it. *Cannegieter* ad Praef. Aviani p. 5.

e) Aliter haec explicauit *Barthius* Adv. LXIX. C. 24. Sed v. Cannegieter l. c. quem h. l. secutus sum.

f) Vid. Exc. I. ad Prol. L. I. 1.

g) Vid. *Serm.* L. II. VI. 77. sqq. *Epp.* L. I. 73. sq. III. 19 — 21. VII. 28. sqq. X. 34. sqq. XVII. 50. A. P. v. 139.

h) *Jocos communes* Cannegieterus explicat hilares, festiuos,

storiam) i) **contineant.** **Quas** (fabulas Aesopias) **Graecis Jambis** (Choliambis) **Babrius repetens in duo volumina coartauit;** k) **Phaedrus etiam partem aliquam quinque in libellos resoluit** (partem fabularum, ab Aesopo inuentarum, in libros quinque redegit, vel, e Graeco sermone in Jambos transtulit Latinos, seu, versibus poliuit senariis). l) **De his ergo** (Aesopi fabulis, quas alii vel pro exemplo adduxerunt in sermonibus suis, vt Socrates et Horatius; vel adeo versibus expresserunt, vt Babrius et Phaedrus) **de his,** inquam, **ad quadraginta et duas in vnum** (librum) **redactas fabulas edidi.** Ex quo luculenter apparet, Christium

quam vocem erudite illustrat. Sed, notante eodem, possunt etiam esse vulgares, vsitati; vel, quod malim, qui tangunt omnes, non singulos. Ita Phaedrus fabulas suas *communes* esse, ostendit Prol. III 45 — 47.

Suspicione si quis errabit sua,
Et rapiet ad se, *quod erit commune omnium;*
Stulte nudabit animi conscientiam.

i) Laudat *Cannegieterus* Ovid. Trist. V. I 10

Sumque argumenti conditor ipse mei.

k) Vide supra Notit. Litter. de Babrio. Sed Marchesellus, vt hanc Auiani Epistolam faceret suspectam, putat, esse intelligendum Ignatium, vulgo Gabriam, quem τετράστιχα Graecis Jambis composuisse, et Saeculo p. C. N. nono vixisse, supra dixi.

l) Cum Phaedrus, praeter Aesopias, scripserit quoque fabulas, a se inuentas, vt ipse dicit Prol. V. 1. et Auianus dicat, eum fabulas *Aesopi* in V. libros resoluisse, nulla facta mentione fabularum, a Phaedro inuentarum: colligit hinc Marchesellus, in Epistola Auiani de Phaedro nostro non esse sermonem; epistolam esse suppositam, et a ficto, non vero, Auiano scriptam. Sed cum Phaedrus fabulas, et ab Aesopo et a se inuentas, appellet *Aesopias*; (Prol. IV. 10 11.) et Auianus a potiori denominationem fecisse putandus sit: Italum non audiendum esse, quis est, qui non videat? Etiam Christius statuebat (Prolus. p. 54.) Epistolam Auiani hiulcam esse atque suspectam, et in ea aliquid esse omissum. Sed probat Cannegieterus in Not. p. 3. nihil deesse, et omnia bene habere. Lacunam et Neveletus subolebat, sed frustra.

hunc locum male intellexisse. Dicit enim, non probat, verbum resoluere, quod mirum in modum detorquet, significare, Aesopi dictis vberiora scribere, seu, fabulas non multas Aesopi in multa verba resoluere. m) Contra interpretatio nostra firmatur loco Senecae, n) qui: agedum illa, inquit, quae multo ingenii tui labore celebrata sunt, in manus sume vtriuslibet auctoris carmina: quae tu ita resoluisti, vt quamuis structura illorum recesserit, permaneat tamen gratia. Sic enim illa ex alia lingua in aliam transtulisti, vt, quod difficillimum erat, omnes virtutes in alienam te orationem secutae sint. Qui locus manifesto probat, verbum resoluere dici de iis, qui carmina ex alia in aliam linguam transferunt, vt hoc loco Polybius aliorum carmina resoluisse dicitur, dum ea verteret, ita vt structura quidem illorum recederet, permaneret tamen gratia, et omnes carminum virtutes in aliena oratione essent conspicuae. Simili modo Phaedrus ab Auiano, Graecas Aesopi fabulas Latine vertisse, sicque partem istarum libris quinque in jambos resoluisse recte dicitur. Ex quo patet, Christio non adsentiendum esse, verbum resoluere in fabulas Phaedri conuenire neganti. †) Praeterea Christius verba de his, in

m) Eodem, quo Christius, sensu verbum *resoluere* capit Marchesellus, seductus oppositione τȣ *coartauit*, quod praecedit.

n) Consol. ad Polyb. C. XXX.

†) Alio modo cl. *Jakobs* verbum *resoluere* interpretatus est. „Der Ausdruck bey dem Avianus, *Phaedrus etiam partem aliquam quinque in libellos resoluit*, soll nach Christ's Meynung bedeuten, *Phaedrus* habe die Fabeln des Aesop *ausführlicher vorgetragen* (resoluit). Müfste aber nicht dann das entgegengesetzte anzeigen, Babrius habe diese Fabeln ins kurze gezogen, welches schlechterdings ungereimt wäre, da es heifst: *in duo volumina* coartauit. Beyde Zeitwörter müssen also, den Gesetzen der Antithese zufolge, auf einerley Art von dem Raume erklärt werden, den die Fabeln beyder Dichter einnahmen: Babrius drängte die Erdichtungen des Aesop in zwey Bücher zusammen: Phaedrus dehnte sie in fünf Bücher aus."

loco Aviani, perperam refert partim ad Phaedrum, quem fingit Epicureum illum fuisse, de quo supra mentio facta est, partim ad Babrium; cum vnice referenda sint ad fabulas Aesopi, quem Avianus ducem materiae, a se susceptae, praedicat, et de cujus fabulis, ad exemplum Babrii et Phaedri, se quadraginta et duas Elegis explicare conatum esse commemorat. o) Cum etiam Avianus verbis expressis testetur, Phaedrum aliquam fabularum Aesopiarum partem in quinque libellos resoluisse, quae verba Phaedrum nostrum aperte arguunt: qui fieri poterat, vt Christio in mentem veniret Phaedrus ille Graecus, Epicureae disciplinae philosophus, qui, quemadmodum Socrates, fabulas scripserit, e quibus Avianus expresserit suas Elegis? p) Mirum profecto videri possit omnibus, bene veritatem intuentibus, si ita casus tulisset, vt idem ille, quem Graecum Phaedrum vocat Christius, Libris quinque fabulas in vulgus ederet.

Vnum restat, quod Christius valde vrget, nempe ne vnam quidem fabularum Aviani in Phaedri nostri libris

Vid. *Lateinische Fabulisten* l. c. p. 36. sq. Vel ex hac interpretatione, si quis nostrae velit praeferre, efficitur, Christium in explicando verbo *resoluere* vehementer errauisse.

o) *Funccius* in Apol. pro Phaedro p. 159. verba Aviani *de his* non male explicat *post*, vt sensus sit: post illos plures, jam enumeratos, Aesopum, Socratem, Flaccum, Babrium, Phaedrum, ad quadraginta et duas edidi fabulas. Laudat autem Plaut. Mostell. III. II. 8. *non bonus est somnus de prandio*, i. e. post prandium; Liv. L. V. C. 48. *diem de die prospectans*, i. e. vnum post alterum diem prospiciens, vt omittam alia.

p) Avianus cum scribat: *quas, rudi Latinitate compositas, elegis sum explicare conatus*; conjicere licet, Avianum fabulas Aesopias, a Julio Titiano ex Graecis Babrii in linguam latinam prosa translatas, Elegis explicauisse. Nam puto, Avianum aeuo Theodosiano non esse antiquiorem. Vid. Notit. Litter. de Babrio. Fortasse et alii fuerunt, qui Aesopi fabulas ex ipsis Aesopi verbis prosa Latina exprimerent, qualis e. c. est fabula de Cassita ap. *Gellium*. N. A. L. II. 29.

quinque inueniri. Quo in genere commode supersedere potero disputatione, cum Avianus fabulas suas expresserit ex Aesopi, non Phaedri fabulis; quam sententiam Christius tuetur, nixam fundamento admodum infirmo, vt antecedentia docent. Ceterum cum Avianus fabulas, a Phaedro jamjam versibus senariis expressas, nollet denuo elegis explicare, istas consulto ac dedita opera omisisse putandus est.

Indubitatis Martialis et Aviani de Phaedro testimoniis adjungo marmor vetus, quod ex Zamoscio memorat Gruterus, q) scribens: „Albae Juliae (Weissemburgi in Transyluania) visitur Lapis, cujus haec epigraphe geminae defunctorum superadditur effigiei:

Sordidam auaritiam quam vehementer abhoruerit, vel sola auari effigies, L. IV. F. XIX. data, testatur, qua nihil potest esse elegantius. Et ipse confitetur, se curam habendi penitus corde erasisse. y) Ornatus itaque litterarum graecarum scientia, subacto ingenio, delicato sapore, gloriae et recti moris amore, ferme omnia et poëtae et fabulatoris propria tenuit. Optandum esset, vt quo tramite ire coeperat fabula, duce Phaedro, perrexisset sequenti tempore.“

u) De Poësi Apol. p. 32. sq.

*) Tusc. Quaest. L. V. C. 22.

x) Phaedr. Prol. III. 31. sq.

y) Prol. III. 21.

INDEX

LOCORUM, IN QUIBUS RECESSIT EDITOR A TEXTU BURMANNI.

Lectio Burmanni.	*Lectio ab Editore recepta.*
L. I. F. II.	L. I. F. II.
Vs. 16. jaceret - - -	Vs. 16. lateret.
L. I. F. IV.	L. I. F. IV.
Vs. 6. demisit - - -	Vs. 6. dimisit.
L. I. F. VI.	L. I. F. VI.
Vs. 3. solem velle - -	Vs. 3. sol cum vellet
L. I. F. VIII.	L. I. F. VIII.
Vs. 12. postulas - - -	Vs. 12. postules.
L. I. F. XIII.	L. I. F. XIII.
Vs. 2. serae poenitentiae -	Vs. 2. sera poenitentia
Vs. 10. amisit - - -	Vs. 10. emisit
L. I. F. XIV.	L. I. F. XIV.
Vs. 9. Hoc bibere - -	Vs. 9.' Combibere
Vs. 17. pertinere ad illos vere	Vs. 17. pertinere vere ad illos
L. I. F. XVI.	L. I. F. XVI.
Vs. 1. 2. Fraudator nomen cum locat, sponsu improbo, Non rem expedire, sed mala videre expetit	Vs. 1. 2. Fraudator hominem cum vocat sponsum improbum Non rem expedire, sed malum dare, expetit.
Vs. 4. doli - - - -	Vs. 4. dolum
L. I. F. XVII.	L. I. F. XVII.
Vs. 3. commodasse - -	Vs. 3. commendasse
Vs. 5. deberi - - -	Vs. 5. debere
L. I. F. XVIII.	L. I. F. XVIII.
Vs. 5. onus maturum -	Vs. 5. onus naturae
L. I. F. XIX.	L. I. F. XIX.
Vs. 7. firmiores posset catulos	Vs. 7. firmiores catulos posset
L. I. F. XXI.	L. I. F. XXI.
Vs. 9. exterit - - -	Vs. 9. extudit

Lectio Burmanni.	*Lectio ab Editore recepta.*
L. I. F. XXII.	L. I. F. XXII.
Vs. 2. quaeso parce inquit mihi	Vs. 2. parce quaeso inquit mihi
L. I. F. XXIII.	L. I. F. XXIII.
Vs. 2. rerum - - -	Vs. 2. verum
Vs. 4. posset - - -	Vs. 4. possit
Vs. 5. heus si inquit -	Vs. 5. heus inquit
L. I. F. XXV.	L. I. F. XXV.
Vs. 6 — 8. Sic Crocodilus: quamlibet lambe otio, Accede, pota leniter, et noli dolos, Inquit vereri. cet.	Vs. 6 — 8. Sic Crocodilus: quamlibet lambe otio, Noli vereri. cet.
L. I. F. XXVI.	L. I. F. XXVI.
Vs. 3. Vulpes ad coenam -	Vs. 3. Ad coenam vulpis
Vs. 9. ipsa, torquet - -	Vs. 9. ipsa et torquet
Vs. 10. Frustra collum lamberet	Vs. 10. collum frustra lamberet
L. I. F. XXVIII.	L. I. F. XXVIII.
Vs. 8. Vulpes ab ara - -	Vs. 8. Ab ara vulpis
L. I. F. XXIX.	L. I. F. XXIX.
Vs. 7. si similem - -	Vs. 7. similem si
L. I. F. XXXI.	L. I. F. XXXI.
Vs. 8. quam me creatis icto regem foedere	Vs. 8. quam regem me creatis icto foedere
Vs. 13. De reliquiis tunc -	Vs. 13. Tunc de reliquiis.
* * *	* * *
L. II. Prol.	L. II. Prol.
Vs. 5. narranti jocus - -	Vs. 5. narrantis jocus
Vs. 12. ipsa breuitas gratiam	Vs. 12. illam breuitas gratiam
L. II. F. V.	L. II. F. V.
Vs. 10. prospicit Tuscum mare	Vs. 10. despicit Tuscum mare
L. II. F. VI.	L. II. F. VI.
Vs. 13. facili - - -	Vs. 13. facile
L. II. F. VII.	L. II. F. VII.
Vs. 4. eminens - - -	Vs. 4. eminet
Vs. 5. jactans - - -	Vs. 5. jactat

Lectio Burmanni.	*Lectio ab Editore recepta.*
L. II. F. VIII.	L. II. F. VIII.
Vs. 15. bobus - - -	Vs. 15. bubus
Vs. 25. alta est conspicatus	Vs. 25. alta conspicatur
L. II. Epil.	L. II. Epil.
Vs. 1. Aesopo ingentem -	Vs. 1. Aesopi ingenio
Vs. 15. sin autem: ac illis doctus occurret labor	Vs. 15. sin autem doctus illis occurrit labor
L. III. Prol.	L. III. Prol.
Vs. 4. inquit - - -	Vs. 4. inquis.
Vs. 22. Et laude inuita -	Vs. 22. Et laude multa
Vs. 38. Ego porro illius semitam feci viam	Vs. 38. Ego illius pro semita feci viam.
L. III. F. II.	L. III. F. II.
Vs. 17. petierint - - -	Vs. 17. petierit
Vs. 18. qui panem dederint	Vs. 18. quis panem dederit.
Vs. 19. laeserant - - -	Vs. 19. laeserunt.
L. III. F. V.	L. III. F. V.
Vs. 10. comprehensus -	Vs. 10. compreusus.
L. III. F. VI.	L. III. F. VI.
Vs. 3. Vide, dolone ne collum pungam tibi	Vs. 3. Vide, ne dolone collum compungam tibi
Vs. 9. Namque vbi strigandum est, et vbi currendum, scio	Vs. 9. Namque, vbi tricandum, et vbi currendum sit, scio.
L. III. F. VII.	L. III. F. VII.
Vs. 3. dein salutant inuicem	Vs. 3. salutantes dein inuicem
V. 16. canis - - -	Vs. 16. cani
L. III. F. VIII.	L. III. F. VIII.
Vs. 3. insigni et pulchra facie filium	Vs. 3. insignem pulchra facie filium
L. III. F. X.	L. III. F. X.
Vs. 7. Sed fabulosam ne vetustatem eleuent	Vs. 7. Sed fabulosa ne vetustate eleuent
Vs. 11. a liberto suo - -	Vs. 11. a liberto est suo
Vs. 26. Ad lectum accedit -	Vs. 26. Ad lectum vadit
Vs. 47. damnanda - -	Vs. 47. delata

Lectio Burmanni.	*Lectio ab Editore recepta.*
L. III. F. XII.	L. III. F. XII.
Vs. 1. sterculino - - -	Vs. 1. sterquilino
Vs. 4. Te si quis - -	Vs. 4. Hoc si quis
Vs. 5. maximum - -	Vs. 5. pristinum
Vs. 6. Ego qui te inueni? potior cui multo est cibus?	Vs. 6. Ego qui te inueni, potior cui multo est cibus,
L. III. F. XIII.	L. III. F. XIII.
Vs. 13. sustulit - - -	Vs. 13. protulit.
L. III. F. XVI.	L. III. F. XVI.
Vs. 12. Apollinem - -	Vs. 12. Apollinis
Vs. 18. Trepidantem - -	Vs. 18. Crepitantem
L. III. F. XVIII.	L. III. F. XVIII.
Vs. 13. vocibus - - -	Vs. 13. dotibus
Epilogus - - -	Epilogus
Vs. 14. coepero - - -	Vs. 14. cepero
Vs. 18. Cum jam desierit esse beneficium vtile	Vs. 18. Cum jam desierit esse beneficio vtilis
Vs. 24. sq. Tuae prius sunt partes, aliorum dein: Similique gyro v. a. v.	Vs. 24. sq. Tuae sunt partes, fuerunt aliorum prius; Dein simili gyro v. a. v.
L. IV. Prol. (apud Burm. L. V. Prol.)	L. IV. Prol.
Vs. 1. operis habere terminum	Vs. 1. terminum operi statuere
Vs. 4. talis etiam est tituli *artifex*	Vs. 4. talis etiam tituli est *appetens*
Vs. 12. quasi paucas ostenderit	Vs. 12. paucas ostendit ille.
Vs. 14. quarum libellum dum vaciue perleges	Vs. 14. quartum libellum nunc vaciue perleges
L. IV. F. I. (apud Burm. L. III. F. XX.)	L. IV. F. I.
Vs. 4 circum quaestus ducere	Vs. 4. circum in quaestus ducere
L. IV. Prol. (ap. Burm.)	L. IV. F. I.
Vs. 1. *et sane leui* - -	Vs. 12. et sane leue
L. IV. F. I. (ap. Burm.)	L. IV. F. II.
Vs. 15. Alter similiter, deinde periit tertius	Vs. 26. Alter similiter periit, deinde et tertius.

Lectio Burmanni.	*Lectiore ab Editore recepta.*
L. IV. F. IV. (ap. Burm.)	L. IV. F. V.
Vs. 5. At alteram lanificam, frugi, et r.	Vs. 5. At alteram lanificam et frugi, rusticam
Vs. 15. fuerat - - -	Vs. 15. fuerit
Vs. 41. vinum petat - -	Vs. 41. vinum paret
L. IV. F. VI. (ap. Burm.)	L. IV. F. VII.
Vs. 25. si qui stulti nauseant	Vs. 25. qui stultitia nauseant
L. IV. F. VIII. (ap. Burm.)	L. IV. F. IX.
Vs. 2. Effugium reperire -	Vs. 2. Reperire effugium
L. IV. F. XVI.	L. IV. F. XVI.
Vs. 5. subito mutato die -	Vs. 5 subito vt mutatur dies
L. IV. F. XVII.	L. IV. F. XVII.
Vs. 3. Vt sese abriperet -	Vs. 3. Vt sese eriperet
Vs. 21. adeunt - - -	Vs. 21. abeunt
Vs. 28. Non est legatos regis non dimittere	Vs. 28. Legatos non est regis non dimittere
Nec est difficile - -	Nec est difficile
Sed hoc feretis - -	Non veto dimitti
Non veto dimitti -	Ne ventrem
Ne ventrem - - -	Et hoc feretis
Vs. 36. Nouumque venire -	Vs. 36. Nouum venire
L. IV. F. XIX.	L. IV. F. XIX.
Vs. 3. vltimam - - -	Vs. 3. intimam
Vs. 25. funeris - - -	Vs. 25. funeri
Vs. 26. lucrum - - -	Vs. 26. lucri
L. IV. F. XXI.	L. IV. F. XXI.
Vs. 7. venire - - -	Vs. 7. redire
Vs. 15. perierunt - -	Vs. 15. perierant
Vs. 25. obuius - - -	Vs. 25. obuios
Vs. 26. sq. — — Dixi, inquit, mea Mecum esse cuncta? — —	Vs. 26. sq. Dixi, inquit, mea Mecum esse cuncta; — —
L. IV. F. XXIII.	L. IV. F. XXIII.
Vs. 5. Moror inter aras, templa, perlustro omnia	Vs. 5. Moror inter aras, templa perlustro omnia
Vs. 12—17. Reges commemoras	Vs. 12—17. Aras frequentas
Ego granum - -	Reges commemoras
Te circa murum - -	Super etiam jactas
Aras frequentas - -	Nihil laboras
Nihil laboras - -	Ego granum
Superba jactas - -	Te circa murum

Lectio Burmanni.	*Lectio ab Editore recepta.*
L. IV. F. XXIV.	L. IV. F. XXIV.
Vs. 13. Quorum sunt laudis duae	Vs. 13. Q. s. laudes duae
Vs. 22. Repente duo cum	Vs. 22. Duo cum repente
L. V. F. I.	L. V. F. I.
Vs. 1. Phalereus qui dictus est	Vs. 1. qui dictus est Phalereus
L. V. F. II.	L. V. F. II.
* * *	Vs. 1. 2. Duo cum incidissent in Latronem milites, Vnus profugit, alter autem restitit
Vs. 11. scio quod - -	Vs. 11. scio quam
L. V. F. III.	L. V. F. III.
Vs. 11. Hoc argumentum veniam mage dari docet	Vs. 11. Hoc argumentum veniam ei dari docet
Vs. 12. quam qui consilio est nocens	Vs. 12. nam qui consilio est nocens
Vs. 13. quauis poena dignum	Vs. 13. quamuis dignum poena
L. V. F. IV.	L. V. F. IV.
Vs. 8. vitaui lucrum - -	Vs. 8. reputaui lucrum
L. V. F. V.	L. V. F. V.
Vs. 4. Facturus ludos quidam diues nobiles	Vs. 4. Facturus ludos diues quidam et nobilis
L. V. F. VII.	L. V. F. VII.
Vs. 16. quidam nobiles -	Vs. 16. quidam nobilis
Vs. 17. Et incipiebat Princeps ingredier. Eum	Vs. 17. Et incipiebat ingredi Princeps. Eum
Vs. 25. sq Chorus reducto tunc et notum canticum Imposuit	Vs. 25. sq. Tunc Chorus ignotum et modo reducto canticum Imposuit
Vs. 28. jactant basia - -	Vs. 28. jactat basia
L. V. F. X.	L. V. F. X.
Vs. 9 Quod fuimus laudas, jam damnas, quod non sumus	Vs. 9. Quod fuimus laudasti, jam damnas, quod sumus.

PHAEDRI FABULARUM
INSCRIPTIONES.

Prior numerus librum, alter fabulam notat.

PHAEDRI

AUGUSTI LIBERTI

FABULARUM AESOPIARUM

LIBER PRIMUS.

P H A E D R I

FABULARUM AESOPIARUM

LIBER PRIMUS.



F. Catel. del.

Personam tragicam forte Vulpis viderat.

Phaedr. I. VII. 1.

P H A E D R I

AUGUSTI LIBERTI *)

FABULARUM AESOPIARUM **)

L I B E R   P R I M U S.

P r o l o g u s.

Aesopus auctor quam materiam reperit,
Hanc ego poliui versibus senariis.

Aesopiarum. Omisit Brotierius *Aesopiarum*, quod redundet, nec reperiatur in MSS. Pith. et Rem. sed retineo vulgatum, ob Prol. Lib. IV. 10. 11. — Vs. 1. *reperit.* MSS. Pith. et Rem. *repperit.* Sed vide Desbillon. Hoc enim et alia ejusmodi vo-

---

*) Phaedrus C. Octauii Augusti fuit Libertus, non Tiberii. V. supra Vitam Phaedri.

**) Quae hic vocantur fabulae *Aesopiae*, easdem Phaedrus Lib. IV. Prol. 11. dicit *Aesopeas*, vbi vide. Dici etiam possunt *Aesopicae.* Seneca *Consol. ad Polyb.* C. 27. memorat *Aesopeos Logos.* Pari modo dixit Cic. Acad. II. C. 48. *Carneadea sententia*, et de Or. Lib. III. C. 19. *Carneadia vis.* Cf. *Desbillonii* Addenda p. XL.

Vs. 1. *Aesopus.* Vid. Excurs. I. ad Prol. I. vs. 1. *Auctor.* Haec vox, referenda ad *reperit*, et vim quasi habens aduerbii, notat Aesopum fabularum, a Phaedro scriptarum, inuentorem. Vid. A. D. B. T. XLV. p. 168. *Materiam.* Intelligenda fabularum scribendarum materia, *der Stoff zu Fabeln*, *die Materie.* Hor. A. P. 38. *reperit.* Apte; vsurpatur enim hoc verbum de primis rerum inuentoribus. Plin. H. N. L. VII. C. 56. *Litteras alii apud Aegyptios, alii apud Syros repertas volunt.* Sic Virg. Aen. L. VII. 772. sq. V. Scheffer.

Vs. 2. *Poliui*, elegantiori cultu exornaui. Intelligenda haec de

Duplex libelli dos est: quod risum mouet,

cabula primam syllabam ancipitem habent: quae si producatur, proxima littera consonans neutiquam geminanda est; id quod optimi Codd. MSS. et Inscriptiones antiquae satis ostendunt.

Vs. 3. *Dos.* In prima Rigaltii Editione legitur: *duplex libellis os est.* Ita et Neveletus; qua lectione nihil est durius. MS. Pith. *duplex libelli mos est.* Sic priores Editt. Pith. Rittersh. aliorum, vt *mos* sit indoles, qualitas. Hanc lectionem

---

cultu externo. Phaedrus autem voluit dicere: fabulas, quas primum reperit, seu excogitauit ingenio Aesopus, versibus senariis politiores et ornatiores reddidi. Infra L. IV. F. XX. 8. vbi vide, totum hunc locum sic expressit: *inuenit* ille, (Aesopus) nostra *perfecit* manus. In posterioribus tamen libris Phaedrus Aesopum non raro ita secutus est, vt eum tantummodo haberet tamquam exemplar in arte fabulandi. Vid. Prol. V. 1—3. Prol. II. 8. sqq. et *Schirachii* V. D. Clav. in Phaedr. p. 281. De vsu verbi *polire*, quod vertere possis *ausbilden*, erudite disputat Cl. *Hartmann.* in Chrestom. Phaedrin. p. 3. *Versibus senariis.* Versus senarii, qui et *senarioli* dicti sunt a Cicerone Tusc. L. V. C. 23. nomen habent a sex pedibus, quibus constant. Sunt illius generis jambici, quod propter dimensiones tres *Trimetrum* vocatur. Lege, quae notat cl. *Lange.* De hoc versuum genere sic judicat Cicero Or. C. LV. *Comicorum senarii propter similitudinem sermonis sic saepe sunt abjecti, vt nonnumquam vix in his numerus et versus intelligi possit.* Sed metri diligentiorem fuisse Phaedrum Plauto et Terentio, eumdemque *in metra pecasse arte, non inscitia*, quod de poëtis comicis Terentianus Maurus pronuntiat p. 84. Edit. Sant-Andrean. jam olim contra Scioppium recte obseruauit Santorocus, et post hunc Desbillonius. Quibus assentit Faber, scribens in Notis: „Phaedrus illis (Comicis) castigatior est et adstrictior, sed ita tamen, vt honesta quadam interdum libertate vtatur. Quod a nobis ea gratia dicitur, ne quis omnia ejus carmina ad molestam illam purioris Jambici diligentiam postulet reuocari. Nam quod suspicatur Scioppius, ignorasse Phaedrum leges metricas, cui, quaeso, persuaserit?"

Vs. 3. *Dos.* Translate idem, quod fructus, ornamentum, virtus. *Dos oris* pro eloquen-

Et quod prudenti vitam consilio monet.

tuetur Gebhard Crepund II. et Praschio placebat; ita tamen, vt vocem *moris* acciperet pro *lege*. Gronov. *duplex fabellis os est*, i. e. duplicem habent faciem, siue personam; alteram, quae ridicula apparet; alteram, quae sapere docet. Vid. Not. Scheff. Sed veram lectionem, quae est elegantior reliquis, *duplex libelli dos est*, habet Cod. Rem. cui obsequuntur Rigaltius in Ed. 2. Faber, Freinsh. c. Scheffero, et optimi interpretes. Lectionem *dos*, vtpote Latinissimam et MS. auctoritate firmatam, probat etiam *Claud. Civilis*, i. e. Withofius, (Vid. *Schraderum* in Emendatt. Libro p. 85) in Obs. Misc. Nov. Vol. I. T. I. p. 114.

Vs. 4. *prudenti*. Sic reperit Heinsius in V. C. Pithoei, vt videtur. Teste Brotierio in MSS. Pith. et Rem. et Vett. Editt. est *prudentis*. Alterutra lectio est a manu secunda. Placuit recentioribus *prudenti*, quod tuentur Gebh. Crep. II. C. et Burm.

---

tia dixit Ovid. Met. V. 562. A duplici autem dote commendat fabularum libellum. Scilicet altera est delectatio; mouet enim risum: altera vtilitas; prudenti enim consilio vitam monet. Sicque satisfecit praecepto Horatiano, *Lectorem delectando pariterque monendo*. Vid. A. P. 344. et 333. Cf. doctam Gudii de hac voce disputationem. Sattler: *des Büchleins Mitgift*. *Mouet* i. e. concitat. Cic. Att. VI. Ep. 3. *in quo ille mihi risum magis, quam stomachum mouere solet*. An fabula Aesopia recte risum mouere dicatur, de eo quidem acute disputat *Jacobs*. in Obseruatt. ad Phaedri fabulas, huic editioni praefixis. Fabulis, quae risum mouent, adnumerandae e. c. L. I. F. XI. XXVI. al. *Risum mouere* interpretatur Cl. *Gail amuser*. Frustra hanc Phaedri locutionem carpit *Christius* v. supra Disp. de Phaedro A. S.

Vs. 4. *Vitam* capit Burmann. pro ipsis hominibus, vitam degentibus, quo sensu haec vox tempore Phaedri fuit vsitata, id quod multis firmat exemplis. Sic Martial. L. VIII. Ep. 3. *agnoscat mores vita legatque suos*. Sensus igitur est: consilium dat hominibus, recte prudenterque viuendi. Hunc versum compara c. Prol. L. II. 2—5. et Prol. III. 50. In *mouet* et *monet* notant Rittersh. et Gud. παρονομασίαν et laudant L. IV. F. IV. 13. In quorum sententiam discedere videtur Cl. *Tzschucke*, notans: „an voluit ludere?"

Calumniari si quis autem voluerit,
Quod arbores loquantur, non tantum ferae;
Fictis jocari nos meminerit fabulis.

Quae enim, inquiunt, superbia Phaedri foret, si prudentem monere sibi sumeret? At recte Brotier: „hac ratione minime moueor. Verum cum et *prudenti* dici possit, et sit receptum, nihil mutaui.“ *Grunero* in Spicileg. Obseruatt. ad Ph. *prudens* est perspicax, qui sententiam fabularum assequi valet. Et hoc sensu defendit *prudentis*, quam lectionem quoque praeferunt VV. Cl. *Gail* et *Lange*. *Monet*. Heinsius *fouet*, quod insolens videtur Burm. Heumannus in Censur. Phaedri Walch. (N. B. P. XXVII. p. 605.) mallet *regit*, quod, cum *vita* pro hominibus dicatur, non est necesse; deinde, si *regit* scripsisset Phaedrus, qui *monet* potuisset irrepere.

Vs. 6. Bentlejus: *quod et arbores l. n. t. f.* Sed Harius ostendit, hoc minime necessarium esse. Omittunt enim poëtae particulas *et*, *etiam*, vt apud Ovid. A. A. L. I. 384. *Corpore, non tantum sedulitate, placet.* Vid. Burmann.

Vs. 5. *Calumniari*, immerito et maligne vituperare, in malam partem interpretari, *chicaniren*. Sic Tac. Hist. III. 75. *id vnum calumniatus est rumor.* Alii explicant, irridere, cauillari. Male Phaedrum hisce versibus caussam dicere aduersus nasutos vituperatores, acute vidit cl. *Jacobs* in Obseruatt. in Phaedri fabulas, quas lege.

Vs. 6. *Arbores*. Quasdam Phaedri fabulas intercidisse, in quibus arbores loquuntur, jam olim conjecerunt Rigaltius et Heinsius, quod deinde probauit Gudius, qui in MS. Divion. reperit ejusmodi Phaedri fabulam, ab ipso numeris suis restitutam. Inscripta est: *Homo* et *Arbores*. Vid. Appendic. Fabular. Burm. V. et Romuli Fabb. L. III. F. 14.

Vs. 7. *Fictis*. Fictae fabulae opponuntur veris; hoc igitur Epitheton non est otiosum. Nam vox *fabula*, pertinens ad vocabula media, narrationem quamuis et veram et falsam significat. Sic infra L. II. F. V. 6. *vera fabella*. Sueton. Domit. C. 15. *diei fabulae*, i. e. narrationes rerum, quae hocce die acciderunt. Cic. *Fabulae Trojae*, i. e. res Trojae gestae. Cf. Scheffer. Infra L. III. Prol. 37. Phaedrus *fictas fabulas* vocat *fictos jocos*. Idem Epitheton occurrit L. II. Epil. 13. Sed etiamsi fabula tantum ea

FABULA I.

LUPUS ET AGNUS.

Ad riuum eumdem Lupus et Agnus venerant,
Siti compulsi: superior stabat Lupus,
Longeque inferior Agnus. Tunc fauce imbrobâ

Vs. 3. *Fauce improba.* In Cod. Pith. est *face improba.* Hinc Pithoeus, Nevelet. Vrsin. Prasch. et olim etiam Rigaltius, alii, cum quibus facit Barth. Adv. L. XLVII. C. 10. ediderunt *face improba*, per *facem* iram intelligentes; sed quod Burmannus capi posse putat pro rabie ventris. Hanc lectionem, qua, judicantibus Barthio et Gudio, nihil est venustius et Latinius, recte rejiciunt Heinsius et Faber. In vetustissimis enim membranis

---

esset, quae fingitur, non tamen Epitheton *ficta* culpandum esse, probauit Burmannus, cum et ipse Cic. I. de N. D. 2. dixerit *fictam simulationem*, ad quem locum v. Davisius. Cui adde locum Cic. Verr. III. C. 78. quem laudat Broukhus. ad Tibull. III. IV. 68. *Non me fugit, judices, vetera exempla pro fictis fabulis jam audiri atque haberi. Jocari.* De fabulis Phaedro hoc vocabulum sollemne; inde et fabulas *jocos* dicit. L. II. Prol. 5. Prol. III. 37. Lib. IV. VII. 2. Sed poëtam passim jocis vti illiberalibus, non negabit, qui legit L. IV. F. XVII. L. I. F. XXIX. L. III. F. III. alias.

Vs. 1. Bene ad h. v. Lessingius (*zur Gesch. der Aes. Fab.* p. 231.): Das mufste sich wunderbar schicken, dafs beyde zu gleicher Zeit durstete, und beyde an Einen Flufs ihren Durst zu löschen kamen! und warum dies wunderbare? der Grieche sagt viel natürlicher: λύκος θεασάμενος ἄρνα ἀπό τινος ποταμȣ̃ πίνοντα. Denn wozu mufs auch der Wolf durstig seyn?

Vs. 2. *Compulsi* vim habet praepositionis per Latinismum frequentem. *Sie kamen aus Durst, den Durst zu löschen.* Cf. Ad B. T. 49. p. 488. *superior* i. e. loco superiori, per consequens fonti propior. Plaut. Mostel. I. I. 42. *accumbere superior.* Liv. L. XXI. C. 47. *superiora Padi vada.* Recte autem addit vs. sq. *longe inferior*, vt judicari possit de atroci lupi criminatione et de injuria, quam facit agno.

Latro incitatus, jurgii caussam intulit.

non raro *u.* omittitur et pro *faucibus* legitur *facibus*. Vid. Gebhard. Crepund. L. II. C. 6. p. 76. Rittershusius, quem sequitur Bentlej. legit, *fame improba*, quod non ideo improbat Burmannus, quia de siti praecessit: sine dubio enim, agni quoque carne famen sedare, arsisse lupum; sed quia contra Codices omnes scriptos et editos non libenter admittit nouas conjecturas. Deinde si *fame* scripsisset Phaedrus, nullus librarius mutasset obuium et facile verbum; cum contra ποιητικώτερον et durius visum τὸ *fauce* facile ad mutandum sciolos inducere potuisset. Neque etiam Aesopus F. 230. Ed. Hauptm. Ignatius, vulgo Gabrias, F. 35. et Anon. Nil. F. 3. famis mentionem faciunt. Veram lectionem, *fauce improba*, habet Cod. Rem. Sic ediderunt Rigaltius et Faber. Cui lectioni, quae ad poëticam rationem propius accedit reliquis, fauet praeter Cod. Rem. Romulus, (quem vid. infra L. I. F. 2.) et locus Virg. Aen. L. II. 355. sq. qui *improbam ventris rabiem* et *fauces siccas* in lupis commemorat. *Fauce improba* defendit etiam Claud. Civilis in Obs. Misc N. V. I. T. I. p. 114. it. Cuperus L. II. Obs. C. 20. et loca, a Gudio, Burmanno, ceteris adducta, firmant certissime eam lectionem. Scioppius legebat e conjectura *voce improba*, et jungebat cum iis, quae sequuntur, *jurgii c. i.* quam lectionem deinde Jac. Tollius inuenit apud Vincentium Bellovac. in Spec. Doctrin. C. 114. Vid. supra Notit. Litt. de Vincent. Bellovacens. coll. Excurs. II. ad vs. 3. 4.

Vs. 4. Editio Didoti stereotypa h. v. ita exhibet: *Latro incitatus jurgi causam huic* intulit. *Latro.* Scioppius reponit *lucro*, inepte; judicante Burmanno, cum et *Latrones* lupos vo-

---

Vs. 3. 4. *Fauce improba incitatus* est, magna et insatiabili vorandi cupiditate stimulatus. Elegantér *Ramlerus: der blutgierige Räuber. Faux improba* indicat tropice ingentem vorandi cupiditatem, seu, vt ait Virg. Aen. II. 355. sqq. improbam ventris rabiem. *Gebhardus* Crepund. L. II. C. 6. laudat locum *Rufini* L. I. C. 8. ex Eusebio s. Josepho: *Auiditas inexplebilis semper inerat cibi, nec tamen satiari vmquam* rabidis incitata faucibus *valebat nimia gulae ingluuies.* Sed τὸ *improbus* explicandum insatiabilis, immodicus. Vid. *Heyne*

Cur, inquit, turbulentam fecisti mihi
Istam bibenti? Laniger contra timens:

cet antiquus Scholiastes Statii L. V. 167. et eadem ratione venatorem dicat *Latronem* Virg. Aen. XII. 7.

Vs. 5. 6. Libri scripti et Editt. principes: *Cur, inquit, turbulentam mihi fecisti aquam Istam bibenti?* quod mutarunt varie. Bentlej. *Cur, inquit, turbulentam mihi fecisti aquam Obstans bibenti?* Sic Bipontini, nisi quod vs. 6. *instans* legant, quod ad veterem scripturam propius accedit. Sed jam olim Harius et Burm. rejecerunt Bentleji *obstans.* Longe enim a lupo distabat agnus, nec impedire lupum poterat, quo minus biberet. Neque, obseruante Burmanno, verba Graeci, *πίνειν αὐτὸν μὴ ἐῶντα* capi possunt de agno obstante, (aut instante;)

---

ad Virg. G. I. 119. et III. 431. Sic Virg. G. I. 145. labor *improbus*, i. e. magnus. Cogitandus lupus diducto ore et ingenti hiatu accurrisse, et jurgii caussam intulisse. Dixit autem poëta *incitatus*, vt Cic. de Senect. C. 12. *maxima incitatus voluptate corporis.* Vid. Hartm. et Excurs. II. ad vs. 3. 4. *Latro.* Exquisite. Sic infra L. I. F. XVII. 2. canem *calumniatorem* et L. I. F. XXXI. 5. miluum *raptorem* appellat. Pertinent ejusmodi vocabula ad poëtica, in quibus inest elegantia et vis. Lupus autem, quem Virg. appellat *raptorem* Aen. II. 355—358. coll. Ovid. Met. L. X. 540. et Phaedro L. I. F. XVI. 5. hoc loco dicitur *latro*, quia *insidias meditatur pecori.* Virg. Eccl. V. 60. cf. V. L. De voce *latronis* docte disputat Cl. Hartmann. non sine ratione, post Gudium, conjiciens, Phaedrum, dum hanc fabulam, maxime hunc locum, componeret, ante oculos habuisse Virg. Aen. IX. 59—64. *Jurgii caussam intulit,* praebuit, finxit caussam jurgandi, *suchte Gelegenheit* (male nonnulli *nahm Anlafs*) *zum Zank.* Ratio addita est, in fabula Graeca: τοῦτον (ἄρνα) ἐβουλήθη μετ' εὐλόγου αἰτίας καταθοινήσασθαι. Phaedrus, *fauce improba incitatus*; ni fallor, fortius. Laudat Cl. *Schulze* Cic. pro Leg. Man. c. 22. *vrbes jam locupletes ac copiosae requiruntur, quibus caussa belli propter diripiendi cupiditatem inferatur.* De hac loquendi formula lege doctam disputionem Burm. et Hartmanni.

Vs. 5. 6. *Turbulentam fecisti.* Infra L. IV. F. IV. 2. *turbauit*

Quî possum quaeso facere, quod quereris, Lupe?
A te decurrit ad meos haustus liquor.

sed quod turbulentam faciens aquam, non sineret illum bibere, vt praetexebat, aquam puram. Scheffer. Lallemant. Brotier. Desbillon. alii, *c. i. t. f. m. Aquam bibenti.* Sed malunt critici retinere *istam*, et subintelligere *aquam.* Cuningham. legit: *Cur, inquit, t. mihi fecisti aquam Isthic bibenti?*

Vs. 7. *possum.* Heins. *possim.*

Vs. 8. *quereris.* Al. *querere*, quod etiam satisfacit metro. In scriptis libris est *queris.*

---

vadum. Istam, intellige aquam. Eodem modo dixit L. I. F. XXIX. 8. *simile est* hoc *rostro tuo.* Laudat Burm. Ter. Heaut. III. I. 1. *lucescit hoc jam,* vbi *hoc* caelum significat. Commodum autem sensum habet, siue interpreteris istam δεικτικῶς, vt intelligatur aqua inferior, quam lupus monstrabat agno, quod malim; siue *hanc,* i. e. aquam, ad quam stabat lupus. Cf. L. IV. XI. 5. Plaut. Amph. II. II. 125. et infra Excurs. II. ad v. 6. *Laniger.* Absolute et graphice pro agno, vt *barbatus* L. IV. IX. 10. *Latrans* L. V. F. X. 7. cet. Delectatur enim poëta jucunda in appellandis animalibus varietate, quo in genere Synonymis vti solet, ab attributo desumtis, in sensus incurrente. *Laniger* pro ariete posuit Ouid. Met. VII. 312. teste Burm. Adde Virg. Aen. III. 660 et 642. *contra.* Vicissim, vt L. V. X. 7. et Virg. Aen. I. 80.

Vs. 7. Modesta timentis, vel negantis exprobratio. *Tzschucke.* Nota figuram, quam vocant periphrasin, cum res non suo verbo appellatur, sed pluribus verbis exprimitur, vel augendi, vel minuendi caussa. Nam proprie agnus dicere debebat: quî possum aquam turbulentam facere? id quod longe audacius dictum fuisset. Non recte igitur quidam: *Unmöglich kann ich das, Wolf,* quod ab hoc loco est alienum. Vid. A. d. B. T. 49. p. 488.

Vs. 8. *Decurrit.* Decurrere est, deorsum currere, gr. καταρρέχειν, s. καταῤῥεῖν. Cf. Hartm. Plin. L. III. Ep. 20. *quidam ad nos quoque, velut riui ex illo benignissimo fonte, decurrunt.* — *Ad meos haustus,* ad me bibentem. Poetice dictum. Male vertunt: *zu meiner Tränke.* Haec vox enim notat locum, ad quem animalia ducuntur bibendi caussa. Melius Ramlerus: *zu meinem Munde.*

Repulsus ille veritatis viribus,
Ante hos sex menses male, ait, dixisti mihi.
Respondit Agnus: Equidem natus non eram.
Pater hercule tuus, inquit, maledixit mihi.

Vs. 10. Antea legebatur: *ante hos sex menses, ait, maledixisti mihi.* Sic Nevelet.. Sed quia *ait*, vt est in vulgata lectione, non potest e se monosyllabon, excogitauit Gudius Tmesin, qua vtitur Phaedrus L. I. F. XXVII. 8. et quae apud alios frequens est. Exempla congesserunt Hoogstratan. et Gud. Nonnulli ediderunt: *ante hos sex menses at maledixisti mihi;* mutato *ait*, quod est in MSS. Rem. et Pith. in *at*, cum versus *ait* respueret. Sic Lallemant. Brotier. Desbillon. alii. Meursius hunc versum sic restitui posse putabat: *ante hos sex menses maledixisti, ait, mihi*, quod recepit Vrsinus. Non male. Sed Marcilius ad Hor. I. Ep. 3. p. 119. Edit. Par. 1604. f. Phaedrum *τὸ ait* non exprimi, sed intelligi voluisse existimat.

Vs. 12. *Hercule.* Codices *hercle*; versus gratia *hercule* reposuit Rigaltius. Neveletus edidit: *pater hercle t. i. m. m.* Meursius sic restituere conabatur: *pater tuus, inquit, hercle maledixit mihi.* Sic dedit Vrsinus. At Bentlejus: *pater hercle tum tuus i. m. m.* Harius: *at pater hercle tuus.* Sine caussa vterque, vt docet Burm. Cf. V. L. ad L. III. F. XVII. 8.

Vs. 9. *Repulsus. Repellere* est rejicere; quae duo verba juncta vides ap. Plaut. Bacchid. IV. III. 19. *hinc eum ego dictis malis* — repuli, rejeci *hominem. Hartm.* De hoc verbo pluribus egit Burm. ad Ouid. Met. I. 759. Adde Gebh. III. Crep. 10. *Veritatis viribus.* Veritatem sua vi pollere affirmat Cic. pro Coel. C. 26. *o magna vis veritatis* cet. Hunc versum verte: *durch diese starke Wahrheit abgefertiget, abgewiesen.* Perperam vertunt *beschämt.* Vid. A. d. B. T. 49. p. 488.

Vs. 10. *Ante hos sex menses.* Latinissime de tempore proxime elapso, hoc sensu: *Es sind gerade sechs Monate.* Exempla suppeditabunt Schefferi et Burmanni Notae.

Vs. 11. Hoc argumentum inter probationes inexpugnabiles refert Quinctil. I. O. L. V. C. 10. p. m. 369. teste Burm. Magna autem vis atque simplicitas inest in hac agni responsione, quae si esset longior, vim amissura fuisset.

Vs. 12. *hercule.* Vid. ad L. III. V. 4. et III. XVII. 8.

Atque ita correptum lacerat, injustâ nece.
Haec propter illos scripta est homines fabula,
Qui fictis caussis innocentes opprimunt.

Vs. 13. Bentl. existimabat, male Latine dici *lacerat injusta nece*; legebat igitur, *mactat i. n.* Sed Harius notat, id aeque insolenter dici. Hic vero corrigit; *lacerans injuste necat*, quod superfluum videtur Burmanno. Nam quis dubitet, lupum lacerasse agnum, nec insecutam fuisse necem, nisi hoc adderetur?

Vs. 13. *Atque ita.* Phaedro familiaris et elegans locutio. Pulchre h. l. exprimit horrendum lupi impetum, qui, non exspectato responso, agnum corripit et lacerat. Bene *Gerike:* „Er spricht's, ergreift und tödtet es.“ Vid. L. I. F. XXII. 9. Lib. IV. F. IV. 9. *Lacerat, injusta nece.* Sic recte distinxit Schefferus, quia *lacerare nece* non satis Latinum putabat. In hac distinctione, judicante Burmanno, sensus egregius et proposito fabulae conueniens. *Lacerat* enim notat mortis genus, quo lupi solent grassari. Vid. e. g. Ovid. Ep. XI. 112. Deinde addit judicium suum poëta, quo hanc necem injustam pronuntiat. Cf. A. d B. T. 105. p. 258. Hanc tamen distinctionem non pauci sunt, qui negligant; ex antiquioribus Gronov. Hoogstratan. etiam Bipontini, Desbillon. Brotier. alii, qui videntur conjunctim posita verba satis Latina putasse. Etsi enim locutio *lacerare nece* exemplis non potest firmari, ideo tamen Burm. non putat damnandam ob L. II. F. VI. 17. et Ouid. Ep. XIV. 12. Cum etiam Cic. L. I. de Off. C 57. dicat, *scelere omni lacerarunt patriam,* conjiciebam olim, ad hanc analogiam dici posse, *lacerat injusta nece.*

Vs. 14. *Propter illos.* Compara L. IV. F. XXII. 3.

Vs. 15. *fictis caussis*, i. e. ob crimina ficta. *Caussae* enim hic sunt crimina, vt Graecis αἰτία. Cl. *Sattler. ohne allen Grund.* Gudius haec Tiberium respicere recte putabat, quem Suetonius et Seneca narrant fictis criminibus sub nomine justitiae, quos vellet, peremisse. Vid. Suet. Tib. LXI. XLIX.

Compara fabulam *Aesopi* CCXXX. Edit. Hauptm. CCXXXIII. apud Nevelet. in Mythol. Aesop. p. 274. Ernest. p. 171. *Ignatii*, vulgo *Gabriae* F. XXXV. in Nevel. Myth. Aesop. p. 374. Ed. Hauptm. p. 316. *Fontanii* Lib. I. F. 10. *Lictwehrii* L. IV. F. 13. Legitur apud *Romulum* Lib. I. F. 2. *Anonymum* Neveleti F. II. *Anonymum* Nilantii F. 3. Ceterum sunt Interpretes, qui lupum in hac fabula Sejani, agnum Phaedri speciem exhibere contendant. Equidem aliter sentio, quemadmodum intelligi potest e Commentariis de Vita Phaedri. Nam tum, cum scriberet Phaedrus hanc fabulam, nondum inciderat in calamitatem, cujus auctor erat Sejanus.

FABULA II.

RANAE REGEM PETENTES.

Athenae cum florerent aequis legibus,
Procax libertas ciuitatem miscuit,
Frenumque soluit pristinum licentia.

Vs. 3. *licentia.* Heinsius et Ouvering. mallent *licentiae.*

Vs. 1—3. Totius hujus loci, cujus vim et ornatum nota, sensus hic est: Cum leges valerent Athenis, quibus erat sancitum, vt omnes aequali essent conditione, et aequali jure continerentur: ciues, procaciter abutentes libertate, turbauerunt ciuitatem, et licentia praecipites acti pristinum illud frenum legum, quo continebantur olim, soluerunt, i. e. rejecerunt. De *aequis legibus* vid. Exc. III. *Florerent.* Bene; hoc verbum enim de rebus laetis et prosperis vsurpatur, vt notat Cl. Tzschuck. Hoc loco vigorem status publici exprimit, quo sensu Cic. rempublicam dixit *florentissimam* pro Rosc. Cap. XVIII. *Aequus* habet notionem aequalitatis. Hor. L. III. Od. I. 14. 15. quo loco *aequa lex* parem omnium infert conditionem, qua illustres cum obscuris, locupletes cum pauperibus necessitas premit moriendi. coll. L. I. Od. IV. 19. 20. L. II. Od. XVIII. 32—34. *Procax* proprie est petax. Vid. Serv. ad Virg. Aen. I. 530. coll. Scheff. Hinc Gerike: *habsüchtiger Freyheitssinn verwirrete den Staat.* Equidem mallem *ausgelassen, zügellos.* Cic. pro Flacc. C. 7. *Graecia concidit libertate immoderata et licentia. Miscuit* i. e. turbauit. Metaphorice. Promiscue enim vsurpant veteres *miscere* et *turbare* de seditiosis ac turbulentis molitionibus. V. Burmanni Syllog. Epp. T. IV. p. 426. Nep. Paus. I. 3. *plurima miscere coepit.* Laudat Scheff. Cic. de Leg. Agr. contra Rullum C. XXXIII. *homines inerant in vrbe, qui malis concionibus, turbulentis Senatus consultis, iniquis imperiis miscerent rempublicam. Frenum,* metaphora ducta ab equis, qui frenorum ope coërceri solent; intellige h. l. leges, quibus ciuitas moderanda erat. Cic. de Or. III. C. XLI. *exsultantem te reprimunt validae legum habenae.* Hartm. *Soluit*, vsitatius *laxat;* auget tamen hic licen-

Hinc conspiratis factionum partibus,
Arcem tyrannus occupat Pisistratus.

Vs. 4. *Hinc.* Heins. *hic.* Sic enim inuenerat in margine Cod. Pith. Hunc sequitur Bentlej. nec Gudio haec lectio displicet. Eleganter autem *hic* ponitur pro *tunc. Conspiratis factionum p.* Gronov. mallet: *hinc conspiratae factionis partibus.* Cf. Not. Scheff.

---

tiam. *Tzschuck. Licentia.* Cum Burmanno nominatiuo accipiendum, non ablatiuo, quod volunt nonnulli, vt Scheffer. et Cl. *Jakob.* Nam vt *procax libertas miscuit* ciuitatem; sic *licentia*, inde nata, *soluit frenum pristinum.* Simili modo dixit Hor. L. IV. Od. XV. 4. 9 — 11. *Tua Caesar aetas — ordinem rectum euaganti frena licentiae injecit*, qui locus Burmanno debetur. Sic Phaedrus saepius. Vid. e. g. L. I. Fab. XXIII. 7.

Vs. 4. 5. Illustrandae illorum temporum historiae inseruire potest Excurs. III. Dum igitur factionum partes, i. e. factiones (quod referendum ad singularia Phaedri) aduersus se inuicem conspirant, et vnaquaeque partes sibi adsociat, et firmare sua parat in perniciem alterius; quod maxime effecit Pisistratus eloquentia, blanditiis et liberalitate: eo tandem rerum ventum est, vt hic occuparet arcem. *Conspiratis* actiue, pro conspirantibus. Sic *juratus*, pro eo, qui jurauit; sic *conjurati.* Valer. Max. L. IV. C. I. 7. *vtraque parte perorata*, i. e. cum vtraque pars perorasset. Gudius *conspiratis partibus* explicat passiue, vt sint factiones in vnum conflatae. Vid. Ej. de hac voce disputationem. Cui assentiunt *Kohl.* Comment. crit. I. 15. p. 55. Cl. *Schirach.* in Clav. P. I. p. 72. Cl. *Schulze* (Anmerkk. p. 12.) V. 4. bene vertunt: *Partheyen gegen Partheyen rotten sich zusammen.* — *Occupat arcem*, quae dicta est Acropolis, seu Cecropia. Factum hoc Olymp. L. ann. I. Vid. *Meursii* Pisistr. c. 3. coll. Excurs. III. ad h. v. Quo facto occupauit tyrannidem. Nam *arcem occupare* metonymice etiam potest esse, firmare sibi dominationem in ciuitate libera; quia tyrannus, qui inuadebat rempublicam, ante omnia arcem occupabat. Sic cepit cum Gudio Prasch. *Pisistratus.* Clarus fuit tempore Seruii Tullii, Romanorum regis. Regnauit annos XXXIII. Justin. L. II. C. 8. coll, Gell. N. A. L. XVII. C. 21. Res gestas et

Cum tristem seruitutem flerent Attici,
Non quia crudelis ille; sed quoniam graue
Omne insuëtis onus, et coepissent queri:
Aesopus talem tum fabellam retulit.
Ranae, vagantes liberis paludibus,

Vs. 7. 8. Codd. MSS. *grauis omnino insueti sonus est.* Vid. Gud. Hinc vulgo legitur *omnino*; quod vel ad *graue*, vel ad *insuetis* trahit Gronov. Retinuit etiam cum Lallemanto Brotier. et adridet lectio cl. Langio, quem vide ad h. l. Sed recte emendauit Heinsius *omne*, quod Burmannus tuetur; quia non erat *omnino* et sine exceptione graue onus tyrannis Pisistrati, sed re ipsa leue per ejus clementiam et humanitatem; sed libertati adsuetis *omne* onus, etiam leue, videbatur graue.

---

virtutes Pisistrati laudant Cic. de Or. III. 34. Cl. *Meiners* Gesch. der Wissensch. T. II. p. 83. *Giellies* Gesch. v. Alt-Griechenl. T. II. p. 236. 237. et *Meursius* l. c. Cap. VI.

Vs. 6 — 8. *tristem.* Mirifice placet hoc Epitheton Phaedro. Vid. L. I. F. III. 11. L. II. F. VI. 17. Et alibi. *Attici*, quia non ad Athenienses solos pertinebat. Tzsch. *crudelis.* Hinc Solon Ep. ad Pisistratum ap. Diog. Laërt. p. 41. Ed. Meibom. καὶ σε φημὶ πάντων τυράννων εἶναι βέλτιστον. Simili modo Miltiades *tyrannus* appellatus est, sed justus. Nep. Milt. C. 8. Pisistratum, crudelitatis insimulatum, defendendum suscepit Meursius in Pisistr. C. VI. *insuëtis.* Metri caussa est quadrisyllabum, vt L. I. F. XI. 5. Prol. L. III. 14. quod jam olim notauit Heinsius. Non est haec generalis sententia, vt in Promythiis et Epimythiis poni solet, sed rei Atticae, vt tunc erat, viua descriptio et narratio. Nam *insuetis* capiendum de Atheniensibus solis, non de omnibus hominibus. Vid. Burmann. Recte igitur cl. Sattler. *weil sie ungewohnt der schweren Lasten waren. Coepissent.* Sollemnis maxime hujus verbi constructio cum infinito, qua frequentissime et eleganter vtitur Phaedrus ad circumscribendum illud, quod Grammatici appellant, perfectum historicum. Vid. L. I. F. III. 10. F. VIII. 5. et sic saepissime.

Vs. 10. *vagantes.* Nota colorem hujus verbi. *liberis paludibus.* More poëtarum; non enim paludes, sed ranae in iis erant liberae, i. e. sine rege. Sic dixit L. I. F. XII. 11. *saeui morsus canum*, pro, morsus

Clamore magno regem petiere a Joue,
Qui dissolutos mores vi compesceret.
Pater Deorum risit, atque illis dedit
Paruum tigillum, missum quod subito vadi

Vs. 11. Scioppius legi jubet, *petierunt Jouem*; quod viris doctis non videtur Latinum; sed tuetur Burmann. Latinitatem hujus formulae ad Ovid. Met. VII. 290. Neque tamen admittendam putat Scioppii lectionem, quia dubiam sententiam faceret, quasi ipsum Jouem voluissent sibi habere ranae. Vrsinus transposite, *petierunt regem a Joue.* Marcil. ad Hor. I. Ep. 3. p. 119. Ed. Par. 1604. F. *clamore magno regem a Joue petiuerunt.* Edit. Rigaltii II. *clamore magno regem petiere a Joue,* quod placuit plurimis. *Ab Joue* dederunt Lallemant. Brotier. Cuningh. Desbillon. Sic etiam volebat Heinsius.

Vs. 12. *Vi.* Cf. Excurs. ad h. v.

Vs. 14. *missum.* Rittershus. *immissum.* Male. cf. Rutg. *Ouwens* Noct. Hagan. p. 77. *Vadi.* Nevel. Rigalt. Ed. II. Cu-

---

canum saeuorum. Adde L. I. XXXI. 12. Alludit ad ciuitatem liberam Atheniensium. Nota delectum Epitheti *liberis,* quod Walchius intelligit de paludibus, ab aliis animalibus aquatilibus liberis; id quod repugnat et veritati et scopo fabulae. Totum hunc versum retinuit Romulus.

Vs. 11. Graecus: πρέσβεις ἔπεμψαν πρὸς τὸν Δία, βασιλέα αὐτοῖς παρασχεῖν.

Vs. 12. *mores dissolutos,* i. e. laxos, solutos; *zügellos.* Sattler. *Sittenlosigkeit.* Justin. L. III. C. III. *solutis antea moribus.* v. 3. dixit, frenum soluit licentia. *vi.* Bono sensu, pro potestate, auctoritate et imperio; *mit Nachdruck.* Vid. Scheff. et Burm. Liv. L. IX. C. 16. extr. *vis erat in eo viro* (Papirio) *imperii ingens*; er kommandirte mit grofsem Nachdruck. *compesceret.* coërceret. Eleganter hoc verbum respondet τῷ *frenum pristinum soluit* vs. 3. Equi enim freno compesci dicuntur. Tibull. L. IV. I. 91. *quis possit equum arcto freno compescere?*

Vs. 13. *risit,* videns scil. ranas impatientes esse libertatis. Nota imaginem Jouis, in qua inest mirifica venustas; quam compara cum Homeri Il. A. 526—528. et Hor. L. I. Od. II. 1. sqq. coll. L. III. F. XVII. 10.

Vs. 14. 15. *Paruum.* Sic L. I.

Motu sonoque terruit pauidum genus.

ningh. Vrsin. Lallem. Brot. Desbil. ediderunt *vadis*. Sic quoque Bentlej. nescio ex quo Codice, forsan Pith. laudans Hor. L. I. Od. II. 1. 2. Sed non opus est, vt *vadis* addatur τῷ *missum*, quia *missum* hic ponitur, vt L. V. F. VII. 23. et quia saepius fulmina et similia missa dicuntur, licet non addatur *terris*, vt recte monet Burm. In Cod. Rem. est *vadi*, quam scripturam res ipsa vindicat. Non enim *tigilli* motus significatur, quod immotum jacuit, (ἀκίνητον ἦν τὸ ξύλον) sed *vadi*. Cf. Heusinger.

Vs. 15. *Motu sonoque*. Meursius: *totum sonore*; Gebhard. Crep. L. III. C. 10. *motus sonore*; Heinsius: *vadi moti sonore*; Idem in Adversar. p. 726. legebat: *missum quod subito vadis Motu sonoro t. p. g.* Richterus in Animadvers. crit. p. 63. *missum quod subito leui motu sonoque*. Valde mihi arridet haec lectio, nec displicebat Hario. Anonymus enim Nilantii, qui fere verbo tenus, paucis tantum mutatis, hanc fabulam expressit, habet: *tigillum quod subito missum* leui *motu sonoque t. p. g.* Deinde *leuis* motus sonusque respondet τῷ *paruum tigillum*. Paruum enim tigillum leuem reddit sonum, etiamsi Jupiter sit, qui mittat. Commodum denique sensum habet haec lectio: etiamsi motus et sonus, inde ortus, leuis esset; pauidum tamen ranarum genus terrebat. Objicit quidem Burmannus, si *leuis* motus fuisset, non addi opus erat *sonoque*, quod idem sit

---

F. XV. 3. *parua fabella*. Fabro abundare videtur; sed non raro diminutio geminatur, addito nomine *paruus*. Vid. Voss. de Anal. L. II. p. 384. Ita apud Ter. And. II. II. 32. *minuti pisciculi*. Hirt. de B. A. C. 54. *paruulam casulam Caesar nactus*. Cf. Gud. Sic Graeci. Aristoph. Plut. I. II. μικρὸν ἀργυρίδιον. *missum quod subito*. Quod quia subito, s. opinione celerius demittebatur, motu sonoro aquae terruit pauidum genus, i. e. ranas. *Missum* est demissum, vt L. V. F. VII. 23. et L. I. F. XXIII. 3. de jactibus longis et validis; *subito* cum Hario et Ramlero capio tamquam adverbium. Alii, vt Gud. et Burm. *subito motu* conjunctim comprehendunt; parum interest, prius tamen magis placet; etsi Anon. Neveleti F. XXI. 4. habeat: *subitum* sensit in amne *sonum*. *Motu sonoque*, motu sonoro (*rauschende Bewegung*) per Hendiadyn. *Vadi*, paludis. v. V. L. *pavidum genus*. Apte et naturae ranarum congruenter. V. ad L. I. F. XI. 15.

Hoc mersum limo cum lateret diutius,

ac motu sonoro, sc. maximo, qui leuis esse non possit. Ego vero non video, quare τῷ *leui motu* non potuerit addi, *sonoque*; cum negari non possit, sonum etsi leuis esset, ortum esse motu. Neque opus est, motum sonorum explicare *maximum*; etsi probe sciam, de graue sonantibus saepe vsurpari. Nihilo vero secius in lectione Cod. Rem. adquiesco.

Vs. 16. Vulgo legitur: *Hoc mersum limo cum jaceret diutius.* Heinsius putans, lignum mergi non potuisse, legebat: *consparsum limo*, vel *obsparsum*, vel *obsessum limo.* Bentlejus: *immersae limo cum laterent diutius.* Comprehendere enim non poterat, quomodo lignum, aqua leuius, mergi potuerit, aut cur non semel mersum infra permanserit, aut cur e stagno caput protulerit tum rana. Quae Bentleji conjectura, quam sibi valde blandiri diffiteri nolebat Burmannus, firmatur Anonymo Nilantii, qui habet: *mersae limo cum laterent diutius*, *forte vna tacite profert amne caput.* Recte vidit Bentlejus; quem, si a paucis discesseris, sequuntur Bipontini, qui receperunt: *mersae laterent cum limo diutius*, addicente Cl. *Jakob.* Cuninghamus: *hae mersae l. c. laterent diutius.* Sed cum a vulgata lectione, quae Latina est et egregium habet sensum, non nisi vrgente necessitate putem esse recedendum; nihil enim in veteribus integrum maneret, si inualesceret illa emendandi licentia, recte

---

Vs. 16. *Hoc* refer ad *pavidum genus*, non, vt multi interpretes, ad *tigillum.* Sic jam olim recte Heusinger et Brotier. Ita etiam τὸ *hoc* explicat V. Cl. *van Bergen* in Obseruatt. Crit. C. XXIV. p. 54. qui mirari satis non potest, hoc a tot viris eruditis non esse obseruatum. — Ita vero solent loqui Latini scriptores. Fab. sq. vs. 10. dicit Phaedrus: *Male mulcatus Graculus redire coepit ad proprium genus*, et vs. 11. *a quo* (genere Graculorum) *tristem sustinuit notam*, pro, a quibus Graculis. Sed si dicere licet *genus, a quo*, etiam licet, *pavidum genus*; *hoc cum jaceret*, pro, *hae cum jacerent.* Vide erudite hac de re disputantem doctissimum *van Bergen* l. c. qui praeter alia laudat Phaedri L. II. F. V. 1. 4. *Est ardelionum quaedam Romae natio — Hanc* (pro Hos) *emendare, si tamen possum, volo*; item Nep. Milt. 1. *accidit, vt Athenienses colonos vellent mittere*, cujus generis (pro quorum) *cum magnus esset numerus.* Vides igitur, male referri *hoc* ad tigillum. Nam si li-

Forte vna tacite profert e stagno caput,

obseruante Brotierio: vulgatum retineo, ita tamen, vt leui mutatione *lateret*, verbum vtique aptius, reponam, pro *jaceret*, praeeunte Anonymo. Sic et olim conjecerat Heusinger. cf. Not. ad Vs. 16. Qui vero *hoc mersum* de tigillo intelligere vellet, *mergere* capere debet pro *eintauchen*, ita vt inferior tigilli pars leuiter limo immersa esset, superior emineret. Non enim ita immersum limo latuisse putandum est tigillum, vt non extra aquam conspici posset, quia exploratum mox insiliebant ranae. v. Burm. Sic cepit Langius. Ita Sattler. *Lang lag er eingetaucht im Schlamm*. Paullo aliter ad difficultates, a Bentlejo motas, respondet Cl. de *Schirach* in Clav. P. I. p. 223.

Vs. 17. *stagno*. Praschius mallet hic *limo* et v. 16. *stagno*. Perperam, vt jam olim Scheffer. notauit.

---

gnum mersum fuisset, non explorari potuisset a rana, caput e stagno proferente. Ligno autem de caelo misso ranis tantus injectus fuerat terror, vt pavidae in profunda paludis se abderent, nec progredi auderent. Quae interpretatio confirmatur iis, quae habentur in fabula graeca: ξύλον ἐις τὴν λίμνην καθῆκεν, καὶ ὁι βάτραχοι πρῶτον καταπλαγέντες τὸν ψόφον, ἐις τὰ βάθη τῆς λίμνης ἔδυσαν. Vid. V. L. *diutius*. Antepenultima corripitur, vt in *diuturnus*. V. Epil. III. 14. Confugit Wasius ad Synairesin, de Senar. p. 115. Sed v. Burm. Neque audiendus est Scioppius, qui Phaedrum inde arguit, leges metricas minus calluisse. Eamdem enim Syllabam Ter. corripit Heaut. IV. VII. 6. teste Desbillonio.

Vs. 17. *Forte*. Acute hanc vocem explicat Rutger. *Ouwens* V. Cl. Noct. Hagan. L. I. C. XII. p. 76. sq. Nam si *tacite* rana haec *protulit caput*, non videtur id *forte* fecisse, sed dedita opera, cum nescio quid suspicaretur ex longinqua quietis in stagno mora, inito antea prudenti consilio, ne, dum nouum explorare regem cupit, conspecta aliquod subiret periculum, vt timentes solent. Statuit igitur, in vocabulo *forte* non eam semper esse praecipuam vim, vt certum aliquem interuenisse significet casum, qui causam daret, vt aliquid fieret: sed saepe nihil aliud notare quam simpliciter, *factum est, vt*; *contigit, vt*; atque ita hic, cum pauidum genus mersum limo lateret diutius, contigit, vt vna de ranis siue ali-

Et, explorato rege, cunctas euocat.
Illae, timore posito, certatim adnatant,
Lignumque supra turba petulans insilit:

Vs. 20. *Lignum.* Gudius et Heinsius e conjectura *tignum*, quia paullo ante *tigillum* dixerat poëta. Sed Cod. Pith. et Rem. it. Romulus *lignum* habent; Graecus ξύλον. Nil igitur mutandum. *supra* MS. *super* Gud.

---

qua suspicione, siue etiam sola curiositate ducta, vt cognosceret, qualis esset nouus iste rex, tacite protulerit e stagno caput. Sic Hor. L. I. Ep. VII. 30. in quo loco τὸ *forte* explicandum est: factum est aliquando, vt nitedula, non casu quodam, sed frumenti comedendi auida, per rimam sese immiteret in cumeram. *Stagno*, i. e. aqua. V. 10. dixit *palus*; V. 14. *vadum*. Nota varietatem. Docet Burm. stagnum, aut lacum non plane limosum et coenosum concipiendum esse, cum nil aliud notet, nisi stantem aquam, quae profluenti et viuo flumini opponitur. Liv. L. I. C. 4. *effusus lenibus stagnis amnis*. Adnatant etiam ranae, (V. 19.) quod per limum non facile foret, sed per aquam, in superiori parte liquidam, factum credi debet. *profert caput.* Comparat Ausonii Epigr. III. 2. *Danubius laetum profero fonte caput*, Henr. *Bolt* in Silva Crit. Harlem. 1766. 8. p. 4. Vid. *Harlesii* Progr. Emendatt. et Conjectur. ad Stobaei Sentent. Adde Ovid. Met. L. VI. 372. Frustra sunt, qui in singulis hujus versus verbis elegantiam videant, vt *Ramlerus* l. c. Cl. *Jakob* ad h. l. Cl. *Schulze* Anmerkk. p. 16. Recte enim notat Censor eruditus in A. L. Z. ann. 1785. II. 281. *es ist weiter nichts besonders, als dass es die Ausdrücke sind, die jeder hier brauchen musste, der die Sache simpel und natürlich erzählen wollte.* Describit autem poëta timide explorantes regem.

Vs. 18. *euocat* e limo. Sic L. I. F. XI. 11. Male Romulus et Anonymus Nilant. *aduocat.*

Vs. 19. *posito*, deposito, vt supra Vs. 14. *missum. Pone metus* dixit Ovid. Met I. 736. *certatim.* Graphice. Bene Ramlerus: *dieser Ausdruck malt nicht allein die Bewegung, das Element, das Ziel, sondern auch den Lerm der Frösche.* Conf. L. V. F. I. 3.

Vs. 20. *Lignum*, per contemtum Vs. 14. dixit tigillum. *supra.* Particulas ponit loco alieno poësis. *turba petulans insilit.* Eleganter describit hoc

Quod cum inquinassent omni contumeliâ,
Alium rogantes regem misere ad Jouem;
Inutilis quoniam esset, qui fuerat datus.
Tum misit illis hydrum, qui dente aspero

Vs. 22. Bentlej. *alium* rogatum *r. m. a. J.* Sed vid. Notas. *misere.* Cuningham. *venere ad J.*

Vs. 23. *quoniam.* Heinsius more suo *quianam*, *quando*, vel *quod.*

---

et sq. versu proterue petulantes. Nota mobilem plebis characterem, quem praeclare pingit poëta. Antea *pauidum genus*; nunc, posito timore, *petulans turba*; mox rebus in duris et aduersis, *fugitant inertes, vocem praecludit metus.*

Vs. 21. *omni,* omnis generis. Cic. Verr. II. 17. *omnibus insidiis.* Cf. L. I. F. XXXI. 9. Male quidam explicant *omni contumelia*, contumeliosissime. *contumelia. Beschimpfung, Mifshandlung.* Non verborum modo, sed rerum. Huc enim maxime spectat verbo *inquinassent*, quasi diceret, conspuisse in id et concacasse. Vid. vs. 20. Atque ita voce hac vtuntur scriptores. Sen. III. de Ira 38. *Contumeliam tibi fecit aliquis. Numquid majorem, quam Diogeni, philosopho Stoico? cui de ira cum maxime disserenti adolescens proteruus inspuit. Inspuere* hic contumeliam appellat, et sic ap. Phaedrum ponitur. *Scheffer.* Vid. ad L. I. F. XXIX. 2.

Vs. 22. *Misere* ranae legatos, *rogantes*, qui rogarent *alium regem.* Pari modo Justin. L. XXXI. C. 7. *Antiochus legatos pacem petentes mittit.* Quae Burmanni interpretatio docet, non opus esse emendatione Bentleji. Quidam enim *rogantes* nominatiui casus capiunt, et *misere* absolute volunt positum esse; quod sic capi posse negabat Bentlejus. Nam si, *inquit,* ranae ipsae rogassent regem, quid opus erat, vt ad Jouem mitterent? Hinc emendabat. Vid. V. L. Explicat tamen *van Bergen* V. Cl. obs. crit. C. XXV. p. 55. τὸ *rogantes*, ranae, quae rogare decreuerant, misere legatos, rogantes. Vid. l. c. et Misc. Obseruatt. per Burmann. et d'Orvilium editas, Vol. III. T. I. p. 142. vbi Graecismum in *rogantes* esse demonstrat *Abresch.*

Vs. 24. *hydrum.* Hydrus est genus anguium, in aqua degentium. Plin. H. N. XXIX. 4. *in orbe terrarum pulcherrimum anguium genus est, quod in*

Corripere coepit singulas: frustra necem
Fugitant inertes: vocem praecludit metus.
Furtim igitur dant Mercurio mandata ad Iouem,

Vs. 26. *fugitant.* MS. *fugiant.* Gud. *inertes.* Mallet Gudius *inermes*, vt L. I. F. XXXI. 6. sed rectius hic *inertes*, quia ignauiam ranarum tangit. Vid. Burmann. *praecludit.* Heinsius *voce pracclusa metu.* Cuningham. *percludit*; conjectura vterque.

---

aqua viuit, hydri *vocantur, nullis serpentium inferiores veneno.* Apte autem dixit *hydrum*; hic enim maxime ranas appetit. Aelian. XII. 15. περὶ ζώων· Βάτραχος ὕδρον μισεῖ, καὶ δέδοικεν ἰσχυρῶς. Cf. J. C. Scaliger. in Aristot. H. A. L. II. C. 123. p. 243. Vide etiam, quos laudat Burm. Sunt, qui per hydrum Caligulam innui putent, vt Rigaltius, Gudius, Pagenstecherus, Tristanus, Vrsinus, alii; quae sententia displicet Scheffero, qui Phaedrum ad Caligulae tempora vixisse negat, nec Tiberium speciem tigilli, quale Phaedro memoratur, retulisse contendit. Sed lege, quae hac de re supra disputaui in vita Phaedri. Ibi enim, praeeunte Desbillonio, conjectura probabili ostendi, Phaedrum hac fabula Tiberii et turpem inertiam et crudelitatem notasse; adeo quidem, vt Freinshemius et Burmannus ad h. l. audiendi non sint. *dente aspero.* Instrumenti notatio illustrat, more poëtarum. *Tzschuck.* Plin. H. N. L. XI. C. 37. dentes serpentum dicit *serratos.* Hinc eleganter h. l. *dente aspero.* Gerike *mit scharfem Zahn.*

Vs. 25. *Corripere.* Proprie de serpentibus vsurpari, docet Gud. Vid. Ovid. Met. XII. 17. *coepit.* Vid. supra ad v. 8. *singulas.* Non omnes, vt Rittershusius explicat, sed vnam post alteram, vt L. I. F. VIII. 5 6. et XXXI. 11. Cf. Faber et Burmann. Hactenus fabula graeca. Cetera Phaedri sunt.

Vs. 26. *inertes*; inualidae, imbelles, quae non audent resistere regi, *feig, muthlos.* Sic Virg. Aen. L. XI. 732. *vocem praecludit metus.* Laudant Interpretes Virg. III. Aen. 48. *vox faucibus haeret.* Sen. Oed. 736. *continet vocem timor.* Ter. *lingua haeret metu.* Plaut. Cas. III. V. 25 et 59. *timor praepedit verba*, quarum phrasium, in timore et stupore sollemnium, varietatem et elegantiam nota. Adde L. I. F. XXIII. 5.

Vs. 27. *Furtim dant mandata.* Quaerit h. l. Cl. Tzschuck. „si vocem praecludebat metus, qui mandata dare possunt? *furtim*

Adflictis vt succurrat. Tunc contra Deus:
Quia noluistis vestrum ferre, inquit, bonum;
Malum perferte. Vos quoque, o ciues, ait,

Vs. 30. *O ciues.* Sic legit cum Rittersh. et V. C. Heinsius. Alii omittunt τὸ *o*. Marcil. l. c. melius legi censet: *vos etiam, ciues, ait.*

---

igitur i. e. *submissa voce* modum statuit." Sed dubito an *furtim* hoc sensu capi possit. Neque etiam sic nodus soluitur. Quodsi enim metus praecludebat vocem, neque clara, neque submissa voce loqui poterant ranae. *Furtim* igitur explicandum clam. Inter a enim Hydrus aliam post al..an deuorare studet, recte quaedam clam Mercurio dare possunt mandata. *Mandata*; non semper ad superiorem, seu imperantem refertur; sed est etiam aequalis, vel inferioris adeo. Hodie vulgo *Commissionem* appellant, *Aufträge.* Vid. Gesneri Thes. L. L. v. *mandatum* et infra L. IV. XVII. 20. *Mercurio*, vtpote cui, Deorum nuntio, nullo non tempore ad Iouem pateret aditus.

Vs. 29. 30. *Bonum* cum multis Interpretibus capio neutraliter et absolute, pro re bona. *Weil ihr euch in euer Glück (da ihr einen guten König hattet) nicht habt finden können.* Vsurpatur enim illud *ferre* in respectu ad curam, studium, laborem, quae requiruntur, vt rebus secundis et vtilibus recte vtamur. Vid. Scheffer. Sic dicunt aequo animo, pulchre, moderate, ferre fortunam secundam. Vt autem hic dixit Phaedrus *vestrum bonum ferre*, eodem modo Ter. Andr. V. IV. 18. aequo animo *malum suum ferre.* Virg. I. G. II. 458. *sua si bona norint.* Cf. Fabri et Gud. Notae. *malum.* Nonnulli ad principem referunt. Sic Rigalt. Albinus, Hoogstrat. Sed itidem absolute et neutraliter capiendum, id quod docet vs. 31. *perferte*, grauius est quam *ferre.* Est enim aequo animo et constanter ferre. Cic. pro Rosc. Am. IV. 10. „Plus oneris *sustuli*, quam *ferre* me posse intelligo. Hoc onus, si vos aliqua ex parte alleuabitis, *feram*, vt potero, studio et industria, judices. Sin a vobis, id quod non spero, deserar, tamen animo non deficiam, et id quod suscepi, quoad potero, *perferam.*" Sic laudat Burm. Sen. Thyest. A. II. v. 307. *leue est, miserias ferre, perferre graue.* Cl. *Tzsch.* vult, *perferte* in poena poni. Sed Cl. *Schirach*

Hoc sustinete, majus ne veniat, malum.

Vs. 31. *veniat.* Hoogstrat. *eueniat.* Sic emendauerat Heinsius; sed idem ad Ouid. Ep. IV. 113. docuit, *venire* etiam mala, poenas et similia eleganter dici, teste Burm. Nulla ergo mutandi ratio.

---

in Clav. P. I. sub *fero*: illud noluistis ferre, hoc oportet ferre, *ait*, Aesopus.

Vs. 31. *Hoc sc.* malum: intellige tyrannidem Pisistrati. *sustinete.* Vid. ad L. IV. F. XX. 4 *veniat*, eueniat, vt ap. Ter. Eun. *id gaudeo, propter me hisce aliquid esse venturum malum*; qui locus debetur Cl. Hartmanno.

Hanc fabulam compara cum *Aesopi* F. 170. in Mythol. Aesop. Nevelet. p. 227. coll. F. 167. Edit. Hauptm. p. 125 sq. et *Anonymi Neveleti* F. XXI. Eam quoque narrat *Serv.* ad Virg. G. I. 378 quae tamen Serviana esse, vix putat Rigalt. Vid. et *Camerarii* Fab. de Ranis et Joue. *Fontanii* L. III. F. 4. et *Lessingii* L. II. F. 13. Adde Exc. III. Sub finem. et *Romuli* L. II F. I.

FABULA III.

GRACULUS SUPERBUS ET PAUO.

Ne gloriari libeat alienis bonis,
Suoque potius habitu vitam degere,
Aesopus nobis hoc exemplum prodidit.
Tumens inani Graculus superbiâ,

Vs. 2. *Suoque.* Meursius, emendabat: *suo quin*, quem sequuntur Bentlejus et Cuninghamus; nec sine ratione. Habet enim Anonymus Nilantii F. XXVI. *ne libeat gloriari quemquam bonis alienis, suis* quin potius *viuere malle.* Sed hac emendatione non erat opus, quia post negatiuam particulam *ne*, *nec*, vel *non* passim sequitur *et*, s. *que*; id quod probauit Burm. ad Ovid. III. Met. 492. Vide etiam Notas nostras ad h. v.

Vs. 1. *Libeat.* Absolute, vt Virg. G. L. III. 436. et Aen. L. IX. 514. vbi tamen nonnulli Codd. habent *juuat*, pro *libet.* Vid. Cel. Heyne ad loc. Aen. cit. Adde Prol. II. 9. et quae Burmann. de hoc verbo notat.

Vs. 2. *Habitu suo* (secundum habitum suum) *vitam degere* est, rationibus suis viuere conuenienter, intra fortunam suam manere, seu, vt Hor. L. I. Ep. VII. 98. metiri se suo modulo. Dicitur autem *habitus* h. l. non solum in respectu ad ornatum et vestitum, sed notat generatim statum, conditionem, seu quicquid vel a natura, vel fortuna cultus ornamentique possidemus, vt recte explicant interpretes; *Umstände, Lage, Stand.* Cf. L. IV. F. XV. 8. et Barth. Adv. L. XLVII. 10. *suoque potius.* Rarius post *ne* inuenias *et*, vel *que.* Ita tamen et Nep. Eum. VII. 2. *suasit, ne se moueret* et *exspectaret:* dicendum erat *sed.* Ibid. n. 3. *ne pateretur — ferretque opem.* Heusinger. *Habitu*, ante *bonis*, ad variationem et apte simul ad sequentia de pennis assumtis. *Tzsch.* Cl. Sattler: *Daſs man sich fremder Güter ja nicht rühme, und lieber seinem Stande bleibe treu.*

Vs. 3. *Exemplum*, hanc fabulam. Sic L. IV. F. III. 6. *prodidit*, absolute, vt Cic. Tusc. I. 13. *quae scriptores prodiderunt.* Vid. ad Prol. II. 1.

Vs. 4. *Tumens. sich blähend, aufgeblasen.* Elegans metaphora de superbia. *inani.* Epitheti de-

Pennas, Pauoni quae deciderant, sustulit,
Seque exornauit: deinde contemnens suos
Formoso se Pauonum immiscuit gregi.

Vs. 5. 6. *Pauoni.* Anonymus Nilantii *pauonum quae deciderant*; Vincent. *pennas pauonum quae ceciderant*; sed quia hoc sequitur, et Romulus habet *sumens pauonis pennas, quae ceciderant*, rectius retinetur *pauoni.*

Vs. 6. Anonymus: *seque exinde ornauit*, vnde Burm. conjici posse putat, Phaedrum scripsisse, *seque inde ornauit*; cui lectioni fauet Vincentius, qui habet, *et inde se ornauit*, vt *inde* ponatur pro pronomine. Mallet tamen Burm. hic legere *seque exornauit: inde contemnens suos*, vt *inde* sit *deinde;* vel *ideo*, quia jam ornatus melior et major sibi videbatur et suos contemnebat. Grunerus in Spicil Obseruatt. ad Phaedrum p. 9. *seque exornauit: exin* (ex illo tempore) *c. s.* Bipontini: *seque exornauit: dein c. s.*

Vs. 7. Scripti libri: *immiscuit se formoso pauonum gregi.* Tum vero *immiscuit* debet esse trisyllabon. Hanc lectionem tuentur Rigalt. in Edit. 2. Nevel. Faber, Wasius de Senar. p. 125. Barth. Adv. L. XLVII. C. X. Heinsius, Harius, Desbillon. al. *se immiscuit pauonum* f. g. Marcil. ad Hor. I. Ep. 3. p. 119. *immiscet se f. p. g.* Sic Bentlej. et Cuninghamus. Brotier. et Lallemant. *immiscet se p. f. g.* Buchnerus et Rittershus. *immiscuit* retinent, sed τὸ *se* censent delendum, e. V. 6. repetendum, quod recte durum videtur Cl. Tzschuckio. Wakfield ad Lucret. III. 501. pronomen *se* vult elidi et locum sic legi: *immiscuit pavonum formoso gregi*, vt *immiscuit* ponatur pro *im-*

---

lectum nota: *nichts dahinter.* Sic bene Cl. Tzschuck. Hunc versum integrum retinuit Anonymus Nilantii.

Vs. 6. *suos*, sui generis aues. Mox *proprium genus.* v. Vs. 10. Est autem Graculus de cornicum genere, nigro colore. Martial. I. Ep. 116. Gallis dicitur *le Choucas.* Vid. *Buffon* Hist. nat. des Oiseaux T. III. p. 115. coll. T. III. p. 146. Edit. Par. 1774. F. Permulti sunt, qui putent graculum esse Picam glandariam, *le Geai*, decepti auctoritate Fontanii, qui inscripsit hanc fabulam, *le Geai paré des plumes du Paon.* Cf. Brotier. et Desbillon. ad h. l.

Vs. 7. *gregi.* Hac voce etiam Hor. L. I. Ep. III. 18. sq. de auibus vsus est. Vid. ad v. 8.

Illi impudenti pennas eripiunt aui,
Fugantque rostris. Male mulcatus Graculus
Redire moerens coepit ad proprium genus:

miscuit se, cujusmodi intransitiuis Lucretius saepe vsus sit, et Virg. Aen. IX 372. Scioppius et Schefferus metri caussa *pauûm* substituunt, pro, *pauonum*. Frustra. Burmanno placet: *se miscuit pauonum f. g.* Non male. Romulus enim et ex hoc Vincent. *miscuit se gregi pauonum*, et Hor. I. Od. 1. *me hederae Dîs miscent superis;* Anonymus autem Nil. *miscuit se Pauonum formoso gregi.* Quam dedimus lectionem Gudius fecit, addicente Burmanno. Sic enim non tantum numerus constat, sed auribus etiam rotunda suauitate gratior est.

Vs. 9. *Fugantque.* Heins *figuntque* curis secundis ad Ouid. II. Amor. V. 24. atque ita Marcil. ad Hor. d. l. jam correxerat; sed non probat Burm. Agitur enim de sedibus nouis, in quas graculus, suis desertis, irrepere volebat; primo igitur eripiunt pennas, et tunc nudum fugant. Vid. etiam Burm. Syll. Epp. T. V. p. 83. *mulcatus.* Sic optime Cod. Rem. Alii, vt Vrsin. Scheff. Nevel. Lallemant. Anon. Nilant. Didot. in Edit. stereotypa, Brotier. *multatus*, quod frustra defendit Tollius.

Vs. 8. *Illi*, Pauones. Alii male referunt ad graculam leguntque in fine versus *aues.* Tetigit haec Hor. L. I. Ep. III. 19. 20. *Ne, si forte suas repetitum venerit olim Grex auium plumas, moueat cornicula risum, furtiuis nudata coloribus.*

Vs. 9. 10. *mulcatus.* Elegans et antiquum verbum, pro verberare, percutere, plagis afficere. Sattler. *die übel weggekommne Krähe.* Schulze: *gemifshandelt, zerhackt und gerupft.* Vid. de hoc verbo Gronov. ad Liv. L. XXVIII. 30. et Graev. ad Sueton. Caes. XVII. p. 558. quos citat Burm. Cf. quoque Tollius in Not. ad Auson. Idyll. VI. vs. 90. vbi defendit *mulcatus*, quod deinde in Not. ad Phaedr. rejiciebat, tuens *multatus*, quod explicat, male tractatus. Redditum est Suetonio *Caes.* XVII. a Torrentio; a Victorio Ciceroni; Valerio Maximo I. IV. 6. a Burmanno. Dixit Liv. L. III. C. XI. *qui obius fuerat mulcatus nudatus—que abibat.* Ter. Eun. IV. VII. 4 *male mulcabo ipsam.* Etiam Vellej. L. II. C. 70. habet *male mulcatus.* Adde Gudii et Desbillonii Not. *coepit.* Vid. ad L. I. F. II. 8. *genus.* Vid. ad vs. 6. et L. I. F. XXX. 7.

A quo repulsus tristem sustinuit notam.
Tum quidam ex illis, quos prius despexerat:
Contentus nostris si fuisses sedibus,

Vs. 11. *repulsus.* Tollius: *repulsae tristem s. n.* i. e. ignominiam repulsae; quod receperunt Hoogstratan. et Lallemant. probante Schulzio. Cuninghamus: *repulsae tristis s. n.* Sed his non accedendum. Nam Codd. MSS. Rem. et Pith. Vett. Editt. nec non Anonymus Nilant. habent *repulsus*, atque etiam *nota* absolute potest poni, quod ex Prop. L. I. XVIII. 8. Ouid. II. Trist. 466. aliisque locis probat Burmannus.

Vs. 13. *sedibus.* Heinsio *coetibus*, vel *dotibus*; Neveleto *vestibus* placet. Romulus enim Vlm. *si has vestes, quas natura dedit, amasses;* etiam Romulus Divion. et Vincent. *vestes tuas amasses.* Sed nil mutandum. Codd. enim MSS. Rem. et Pith. item Anon. Nil. habent *sedibus*, quae lectio est sana et elegans. Natura enim vnicuique animalium generi sedes, stationes et receptacula dedit. Laudat Burm. Hor. I. Od. II. 9. 10. *nota quae sedes fuerat columbis.* Senec. Herc. Oet. 1632. *sedibus pul-*

Vs. 11. *tristem*, grauem, duram, vt L. I. F. II. 6. *tristis seruitus, sustinuit*, pati coactus fuit. *Scheff.* Varie vtitur Phaedrus hoc verbo; sed locutio *sustinere notam* insolentior videtur Burmanno, qui putat hic poni, vt *sustinere caussam, crimen*, quod Graeci αἰτίαν ὑπέχειν dicunt, et quod Prop. L. I. XVIII. 8. *notam habere* dixit; Phaedrus magis ad forensem Graecorum morem *sustinere.* Lege Not. Burm. *notam.* Absolute intellige turpitudinis et infamiae. Eripuerant enim pennas et nudum fugauerant; deinde repulsus a suis, ad quos redire coeperat, alteram sustinet notam. Tractum videtur a stigmasi, s. notis, quibus frontes facinorosorum compungebantur. Cic. pro Rabir. XXIV. 9. *turpitudinis notis omnibus insignis homo.* Sic *inurere notam turpitudinis.* Cic. Cat. I. 6. Alii hanc loquendi formam ducunt a nota Censoria. Hunc v. vertere possis: *hier wurde sie abgewiesen, und mußte sich mancherley kränkende Beschimpfungen gefallen lassen.*

Vs. 12. Omissio verbi *inquit* apud Phaedrum frequens est. Vid. e. c. L. IV. F. X. 10. Et sic saepe.

Vs. 13. *sedibus.* Vid. V. L. Totum hunc versum verbo tenus expressit Anon. Nil.

Et, quod natura dederat, voluisses pati,
Nec illam expertus esses contumeliam,
Nec hanc repulsam tua sentiret calamitas.

sae suis volucres. Sic Phaedrus L. IV. F. XXIII. 20. formicae receptaculum vocat *copiosam domum*, et L. II. F. VI. 5. testudinis *corneam domum.* Ita L. I. F. XXX. 7. *statio.* Plura de hac re dabunt Notae Burmanni. Cf. etiam Gud.

Vs. 14. *voluisses.* Heinsius *potuisses*, quod non probat Burmann. Superbiae enim voluntariae dat poenas graculus. Habet etiam Anonymus Nilant. *voluisses pati.*

Vs. 14. *voluisses pati*, i. e. contentus fuisses. Verbum *pati* interiori Latinitati idem sonare, quod contentum esse, contendit Barth. Adv. L. XLVII. C. X. Laudant interpretes Plaut. Asin. II. II. 58. *fortiter malum qui patitur, idem post patitur bonum.* Huc etiam referri potest locus Cicer. ad Planc. 2. in Ep. ad Att. XVI. post 16. *id tu nos obtinuisse facile patiare.* Recte Schefferus: „*pati* admodum accommodatum huic loco propter comparationem munerum, quae natura habent alii majora, alii minora. Nam isto respectu qui minora acceperunt optime dicuntur ea pati, cum iis sunt contenti, et majora non affectant."

Vs. 16. *repulsam sentiret.* Ad singularia Phaedri refer. *tua calamitas.* Pertinet ad idiotismos nostri, qui saepissime ponit abstractum loco concreti; quod semel notandum. *Tua calamitas* pro, tu jam calamitosus non sentires repulsam. Aetatis aureae scriptores ab ejusmodi loquendi formulis non plane abhorruerunt. Laudat Desbillon. Hor. Epod. I. 31. *Satis superque me benignitas tua ditauit.* Ej. L. I. Ep. XII. 20. *Empedocles, an Stertinii deliret acumen.* Et ap. Varr. de L. L. III. sic Ennius: *Olli respondet suauis sonus Egeriaï*, vbi vox Egeriae pro ipsa Egeria ponitur. Cf. quae notantur ad L. II. F. V. 23. Vs. 16. verte: *Wir hätten dich in deinem Unglück nicht verstoſsen.* Ceterum nota concinnitatem periodi Vs. 13—16.

De iis, qui eamdem narrant fabulam, vide Excursum IV. ad hanc fabulam.

FABULA IV.

CANIS PER FLUUIUM CARNEM FERENS.

Amittit merito proprium, qui alienum appetit.
Canis per flumen, carnem dum ferret, natans,
Lympharum in speculo vidit simulacrum suum:

Vs. 2. *dum.* Scheffer. recte conjicit, *cum*, quod habet Anonymus et placet Burmanno; praefert etiam in hoc nexu Cl. Tzschuckius. Vid. V. L. ad L. I. XV. 10. et ad III. X. 13.

Vs. 3. *Lympharum.* Anon. Nil. *Nympharum speculo,* omisso *in*; permutatione sollemni.

Vs. 1. *appetit.* Cannegieterus bene explicabat *super*, vel *praeter ea, quae jam tenet, petit*, teste Ant. *de Rooy* in Conjectur. Crit. p. 52. qui et apud Nep. in *Paus.* C. II. eamdem significationem locum habere putat. Vid. Cl. *Harlesii* Progr. Emendatt. et Conjectur. ad Stobaei Sententias, quod exstat in Ej. Opusc. var. argumenti p. 192.

Vs. 2. *natans.* Hoc displicet *Lessingio* l. c. p. 235. nec sine ratione. Nam canis, natans per flumen, ita turbabat aquam, vt neutiquam videre posset simulacrum suum; quia aqua speculi instar non est, nisi sit quiescens et pellucida. Deinde canis nando sequi poterat carnem. Sic enim facile potiri poterat cibo dimisso. Contra in graeca fabula melius haec exprimuntur: Κύων κρέας ἔχουσα ποταμὸν διέβαινε, quae Lessingius vertit: *er gieng über den Fluſs.* Putat enim male reddi ab interpretibus, *nando trajiciebat flumen.* Vidisse hoc videtur Romulus Divion. qui habet *flumen transiens.* Aphthonius, eamdem narrans fabulam: κρέας ἁρπάσας τὶς κύων παρ' αὐτὴν διῄει τὴν ὄχθην τινὸς ποταμοῦ, *er gieng an, neben dem Ufer eines Fluſses.* Sic igitur videre poterat simulacrum suum. Simili modo narrat Ignatius: Φέρων ποταμοῦ πλησίον κύων κρέας, κύψας ἑαυτὸν ἄλλον εἰς ὕδωρ βλέπει. Non tamen desunt, qui jungant: Canis, per flumen (*über den Fluſs*, vt *per forum redire* III. XIX. 6.) carnem dum ferret, natans i. sp. v. s. s. *er sah im Wasserspiegel sein Bild schwimmen.*

Vs. 3. Eleganter. *Lympharum* est vox poëtarum. L. I. F. XII.

Aliamque praedam ab alio ferri putans,
Eripere voluit: verum decepta auiditas,
Et, quem tenebat ore, dimisit cibum,

Vs. 4. Quia in hoc versu syllaba deficit, versioni laboranti conjectura alius alia subuenit. Marcil. ad Hor. I. Ep. III. p. 119. *deferri putans*; ita edidit *Philippus*. Danetus, secutus Editionem Meursii, *perferri putans*. Sic et Vrsin. et Laurentius, nec non Didot. in Edit. stereotypa. Bentlejus, *aliamque praedam ab alio cane ferri putans*, probante Hario. Cuninghamus: *aliamque praedam ab altero ferri putans*; cui lectioni, quae recipi posset, et quae placet *Philippo*, in Del. Var. Lectt. p. 37. fauet Anonymus, apud quem legitur: *alteramque praedam ab altero ferri putans*; nec displicet Tzschuckio. Heinsius: *a. p. a. alio se f. p.* id est, ab alio ac ipse erat; vel ab alio ac se; Gudius *offerri*; Bipontini cum Marcilio, *deferri putans*. Cl. Schulze *ferrier putans*. Plurimi conlugiunt ad *m.* non elidendum, vt Wasius in *Senar.* p. 63. Barth. Adv. L. XLVII. C. 10. Burmann. Desbillonius, al. Quae littera quia saepius a Phaedro aliisque poëtis non eliditur, recte retinetur vulgatum. Cf. Burmann.

Vs. 6. *dimisit*. Sic MSS. Pith. Rem. Anon. Nilantii et Romulus Vlm. Sic Editt. Vett. Merito igitur reposui. Habent etiam Editt. Bentl. Brotier. Bipontinor. Desbillonii. Burmannus post Vrsin. et Scheffer. *demisit*, quod est, deorsum mittere.

---

4. dixit, *in liquore vidit effigiem suam*. Laudant Interpretes Virg. Ecl. II. 25. et Nemes. Ecl. II. 74. *quin etiam fontis speculo me mane notaui*, ad quem locum v. Edit. Poët. minor. Burmann. T. I. p. 500. Sic Calpurn. Ecl. II. 88. sq. *Fontibus in liquidis quoties me conspicor ipse, Admiror toties* cet.

Vs. 4. *Aliamque*. Vid. ad L. I. F. XIX. 3.

Vs. 5. *Eripere voluit* illi alii cani praedam. *auiditas*. Vide ad L. I. F. III. 16. *der Gierige betrog sich.*

Vs. 6. 7. *Et quem — nec quem*. Non raro jungi affirmatiuam cum negatiua particula, jam olim notauit Rittershus. Exempla e Cicerone dabit Santoroc. *dimisit*, de re, quam tenemus, et elabi sinimus, vt L. V. F. X. 6. *praedam dimisit*. Vid. Burm. *nec adeo*. Praeclare Burmannus ostendit elegantissimum particulae *adeo* vsum, cujus vis est, canem non tan-

Nec, quem petebat, adeo potuit attingere.

Vs. 7. Varia tentant viri docti, quia versui metri ratio non constat, nisi vel *adeo*, vel *potuit* dissyllabum sit. Barthius Adv. XLVII. C. 10. *potuit*; Hoogstratan. *adeo* in duas syllabas contrahunt. Rigalt. in Edit. 2. et Vrsinus, quos sequuntur Bentlej. Cuningham. Brotier. Desbillon. transponunt *potuit adeo:* alii legunt *tangere*, quod legitur apud Anonymum Nilantii: recte igitur placet Cl. Tzschuckio. Freinshem. *nec quem petebat eo potuit attingere*, vt *eo* referatur ad *ore*. Gruner. l. c. p. 10. conjicit: *nec quem petebat potuit ideo attingere*. Cf. L. II. F. VIII. 11. Sed judicante Burmanno, cui obsecuti sunt Bipontini, locus relinquendus, vt in scriptis et editis adhuc lectus est. Praestat enim exhiberi corruptum, quam incertis conjecturis interpolatum. Censor doctus tamen in Ephem. litter. Gothan. ann. 1799. Partic. 62. p. 535. legi jubet, vel, *potuit adeo a.* vel, *adeo a. p.*

---

tum cibum, quem tenebat ore, non obtinuisse; sed et multo minus aliam praedam potuisse attingere. Laudat vero, praeter alia, locum Tac. A. L. VI. C. 15. *ne tecta quidem vrbis, adeo publicum consilium numquam adiit.* Haec igitur tam eleganter vsurpata particula satis ostendit, quam verae genuinaeque Latinitatis sciens fuerit Phaedrus. Alii, vt Desbillon. explicant etiam; melius Faber et Cl. *Gail, avec tout cela*; sed cl. *Lange* Prolegg. ad Phaedr. p. 19. tuetur significationem τοῦ *nec adeo*, pro *nec ideo*, laudans Ter. Andr. V. VI. 13. et Drakenb. ad Sil. VIII. 550. Sed exempla, a Drakenborchio memorata, probant tantummodo, vocem *adeo* in sermone ligato eleganter παρέλκειν, praecipue apud Silium. Locum vero Phaedri, quem Drakenb. laudat, interpungit: *Nec quem petebat adeo, potuit attingere.*

Compara Fab. *Aesopi* CCXIII. in Nevel. Mythol. Aesop. p. 259. quae est F. CCX. in Editt. Hauptmann. et Ernest. *Anonymi Nil.* F. VII. *Aphthonii* F. XXXV. in Mythol. Aesop. p. 349. in Edit. Hauptm. p. 163. *Ignatii* F. XXXII. in Mythol. Aesop. p. 372. Eamdem fabulam habes apud *Theon.* Sophist. *Romulum* L. I. F. V. *Anonymum* Neveleti F. V. *Fontanium* L. VI. 17.

FABULA V.

VACCA ET CAPELLA, OUIS ET LEO. *)

Nunquam est fidelis cum potente societas:
Testatur haec fabella propositum meum.
Vacca et Capella, et patiens Ouis injuriae,
Socii, fuere cum Leone in saltibus.

Vs. 1. *nunquam.* Heins. *nusquam. potente.* Fr. *Hare potenti*, ne tot syllabae breues concurrant. Sed vide Burmann. cui *potente* blandius ad aures accidit, quam *potenti.*

Vs. 2. *Testatur.* Heins. *testetur*, e conjectura.

Vs. 4. *Socii.* Heinsius legit: *sociati iere, vel, iuere;* citra necessitatem. Bipontini interpungunt: *Socii fuere cum leone. In*

*) Carpit Lessingius, vt solet, poëtam l. c. p. 237. nec immerito. *Die Kuh*, inquit, *die Ziege, das Schaaf, der Löwe, welch eine Gesellschaft! Und wie war es möglich, daſs sich diese vier zu Einem Zweck vereinigen konnten. Und noch gar zur Jagd.* Idem statuit Cl. *Gail.* Ista nempe animalia non solum feras capere dicuntur, sed leo iis etiam praedae partem apponit. Vtrumque contra illorum animalium naturam dicitur. Vid. Cl. *Ernesti* Diss. de Fabula Aesopia Edit. Aesopi praefix. p. 28.

Vs. 1. Avianus F. XI. 15. *Pauperior caueat sese sociare potenti.*

Vs. 2. *propositum*, enuntiationem, sententiam, cujus veritas vt eluceat, fabulam scripsi.

Vs. 3. Easdem personas introduxit Anonymus Nilantii; vid. Ej. F. IX. at Gabrias Leonem, Gruem et Vulpem. Graeca fabula aptius ficta; inducuntur enim Leo et Asinus sylvester, (ὄναγρος) quem cum praedam sylvestrem appetere, tum carnibus vesci constat. Vid. Aesopi F. 226. Edit. Hauptm. et F. 229. ap. Nevelet. p. 271. *patiens injuriae.* Cf. Voss. de Art. Gramm. L. VII. C. 9. Sattler: *das Schaaf, die Dulderinn.*

Vs. 4. *Socii.* Iuerant cum leone venatum, cum antea inter ipsos conuenisset de praeda,

Hi cum cepissent ceruum vasti corporis,
Sic est locutus, partibus factis, Leo:

saltibus Hi cum cepissent c. v. c. Vincent. Bellov. *fuerunt* sociae *simul cum leone.* At in Romulo, quem exscripsit, est *socii.*

Vs. 5. *Hi.* Meursius: *qui cum cepissent*, vel, *ibi c. c.* Conjiciebat quoque *hic cum*, vt *hic* referatur ad *saltibus;* quod propter asperiorem illam litterae c geminationem non admittit Burmannus, nisi legatur *hic quum. Qui cum* non displicet, et est elegantius. Sed in MSS. Rem. Pith. nec non Anon. Nil. et Ed. vet. est *hi cum.* Nil igitur muta.

---

in partes aequales diuidenda. *Sie jagten mit dem Löwen in Compagnie.* Hinc *partibus factis* v. 6. Socii enim dicuntur, qui communi consilio, lucro, damno rem aliquam adgrediuntur. Locum classicum de Sociis habes ap. Cic. p. 16. Rosc. Am. C. 40. sq. Sic publicani, qui vectigalia publica redimebant, ejusdem societatis, peculiari et sollemni quadam ratione dicuntur *socii*, vt saepe leges apud Ciceronem. Vid. Gesner. in Th. L. L. h. voc. et Cic. Brut. C. 85. Sic *socius rei pecuniariae* ap. eumdem, pro Rosc. Am. C. 40. Nonnullos offendit oratio: Vacca et Capella et Ouis *socii* fuere. Hinc monet cl. *Rutger. Ouwens*, verba *cum leone* non temere conjungenda esse cum *fuere*, aut *Socii fuere*; sed cum *vacca et capella et ovis cum leone*, pro, *et leo.* Nam si alia mens fuisset Phaedro, dixisse debuerat *sociae.* v. Ej. Noct. Hagan. L. I. C. 12. p. 76. Sed eodem modo, teste Desbillonio, Terentius Heaut. II. II. 58. de ancillis puellae cujusdam loquens, eas vocat *internuntios.* Burmannus explicat τὸ *fuere in saltibus*, venere in saltus; τὸ *socii*, qui societatem inierant. *in saltibus.* De hac voce videndus Cl. Hartmann.

Vs. 5. *vasti corporis*, ingentis ac mirificae magnitudinis. Epitheton ornans. Virg. Aen. VIII. 295. *vastus leo.* Cic. de N. D. L. I. C. 35. *vastus elephantus*, Sic alii.

Vs. 6. *partibus factis*, ceruo pro numero Sociorum in quatuor partes, seu portiones, diuiso. Vid. L. II. F. I. 2. Laudat Burm. Gronov. Diatr. Stat. Silv. C. XIII. p. 71. sqq. In coenis nimirum sua vnicuique portio apponebatur, aut porrigebatur interdum, vt quisque peteret: quae proprio et signato verbo *pars* dicebatur et cupediae illae *partes.*

Ego primam tollo, nominor quia Leo;

Vs. 7. *nominor quia Leo.* In hac, quae vulgatior est, lectione, vltima vocis *quia* producenda est: quo offensi editores pro suo quisque ingenio conjecturis indulgent. Gudius, inuitis Codd. MSS. *nominor quia Creon*; vel, *quia rex leo.* Sane docta et speciosa sunt, quae profert Gudius ad adstruendam emendationem, *nominor quia Creon*, quae placuit Broukhousio et Hoogstratano, qui recepit in Edit. Amstel. 1711. 12. excusa. Sed Burmannus obseruat haec: „*Creon* si idem notare possit, vt vult Gudius, quod *Rex*, pariter frigida et languida esset ratio, siue dicas, *nominor quia Leo*, siue *Creon*. Si vero proprii nominis vicem fungatur, insolens certe, nomen hominis tribuere animali, ideoque, vt *Creon* sic dictus fuerit absolute post regnum acceptum, licet antea habuerit aliud nomen, ita quoque Leones (non hunc, vel illum, sed omne genus Leonum) *Creontes* vocare. Cujus rei an exemplum alibi exstet, vehementer dubito. Nam eodem jure tunc vulpem liceret *Ulixem* (aquilam vero *Creusam* v. Desbillon. Praef. p. XXIX.) vocare." Docte et egregie rationes singulas Gudii excussit Wolfius ad h. l. p. 96. sqq. Heumannus transpositione versui subuenit: *ego primam tollo, quia nominor Leo.* Vid. N. B. P. XXVII. p. 605. quod rejicit Burm. quia, si vltima in *ego* producatur, tres primae voces absoluent pedes singulos et sine vlla caesura versum inficetum. Deinde meliores poëtae vt et Phaedrus, vltimam in *ego* corripuerunt. Richterus et Harius: *quoniam nomi-*

Vs. 7. *nominor*, sum. Vid. I. XXVII. 2. Ita et καλεῖσται pro εἶναι non raro occurrit apud Graecos auctores. Theocrit. Idyll. XXII. 71. *Hartmann.* Ad loc. Theocrit. vide Casaubon. coll. Graev. in Lect. Hesiod. C. 4. p. 22. Verba autem *dici*, *ferri*, *nominari*, *vocari*, pro *esse*, apud optimos Latinitatis scriptores ea significatione vsurpari, multis exemplis comprobat Rutger. *Ouwens* V. Cl. Noct. Hagan. L. I. C. XII. p. 74. sq. Memorabo ex omnibus locum Ovidii Fast. II. 795. *Natus, ait, regis, Tarquiniusque vocor,* vbi *vocor* idem est, quod *sum.* *Leo*, sc. vnus e sociis, non, quia vt *regi*, aut *domino* deberi reuerentiam mihi, aut praecipuum aliquem honorem postulo, qui sensus ab hoc loco alienus, non minus quam emphasis a nomine *leo*, quam videt Harius. cf. Ouwens l. c. et V. L.

Secundam, quia sum fortis, tribuetis mihi;

nor leo, quod prae ceteris arridet Heusingero et Cl. *Ouwens*. loco, infra citato, cum nihil notius sit, quam tum facillime errare librarios, si quando similes in propinquo sint voces. Bentlejus, cujus Notae in Phaedrum criticae mirum in modum displicent eidem Viro docto, edidit: *nomine hoc, quia sum leo,* scabra elisione et sono, judicante Burmanno, et intrusis duabus voculis. Ipse Burmannus mallet: *ego primam tollo partem, quia dominor leo;* quam conjecturam illustrat doctissime; nihilo vero secius vulgatae adquiescit. At vero displicet Santoroco lectio Burmanni, quia sic in quarta et quinta regione Dactylus et Anapaestus inuicem se exciperent; quod repugnaret metro Senariorum. Hinc mallet in quarta regione spondeum ponere loco dactyli, ita vt *quia* sit monosyllabum, hoc modo: *Ego tol | lo pri | mam par | tem, quia | dominor | Leo.* Contrahi posse *quia* in vnam syllabam, e Terentiano Mauro probant Wasius in Senar. C. 16. et Barth. L. XV. Adv. 2. Mea quidem sententia vulgatum ferri potest. Habet enim Anonymus Nil. qui non raro Phaedri fabulas verbo tenus expressit. Deinde ostendunt Desbillon. et Grunerus l. c. p. 10. Plautum Bacchid. IV. IV. 29. et Ausonium Profess. VIII. 7. vltimam vocis *quia* produxisse. Vid. Wasius in Senar. p. 228. coll. Not. Praschii. Cuninghamus tamen, Brotier. et Bipontini legi jubent: *nominor quoniam leo.* Rutger. *Ouwens* V. Cl. l. c. voce *partem* cum Burmanno ex Anonymo inserta, putat legi posse: *Ego primam tollo partem, nomen quia leo,* vel *leo est.* Qua emendatione vix opus est, cum *partem* facile ex *partibus factis* repeti possit. Neque etiam insistit Vir doctus. Tuendam enim censet vulgatam lectionem cum vitiosa quantitate, donec afferatur Conjectura, quae probare se doctis merito queat.

Vs. 8. *fortis.* Withofius, ταυτολογίαν ferri posse negans, conjicit: *secundam, quia sum socius, tribuetis mihi;* id quod me docuit per litteras Cl. *Herbell.* Cui conjecturae, ex mente

---

Vs. 8. 9. 10. Gudius cum Scheff. *fortis* per *animosus* et morti acriter se offerens explicat; *plus valeo* autem ad robur corporis transfert. Sic Phaedrus ei non ταυτολογεῖν videtur. Equidem non repugnauerim; nollem enim cum Burmanno *fortis* capere de velocitate, qua assequi leo potest

Tum, quia plus valeo, me sequetur tertia;
Malo afficietur, si quis quartam tetigerit.

Withofii, fauet Ignatii, s. Gabriae F. IX. in Nevelet. Mythol. Aesop. p. 386. Sed ταυτολογία non potest esse ratio emendandi. Vid. Notas.

Vs. 10. *Malo afficietur. Bentl. male accipietur s. q. q. t.* putabat enim frustra apud bonos scriptores quaeri. Gudius, itidem dubitans, an *malo affici* Latine dicatur, legit, *affligetur.* Gudium sequitur Hoogstratanus. Sed locutionem vulgatam vindicarunt Gronov. ad Senec. de Ira I. C. 16. et Burmann. Laudat etiam Desbillonius Senec. Benef. L. VI. C. 37. *Satius erat, duos iniquo malo affici, quam omnes publico.* Si denique Phaedrus L. II. XI. 10. dixit: *leonis affliguntur horrendo impetu,* num

---

feras; cum fortitudo animi intelligenda sit. Sed ταυτολογία non est nimis vrgenda. Nam, recte obseruante Burmanno, caussae, quas leo, vt praeferatur, adducit, reuera sunt ineptae, injustae et imaginariae, et ad vnam violentiae et roboris facile possunt referri, ideoque Phaedrus ex persona leonis, qui non pondere, sed numero argumentorum volebat videri vincere, ταυτολογεῖν dedita opera credendus est. Nam *quia sum leo*, *quia sum fortis*, *quia plus valeo*, vnum idemque argumentum, non a jure, sed a vi et potentia desumtum, efficiunt. At Rutgero *Ouwens* Phaedrus non ταυτολογεῖν ex persona leonis, sed tres diversas afferre causas videtur, cur totam sibi praedam vindicet leo. Vid. Ej. Noct. Hagan. l. c. *me sequetur*, mea erit, perveniet ad me. *Sequi, zu Theil werden.* Hoc sensu Hor. L. I. Sat. VIII. 13 (ad quem loc. v. Lambin.) *heredes monimentum ne sequeretur.* Plin. H. N. IX. 35. fin. *Et hoc aeternae possessionis est, sequitur heredem.* Paulo aliter Burmannus: „vobis non multum repugnantibus, tertiam partem mihi vindicabo. Vis verbi enim est, vt facilitatem sine magno labore et molestia notet"; id quod probat exemplis, laudans Barthii Adv. L. II. C. 16. cf. Hor. de A. P. 309. Cl. Tzschuckio verbum *sequi* facilitatem, vel necessitatem innuere videtur. *Malo afficietur. Schlimm wird es dem gehen, übel wird der wegkommen.* Vid. V. L. *quartam* sc. partem.

Sic totam praedam sola improbitas abstulit.

ideo hic *affligetur* scripsisse putandus est? Ita vero millies emendare solent critici.

Vs. 11. *praedam.* Proprie de eo, quod venatione capitur. *Scheff.* Ovid. Met. II. 27. *ceruus praeda est canum.* Vide etiam L. II. F. VIII. 26. 27. Virg. Aen. I. 210. Sic alibi saepe. *improbitas.* Vid. ad L. I. F. III. 16. Idem est, ac si dixisset: Sic improbus, i. e. impudens, insatiabilis (non crudelis, vt Barthius et Axenius volunt; non enim de crudelitate sermo est) solus totam praedam abstulit. Cf. L. I. F. IV. 5. et Not. Scheffer. Adde Freinshemii Indic. in Flor. v. *improbus.*

Compara *Lessingii* L. II. F. XXVI. *Anonymi Nevel.* F. VI. *Romuli* L. I. F. VI. *Ignatii*, vulgo *Gabriae* F. IX. a Neveleto primum editam, in Ej. Mythol. Aesop. p. 386. Λέων καὶ Κέρδω καὶ Γέρανος, coll. *Gabriae* F. V. Λεων, Ὄνος, Κέρδω, in Neveleti Myth. Aesop. p. 356. it. *Aesopi* F. 38. Λέων καὶ Ὄνος, καὶ Ἀλώπηξ, p. 120. Myth. Aes. et p. 31. Edit. Hauptmann. et p. 32. Edit. Ernest. Ceterum legisse juuabit, quae notat *Lessingius* l. c. p. 237. sq. „Im Griechischen ist diese Fabel vortreflicher; und zwar zwischen dem Löwen und dem wilden Esel (ὄναγρος); die Theilung ist besonders sinnreich. Nachdem sie nehmlich einige Thiere gefangen, so macht der Löwe drey Theile. Das erste Theil, sagt er, gehört dem Könige der Thiere, und der bin ich; das zweyte ist meine, nach der Billigkeit der Theilung; denn von dem, was übrig bleibet, nachdem der König sein Theil bekommen, mufs ich eben so viel haben, als du. Und das dritte Theil — das soll dir übel bekommen, wenn du dich nicht gleich mit der Flucht davon machst." Vid. F. Aesopi 226. λέων καὶ ὄναγρος. p. 175. Edit. Hauptmann.

FABULA VI.

RANAE AD SOLEM. *)

Vicini furis celebres vidit nuptias
Aesopus, et continuo narrare incipit:

Vs. 1. 2. Bentl. *Vicini* vt *furis c. v. n. Aesopus* sic *c. n. i.* qua emendatione non erat opus. Phaedrus enim, bene obseruante Burmanno, non semper amat, eodem modo loqui: modo particulam addit, vt L. I. F. XXI. 8. L. III. F. XVI. 8. modo omittit, vt L. I. F. VII. 2. et F. XIII. 5. Sic alii, vt idem vir doctus fuse monstrat. Etiam Hario displicet ista Bentleji conjectura; quia particula *vt*, propter Phaedri concisum narrandi morem elegantius saepe abest, quam intrusa elisione insuauem versum facit, *et* Heinsius *en!* Cuninghamus edidit: *V. f. c. nuptias videns Aesopus sic c. n. i.*

---

*) Conjectura probabili Brotierii, quam deinde Desbillonius vberius explanauit, Phaedrus hac fabula scelera Sejani ejusque nuptias cum Livia, seu Livilla, sorore Germanici, vxore Cajii et Drusi, notare voluit; quemadmodum dictum est in Vita Phaedri, vbi vide; coll. Edit. Brotierii p. 100. Aptius Ignatius, seu Gabrias finxit fabulam. Vid. Ej F. XX. apud Nevelet. p. 365. coll. Lessingii l. c. p. 238.

Vs. 1. *Vicini* dicitur in respectu ad Aesopum, cujus erat vicinus et ob furta infamis. *Scheff. celebres nuptias*, in quibus magna erat conniuarum frequentia. Sic vrbes, viae cet. centies dicuntur *celebres*. Cf. Not. Axen. et Hoogstratan. Itaque Anonymus Nilantii: *viri frequentabant nuptias*. Male igitur explicant *famosas*. Albinus, Gallicus interpres, reddidit: *une nôce celèbre*. Immerito hocce Epitheton carpit cl. *Jakob*. Non raro enim Phaedrus, more poëtarum, vtitur Epithetis, ornatus caussa additis, non habita semper ratione scopi fabulae. Vid. A. L. Z. ann. 1785. Partic. 122.

Vs. 2. *continuo narrare incipit*, statim narrat. Vid. ad L. I. F. II. 8.

Vxorem quondam Sol cum vellet ducere,
Clamorem Ranae sustulere ad sidera.
Conuicio permotus quaerit Jupiter
Caussam querelae. Quaedam tum stagni incola:

Vs. 3. *Sol cum.* Sic MSS. Rem. et prima manus in Pith. Sed secunda et imperita manu emendatum est in MS. Pith. *solem*; cujus rei testem habeo Brotierium. Itaque *sol cum* reponendum putaui, quod praeter Meurs. Heins. Rigalt. Vrsin. recte retinent Bentlej. Brot. Bipontini, Desbillonius, Cuningham. vt omittam alios. Burmannus, obsecutus Rittershusio, legit: *solem velle*, quod pendet a *clamorem sustulere*. At *sol cum vellet* emendauit quoque sua manu Taubmannus in notis, margini Editionis Rittershusii adscriptis, quam possidet Bibliotheca Electoral. Dresdensis splendida. Et jure placere potest haec lectio; videtur enim elegantior.

Vs. 4. *Ad sidera*, ad caelum, synecdochice. Alii capiunt metonymice, pro Ioue. Forsan ante oculos habuit Virg. Aen. X. 262. *Clamorem ad sidera tollunt Dardanidae e muris.* — *Clamorem.* Cl. Sattler. *Froschgequack.*

Vs. 5. *Conuicio.* Eleganter et proprie. Conuicium enim, de qua voce cf. Scheffer. et Hartman. proprie est clamor plurium, vti hoc loco, quasi esset conuocium. Ovid. L. VI. Met. 378. de ranis, *dilatant patulos conuicia rictus*; atque etiam memorat Col. R. R. L. X. C 12. *conuicia ranae semper querulae*, i. e. quae semper coaxat. Adde infra L. III. F. XVI. 5. Nota varietatem in verbis *clamor*, *conuicium*, *querela.* Laudat Hartmann. Cic. ad Div. I. Ep. 5. *Pompejus clamore convicioque jactatus est.* Vides igitur, haec duo esse Synonyma.

Vs. 6. *stagni incola*, *Sumpfbewohner*, exquisite pro rana. Delectatur enim Phaedrus jucunda varietate in appellandis animalibus. Vid. ad L. I F. I. 6. coll. Jani A. P. p. 312. Cic. Tusc. V. C. 13. *alias bestias nantes aquarum incolas esse voluit.* Eodem modo Plin. L. VIII. C. 57. sed masculino genere, vocat mures *domuum incolas*, teste Burm. *Incola* feminini esse generis, ex hoc versu patet, nisi quis τὸ *quaedam* cum Axenio referat ad ranam, vt rana dicatur *incola*, sicuti aquila rex, quod tamen minus placet. Scribunt etiam Gesnerus

Nunc, inquit, omnes vnus exurit lacus,
Cogitque miseras aridâ sede emori:

Vs. 8. *Cogitque.* Heinsius: *cogetque miseras aridae sedi immori. Coget* habet Cod. Pith. vt notauit Neveletus ed marginem p. 393. Mythol. Aesop. Et defendi potest e Virg. Ecl. II. 7. et Theocr. III. 9. Vid. Notas. Sed quia *cogit* ab omnibus receptum est, non ausus sum, quidquam mutare. *emori.* Ita MSS. Alii *mori.*

---

et Schellerus in Lexicis, *incola* esse communis generis. Plin. H. N. L. XII. 3. *peregrinas arbores incolarum numero esse coepisse* dicit. Ceterum sunt, qui putent, Poëtam imitatum esse Virg. G. III. 430.

Vs. 7. *vnus*, solus, subaudi *sol.* Profert Burm. locum Ter. Eun. I. II. 39. *Ego cum illo, quocum tum vno rem habebam, hospite abii huc.* Idem vir doctus notat quoque elegantem oppositionem in *vnus omnes*, laudans Catull. I. 5. *ausus es vnus Italorum omne aeuum explicare*; Virg. III. Aen. 716. *Aeneas omnibus vnus narrabat. exurit.* Serv. ad Virg. I. 39. explicat, *ita vrit, vt nihil supersit.* Hinc recte Scheff. exsiccat, absumto per calorem humore omni. Virg. G. III. 432. *postquam exusta palus terraeque ardore dehiscunt.* Cf. G. I. 107.

Vs. 8. *Cogitque emori.* Forte praeiuit Virg. Ecl. II. 7. *mori me denique cogis*, vbi meliores Codd. *coges;* sed praesens majorem vim habere videtur viris doctis. v. Heyne ad h. l. Virgilius autem haec de Graecis Theocriti expresserat, ἀπάγξασθαί με ποιήσεις. Vid. Idyll. III. 9. coll. V. L. *miseras* sc. ranas. *arida sede*, exsiccata. Vid. ad L. I. F. III. 13. Concinne respondent *arida* et *emori* τῷ *exurit* V. 7. *sede* autem τῷ *incola stagni* V. 6. *emori*, simpliciter, mori. Vid. Exc. V. (α.) ad hanc fab. Hunc v. verte: *Wir armen Thiere müssen jetzt schon in unsern ausgetrockneten Wohnungen fast verschmachten.* Nam ita verti posse, docet alius Phaedri locus. L. III. F. VII. 6. *Ego — pereo fame.* Quae, vt hic, non capienda sunt de morte certa, sed ita: *ich muſs fast verhungern*; *ich möchte verhungern.* Ita et Graeci, Xenophon. Cyrop. L. VI. C. 1. s. 35. ὥστε τὸν Ἀράσπαν ἀπολωλέναι τῷ φόβῳ, μή τι καὶ πάθῃ ὑπὸ Κύρου, *so daſs Araspes vor Furcht, vom Cyrus zur Strafe gezogen zu werden, fast des Todes war.* Cf. Exc. cit.

Quidnam futurum est, si crearit liberos?

Vs. 9. *crearit;* Cod. Pith. *crearet*, teste Neveleto; Anonymus Nil. et Romul. Divion. *creauerit*; at Ulmens. *procreauerit.*

Vs. 9. *Quidnam futurum.* Sollemnis formula de timente et praesagiente. *Burm.* qui congessit exempla. *crearit*, procrearit. Vid. L. III. F. XV. 11. quo loco de brutis animantibus vsurpatur. Liv. L. I. C. 3. *is Aeneam Syluium creat.*

Comparabis cum hac fabula fabulam Babrii, de qua v. Excurs. V. (β.) ad h. fab. Cf. etiam fabula *Fontanii* L. VI. F. XII. *Anonymi* Nilantii F. X. qui mirum in modum interpolauit; *Anonymi Neveleti* F. VII. *Romuli* Nil. F. VII. *Romuli* Divion. L. I. F. VII.

FABULA VII.

VULPIS AD PERSONAM TRAGICAM. *)

Personam tragicam forte vulpis viderat:

Vs. 1. *Vulpis.* Ita legendum esse, non *vulpes*, quod saepe mutatum fuerit a librariis imperitis, erudite monstrat Burm. quem vide; sed vtroque modo veteres locuti sunt, et per *es*, vel per *is* istius modi vocabula extulerunt. Vide Notas Tollii

---

*) Qui factum sit, vt vulpis conspectui offerretur persona tragica, Graeca fabula sic indicat: Ἀλώπηξ εἰς οἰκίαν ἐλθοῦσα ὑποκριτοῦ, καὶ ἕκαστα τῶν αὐτοῦ σκευῶν διερευνωμένη, εὗρε καὶ κεφαλὴν μορμολυκίου εὐφυῶς κατεσκευασμένην. quem locum docte explicat Cl. *Ernesti*, cujus Edit. Aesopi vid. p. 11. Sed Romulus Divion. fingit, *lupum* personam tragoedi *in agro* inuenisse. Vid. Rom. L. II. F. 15. Compara Not. ad vs. 1. et Exc. VI. ad vs. 2.

Vs. 1. Hunc locum acute et erudite explicauit ill. *Böttiger*, cujus interpretationem nunc dabimus. „Jam *Addisonus*, elegantissimus antiquorum monumentorum spectator, in Itinerario suo, *Remarks on several parts of Italy* (Hagae 1718.) p. 216. scite obseruauit, hanc vulpeculae ad personam tragicam orationem vix satis perspici posse, nisi quis formam veterum personarum, cujusmodi innumerae adhuc in antiquis monumentis reperiuntur, probe cognitam habeat et exploratam. Tenendum scilicet, personas illas totum caput ambiisse, ita vt in sincipite capillamenta essent pro diuersis actorum partibus concinnata, in occipitio autem vultus, quos partes postularent, effICti. Hinc jam intelligitur, cur cerebrum illi inesse neget vulpecula. Nam in dimidiatis istis personis, quibus hodie fere vtuntur, ridiculus sane foret, si quis cerebrum quaereret. Atque hoc quidem jam in vulgus notum. Sed est aliud, quod cum male habuerit ipsum *Lessingium (zur Geschichte der Aesop. Fab.* p. 240. in Ej. *sämtlichen Schriften* P. II) qui miratur, cur personam istam *tragicam* appellarit poëta, atque id vitio vertit auctori nostro, age, illud quoque paucis explicemus. Non temere profecto addidit poëta *tragicam.* Personis tragicis, vt

O quanta species, inquit, cerebrum non habet!

P. III. p. 145. Phaedri. Sic *vulpes* facit *vulpecula. Vulpes et vulpis* in nominatiuo inueniri, ait quoque Gesner. in Thes. L. L. h. v. Adde Bongars. in Lection. Var. ad Justin. L. XII. quem praeter alios laudat Santorocus. Barth. ad Stat. Theb. p. 441. et Adv. L. XXVII. C. 4. Rigaltius in Edit. 2. et Neveletus habent *vulpes.* Bentlejus: *forte vt vulpis viderat.* Sed v. V. L. ad Fab. praec. v. 1. 2.

Vs. 2. *habet.* Jan. Broukhus. teste Hoogstratano ad L. III. 12.

---

probe congruerent cum tota tragicorum actorum σκευῇ, ad corporis magnitudinem humana majorem ingeniose composita, in vertice adjectum fuit fastigium quoddam in acutum desinens, quod Graeci ὄγκον, Latini proprio vocabulo *superficiem* appellarunt. Manifesto hoc apparet e luculento *Pollucis* loco, vbi fuse tractat personas tragicas IV. 133. ὄγκος ἐστι τὸ ὑπὲρ τὸ πρόσωπον ἀνέχον εἰς ὕψος λαμβδοειδεῖ τῷ σχήματι, et deinceps in singulis personis tragicis commemorandis diligenter notat, quemnam ὄγκον in illa conspicias. Pulchre rem totam illustrauit *Gisb. Cuperus* ad Apotheosin Homeri p. 82. Jam vero facile intelligitur, cur vulpes huic inprimis personae, quae, vt Luciani verbis vtar, (in eo loco, vbi tragoedi magnificam delineat speciem, de Saltatione c. 27. T. II. p. 284. edit. Wetsten.) πρόσωπον ὑπὲρ κεφαλῆς ἀνατεινόμενον haberet et in mirum assurgeret tumorem magnam quidem *speciem,* quod equidem de amplitudine magis quam de pulchritudine intellexerim, sed parum cerebri inesse, salse moneret. Hoc quoque forsan non ab re videbitur alienum, monere, ante ludorum scenicorum commissionem in theatris personas ejusmodi in suggestu quodam propositas esse, vnde cognoscerent praetereuntes, mox vel tragoedias, si tragica persona ostenderetur, vel comoedias, si comica, in scenam productum iri. Liquido hoc apparet e picturis compluribus in *Monumentis Herculanensibus* T. IV. tab. XXXIII. sqq. vbi ejusmodi personae in suggestu, ad quem per gradus aliquot ascenditur, expositae conspiciuntur. (Talem vides effictam in fronte hujus libri). Jam intelligitur illud quoque, qui fieri potuerit, vt vulpes ejusmodi personam, conspectui suo oblatam, deridere potuerit; quamquam illud quoque me non praeterit, personas varias ornamenti tan-

Hoc illis dictum est, quibus honorem et gloriam Fortuna tribuit, sensum communem abstulit.

legebat, *o. q. s. i. c. n. habes.* v. Burm. *Habes* etiam placebat Scheffero, quod arripuit Bentlej. Sed *habet* retinendum. Nam et Romulus Divion. eodem, quo Phaedrus, modo haec expressit: *O quanta species, ait, et cerebrum non habet!* Vid. Fabb. Romuli L. II. F. 15. Legitur etiam in Graeca fabula: ἐγκέφαλον ὀυκ ἔχει. Heinsius: *o quanta species! at cerebrnm non habet.*

---

tum caussa aedificiis, vestibulis inprimis, et fontibus artificiose exstructis additas fuisse. In illis tamen fere vbique comicis tantum personis vsos esse architectos, e Vitruuio et antiquae artis operibus, quotquot ad nostra tempora peruenerunt, demonstrare in procliui esset." Adde Exc. VI. ad hanc fab.

Vs. 2. Graecus: ὢ οἵα κεφαλὴ καὶ ἐγκέφαλον ὀυκ ἔχει; ad quem locum Lessingius notat: „*im Griechischen klingt es so sinnreich nicht, und folglich viel natürlicher. — Welch ein schöner Kopf, und nichts darinn.*" Male hunc Phaedri locum vertit Albinus: *voilà un beau visage!* Vid. Exc. VI. ad vs. 2. *cerebrum non habet.* Proprie; sed simul respicit sensum communem quo caret. (V. 4.) Plaut. Mil. Gl. II. II. 51. *laborat cerebro.* Juvenal. Sat. XIV. 58. 59. *caput vacuum cerebro.*

Vs. 3. *illis*, propter illos. Cl. Jördens: *ein Wörtchen für die.* L. III. F. XII. 8. *hoc illis narro. honorem et gloriam.* Burmannus hanc fabulam spectare putat principes in aula viros, tam ciuilibus, quam militaribus honoribus ornatos ab imperatore; illos *honorem*, hos *gloriam* respicere. Publius Syrus Sentent. 232. *Fortuna nimium quem fouet, stultum facit.*

Vs. 4. *sensum communem*, qui continetur notionibus insitis et naturali facultate intelligendi, judicandi, ratiocinandi, recti et boni cognoscendi. Vid. Cl. Ernesti. Graeci appellant κοινὸν λογισμὸν; Nostri, *der gesunde Menschenverstand*; Galli *Bon sens.* Hor. de stupidis et imperitis Serm. I. III. 66. *caret communi sensu.* Juvenal. Sat. VIII. 71—74. *rarus enim ferme sensus communis in illa fortuna.* De *sensu communi* est doctum et elegans Cl. J. M. *Fabri* Programma, vbi vide.

Compara hanc fabulam cum Fab. *Aesopi* XI. in Neveleti Myth. Aesop. p. 95. apud Hauptmann. p. 10. *Anonymi Neveleti* Fab. XXXIV. *Lessingii* L. II. F. 14. *Hagedornii* Fab. L. I. p. m. 94. *der schöne Kopf*; *Fontanii* L. IV. F. 14. Laudat quoque Cl. *Jakob* fabulas *Willamouii.* Adde *Romul.* L. II. F. 15. et *Erasmi* Centur. VIII. Ad. 95.

FABULA VIII.

LUPUS ET GRUIS. *)

Qui pretium meriti ab improbis desiderat,
Bis peccat: primum, quoniam indignos adjuuat;
Impune abire deinde quia jam non potest.

Vs. 2. *indignos*. Cod. Pith. *dignos*. v. Nevel. Absorptum enim τὸ *in* a praecedenti *quoniam*.

Vs. 3. *quia jam non potest*. Barth. in Adv. L. XLVII. C. 10. monet legendum, *jam nunc potest*, vel concinnius *jam tunc*, quod tamen, teste Burmanno, nemini adhuc persuadere potuit. Putabat autem peccati vocem hic ambiguae significationis esse, et priore loco culpam, posteriore errorem designare; errorem vero in eo consistere, quod deinde in societatem mali veniens

*) *Gruis*, antique pro *grus*. Sic habet Romulus Div. L. I. F. VIII. Sic L. IV. F. VI. 13. *plebes* pro *plebs*; *vulpis* fab. praec. pro *vulpes*. Ita *sepes* et *seps*, *suis* et *sus* cet. dici, probandum in se suscepit Gudius. Plura dabunt Rittershus. ad h. l. Munkerus ad Hygini F. CXXXIX. Burm. ad Quinctil. Decl. VI. C. 17.

Vs. 1. *pretium meriti*, praemium (V. 10.) beneficii et operae praestitae. Multis exemplis vocis *pretii* vsum illustrat Nic. Heins. ad Ovid. Ep. VI. 146. et Met. II. 701. indicante Burmanno. *Meritum* est beneficium magnum. Plus valere, quam *officium*, ostendit locus Cic. ad Div. XI. 17. *magna ejus sunt in me non dico officia, sed merita. desiderat*, postulat. Ita Caes. de B. G. VII. 52. *in milite modestiam et continentiam desiderat*. Sattler. *Wer des Verdienstes Lohn von Bösewichtern heischt.*

Vs. 2. *peccat*. Vid. L. III. F. X. 52. III. F. XIII. 8. L. V. III. 11.

Vs. 3. Non vna est Interpretum de sensu hujus versus sententia; sed recte explicauit Burm. „non animadverterunt, *inquit*, viri docti vim particularum *jam non*, quae notant, jam non potest securus abire sine damno, aut noxa, vt potuit, antequam medicinam fecisset lupo. Haerente enim osse in fauce lupi, ille nocere non

Os deuoratum fauce cum haereret Lupi,

et liber dimissus, non videt, se satis magnum beneficium accepisse, quod a perfidi hominis consortio integer et inuiolatus redire potuit. Hoc ex Lupi ad Gruem verbis in fine hujus fabulae recte effici censet; v. Burmann. Heinsius margini adscripserat, *quianam non potest*; Gebh. Crepund. L. III. C. 10. conjicit, *impune abire deinde inanis non potest*, vt *inanis* sit, qui in opera fuit gratuita. Brotier. *quia jam vix potest*; quae omnia vix placebunt. v. Notas coll. Burmann.

Vs. 4. Bentlejus mallet legi: *Os deuoratum fauce cui haerebat, Lupus.* Censebat enim, in lectione vulgatá deesse ad constructionem *is*, vel *ille*. Sed Harius ostendit, hoc omitti posse, quia τὸ *victus* de alio, quam de Lupo accipi nequeat,

---

poterat, sed cum stultus Grus ejus gulae credidisset collum suum, sublato osse, antequam penitus extraxisset collum, potuisset lupus, libera jam gula, arripere et deuorare Gruem: periculosam ergo sibi facit, alteri vtilem medicinam, et bis peccat, juuando indignos, et se in periculum, vnde non potest, si alter velit, impune abire, conjiciendo." Particulae *jam non* igitur vertendae, *nicht mehr*. Cic. Verr. III. 94. non *est* jam *in lege atque in officio, sed in voluntate hominum atque auaritia positus modus aestimandi*. Liv. XXX. 7. *cum vxor* non jam *vt ante blanditiis — sed precibus et misericordia valuisset.* Quibus adde locum Varronis R. R. II. 4, 16. quem laudat Schefferus, *neque jam lactentes dicuntur*, de porcis a mamma depulsis. *impune*, sine periculo, aut damno. Sic explicat Serv. ad Virg. Aen. XI. 134. v. Scheff. et Barth. ad Stat. Theb. v. 621. quem citat Burm. Apte autem dicit *impune*, quia peccati sui hanc velut poenam subire coguntur, qui hoc faciunt. Simili modo dixit Catull. XIV. 16. *non hoc tibi sic abibit.* Frustra putat Meursius, *impune abire* peccatum non esse, et hinc Phaedro rationem non constare; sed alterum peccatum est, sua culpa, imprudentia nimirum, in periculum venire; quod Cicero appellat *peccatum stultitiae.*

Vs. 4. *Os deuoratum*, *ein verschlungenes Bein.* Nota delectum Epitheti, quod pingit actionem lupi esurientis. *fauce.* In oratione ligata frequentius occurrit singularis, quam in prosa. Vide L. I. F. I. 3. *haerere* vero *fauce* recte dici, aeque ac *fauci*, vel *in fauce*, vidit Burm. ad Ovid. IV. Met. 27. et XI. 403.

Magno dolore victus, coepit singulos
Illicere pretio, vt illud extraherent malum.

aptissimum ex L. V. F. III. subjiciens exemplum. Quot etiam locis, obseruante Burmanno, medicina temeraria esset facienda, si particulas illas, *is*, *ille*, *qui*, quae deficientes ἀνακόλουθον videntur efficere, vbique intrudere vellemus; vt omittam, in emendatione Bentleji metrum vix constare, de quo fuse disputantem lege Burmannum. Ceterum ipse Bentlejus non multum huic conjecturae tribuisse videtur, cum et alteram lectionem proferat, quam recepit, *os deuoratum fauce cum haereret Lupo*; citra necessitatem, cum et *lupi* et *lupo* Latine dici possit; vt L. III. F. VII. 16. vbi nonnulli legunt *cani*. Cuninghamus: *O. deuoranti f. c. h. Lupo.*

Vs. 5. Hunc v. Anonymus Nil. expressit integrum. Cuninghamus: *Magno is dolore v.* sed vid V. L. ad vs. 4.

Vs. 6. Post hunc versum aliquot versus excidisse, suspicatur Meursius in Animadv. ad Phaedri Fabb. Sed quae supplere conatus est, a breuitatis studioso poëta rectius omittuntur.

Vs. 5. *victus.* Bene haec illustrauit Ramlerus: *Der Wolf ist von Natur kein freundliches und bittendes Thier: es kostete ihm viel, sich zu solcher Demuth herab zu lassen; seine natürliche Wildheit und sein Schmerz stritten lange zusammen: dieser überwan·' endlich, welches durch das Wort* victus *wohl ausgedrückt wird*: nisi quis cum Burmanno simpliciter haec ita capere velit, lupum non potuisse diutius ferre dolorem, sed superatum magnitudine ejus et coactum decurrisse ad alios. Ovid. de Ajace XIII. Met. 386. *inuictum virum vincit dolor. coepit.* Vid. ad L I. F. II. 8. *singulos.* Explicari debet, vt L. I. F. II. 25. Patet hoc e particula *tandem* v. 7. Aphthonius: ἐζήτει (λύκος) τὸν ἰασόμενον; ἑκάστου δὲ τὴν πρὸς αὐτὸν ἴασιν φεύγοντος, μόνη τῶν ἄλλων ἐπὶ ῥητοῖς ὑπέσχετο ποιήσειν ἡ γέρανος. In fabula Aesopi reliquorum animalium non video factam esse mentionem.

Vs. 6. *Illicere pretio.* Infra L. V. F. VII. 18. dixit *adducit pretio*, sed *illicere* est fortius. Complectitur enim fraudem et dolum *pretio.* Praemio, vt vs. 10. coll. V. 1. *illud malum,* os devoratum. Elegans Metonymia effectus pro caussa. Hinc apte *extraherent.* In graeca fa-

Tandem persuasa est jurejurando Gruis,
Gulaeque credens colli longitudinem,
Periculosam fecit medicinam Lupo.
Pro quo cum pactum flagitaret praemium:

Vs. 8. *Gulaeque.* Faber in Edit. III. *gulae quae credens.*
Vs. 9. *Periculosam.* Cuningham. *periculose.*
Vs. 10. *Pro quo cum pactum.* In MS. Rem. corrupte legi-

---

bula haec simpliciter expressa sunt: εἰ τὸ ὀστοῦν ἐκ τοῦ λαιμοῦ αὐτοῦ ἐκβάλοι. *Extrahere malum* habes etiam apud Anon. Nil. et Romulum.

Vs. 8. *credens.* Distinguit Hartmanus inter *credere* et *committere*, vt hoc sit leuius et minus, quam illud, quod appareat e L. I. F. XIV. 15. 16. Sed nec ipse Phaedrus in re simili L. II. F. VIII. 7. nec alii hanc differentiam obseruant. *Credens* dixit, notante Scheffero, in respectu ad antecedens lupi jusjurandum et rei periculum. *colli longitudinem,* collum longum. Sic L. I. F. XII. 6. *crurum tenuitas*, pro crura tenuia. L. I. F. XXXI. 4. *celeritas pennae* pro celeres pennae. Eleganter autem dixit *colli longitudinem.* In longitudine enim maxime posita erat medicina, qua extrahi os deuoratum debuit, vel in intimo collo latens. Cf. Scheffer. Etsi vero non satis certum est, Phaedrum hoc versu collum longum pingere voluisse; placet tamen ista pictura mirifice. Cf. quae notant Ramlerus et Cl. Schulze. Adde *Jacobsii* Obseruatt. ad Ph. Hunc versum fere integrum expressit Anon. Nilant.

Vs. 9. *Periculosam*, intellige grui. Curatio enim cum magno ipsius periculo erat conjuncta. Id quod intelligitur e verbis, quae praecedunt, *persuasa* Vs. 7. et *credens* Vs. 8. tum etiam e V. 10. 11. *quae caput incolume abstuleris.* *Lupo* ergo jungendum cum *fecit*, non cum *periculosam.* Sic etiam cepere Scheff. et Burmann. Ornate vertit Ramlerus: *vertraut dem Rachen des Wolfs seinen langgestreckten Hals, und verrichtet glücklich die gefährliche Kur.* — *fecit medicinam.* Elegantius est, quam si dixisset, *extraxit os.* *Facere medicinam* est mederi. Cic. ad Div. XIV. Ep. 7. *ita sum leuatus, vt deus aliquis medicinam mihi fecisse videatur.* Alia loca suppeditabunt Notae Praschii. Sed alio sensu occurrit L. I. F. XIV 2.

Vs. 10. *pactum*, promissum; passiue enim accipiendum. Sic

Ingrata es, inquit, ore quae nostro caput

tur: *pro quo cum factum.* v. Gud. In Cod. Pithoeano, *facto.* Antea legebatur *pro quo cum facto.* Sic Edit. Pith. Nevel. Vrsin. Sed quia *pactum* vitio librariorum saepe transiit in *factum,* vt probant Heins. ad Ovid. III. Ep. 112. et Graev. ad Flor. I. 15. recte emendauit Gudius: *pro quo cum pactum flagitaret p.* Lupus enim singulos illexerat pretio, et tandem conuenerat cum grue; praemium ergo erat pactum. Quam Gudii emendationem deinde confirmauit Anonymus Nilantii, qui Phaedrum exscripsisse recte creditur, apud quem exstat *a quo cum pactum flagitaret praemium.* Illud Anonymi *a quo* recepit Bentlej. quia *pro quo* praecedenti non satis respondere putabat; improbante tamen Burmanno, qui recepit certissimam, vt ait, Gudii emendationem. Contra Bentleji lectio placet Heusingero; nec mihi displicet, cum auctoritate nitatur Anonymi. *Pro qua* ediderunt Brotier. et Desbillon. vt referatur ad *medicinam* Vs. 9. Sed ista emendatione non est opus, cum Latinis scriptoribus haecce generis mutatio familiaris sit, teste Gifan. in Indic. Lucret. in *sanguis* et *generis mutatio.* Vide quos laudat Burmannus.

Vs. 11. *ore quae nostro.* Bentlej *ore quae e nostro,* sed v. Burm. et Epist. crit. Harii p. 15. Anon. Nil. *ori nostro quod caput incolume extuleris,* cui lectioni fauet locus Virg. IV. Aen. 698. qui Burmanno debetur, quem vide. Cuninghamus perperam duas intrudit particulas, legens, *quae cum ore e nosto caput.*

Cic. Off. I. 10. *pactae induciae.* Val. Max. L. IV. C. 3. *pactum victoriae praemium flagitantibus.* Laudat Hartman. Voss. de Anal. L. IV. p. 194. cf. L. III. F. XIII. 17.

Vs. 11. *inquit.* Pulchre Graecus: ὅςτις γελάσας κὰι τὰς ὀδόντας θήξας ἔφη. Vide tamen Cl. *Ernesti* ad Fabb. 144. Aesopi coll. *Jacobs.* in Obseruatt. ad Phaedri Fabulas in *Nachtr. zu Sulzers Theorie.* T. VI. P. I. p. 76. Camerarius, *subridens* et *dentibus infrendens* — *ore nostro,* fortius est, quam *meo.* Non male cum Cl. Tzschuckio suspiceris, dictum esse arrogantiae caussa, pro, *meo.* Tale quid etiam viderat Axenius, qui ad h. l. notat: illud *nostro* nisi acute et cum emphasi pronuncietur, sententia iacebit. *quae.* Eleganter positum pro *cum tu.* Pronomen enim *qui, quae, quod* in omnibus suis casibus eleganter adhibetur pro conjunctione *cum* et pronominibus substantiuis aeque ac demonstratiuis, et tunc propter

Incolume abstuleris, et mercedem postules.

Vs. 12. *postules.* Sic recte reposuerunt Rittersh. Faber. Vrsin. Hoogstrat. Bentlej. Heusinger. quos et ego in priori editione secutus sum. Ita et Desbillonius, Didotus in Editione stereotypa, Bipontini. Postulat enim orationis contextus, vt legatur *postules.* Non enim dicit lupus *ingrata es et postulas,* quod volunt Scheffer. et Burm. sed *ingrata es, quae* (i. e. *cum*) *caput incolume abstuleris, et postules.* Caussam reddit cur ingratam dicat. Vid. Heusinger. et *Harlesii* Progr. quod laudaui ad L. I. F. II. 17. Brotier. tamen retinuit *postulas.*

---

conjunctionem subintelligendam regit conjunctiuum. Exempla habet Cortius ad Cic. Epp. ad Div. IV. Ep. 3. n. 2. Vid. *Harlesii* Progr. cit.

Vs. 12. *abstuleris*, extuleris. Sic Anon. Nil. et Romulus. *incolume.* Aesopus: *χάραν σῶαν, μηδὲν παθοῦσαν*; Aphthonius: *κεφαλὴν ἀκέραιον.* *mercedem,* quasi non satis sit mercedis, quod vitam tibi concesserim. *Scheff.* Mercedes medicis praestari dicuntur a vett. Ictis ap. Brisson. de Verbor. Signific. Cic. ad Div. XVI. Ep. 14. *medico mercedis quantum poscet promitti jubeto. Hartman.* Aphthonius: μίσθος τῆς ἰάσεως, *Artztlohn.* Antea dixerat *pretium*, deinde *praemium*, nunc *mercedem.*

Hanc fabulam compara cum fabula *Aesopi* 144. ap. Nevelet. p. 206. sq. in Edit. Hauptmann. p. 108. Ernest. p. 108. *Aphthonii* F. 25. apud Nevel. p. 341. *Ignatii*, seu Gabriae F. 39. ap. Nevel. p. 377. *Romuli* Divion. L. I. F. VIII. *Anonymi Nevel.* F. VIII. *Anonymi Nilantii* F. LXIV. *Lessingii* L. II. F. 4. Eadem fabula narratur in *Bocharti* Hierozoic. P. II. L. I. C. 12. de Leone et aue, quae dicitur *Kore Aegyptius.* Exstat autem hic Apologus Sectione LXIV. libri vetustissimi *Bereschith Rabba*, habetque auctorem *R. Josuae.* Etsi vero auis *Kore* est longi rostri; non tamen ex Hebraeae fabulae cum Graeca et Romana collatione colligi potest, eamdem esse cum grue. Nam vt Hebraei lupo Leonem, ita grui potuerunt aliam auem substituere. v. Bochart. Probat idem vir doctus hebraeo nomine *Kore* non significari perdicem, vt hucusque creditum est, sed rusticulae genus.

FABULA IX.

PASSER ET LEPUS.

Sibi non cauere, et aliis consilium dare,
Stultum esse, paucis ostendamus versibus.
Oppressum ab Aquilà, fletus edentem graues,

Vs. 2. *paucis ostendamus.* Cuningham. *paucis his ostendam.* Tollius: *ostendemus.*

Vs. 3. Bentlej. et Cuningh. *oppressum ab aquila* ac *f. e. g.* sed monet Burm. ista emendatione fieri ex versu bene incedente duplicata elisione horridiorem; deinde non raro adjectiua

---

Vs. 1. *cauere*, consulere. Juris et ICtorum verbum est, cum ab his monentur juuanturque consilio Clientes, ne suam conditionem faciant deteriorem. Cic. Off. II. 65. *in jure cauere, consilio juuare atque hoc scientiae genere prodesse quam plurimis, vehementer et ad opes augendas pertinet.* Id. ad Div. III. Ep. 1. de Valerio ICto, *melius ei cauere volo, quam ipse aliis solet.* Vid. Rittershus. qui laudat Ovid. A. A. I. 84. de ICto amore capto. *Quique aliis cauit, nec cauet ipse sibi.* Conjectura Gudii ante oculos habuit Phaedrus Ter. Heaut. V. I. 50. sq. Alii capiunt τὸ *consulere* sensu, quo cepit Plaut. Captiv. II. II. 5. 6.

Vs. 3. *Oppressum.* Eleganter. Hoc verbum enim proprie est, inopinantes et imparatos inuadere, ita vt fugiendi adimatur facultas. Cl. Hartman. producit locum Justin. L. XI. 2. de Alexandro M. *tanta celeritate Graeciam oppressit, vt, quem venire non senserant, videre se vix crederent.* — *Fletus edentem graues*, *der jämmerlich schrie.* Cl. Sattler. *den des Adlers Kralle hielt, und der laut ächzte.* L. I. F. XII. 12. *tunc moriens vocem hanc edidisse dicitur.* Cic. II. Tusc. c. 15. dixit, *ploratus turpissimos edere.* Ovid. IV. Met. 587. *aliquos parat edere questus*, teste Burmanno.

Leporem objurgabat Passer: vbi pernicitas
Nota, inquit, illa est? quid ita cessarunt pedes?
Dum loquitur, ipsum Accipiter nec opinum rapit,
Questuque vano clamitantem interficit.

cumulari omissa copula. Anon. Nil. habet *et fletus dantem*; sed *edere* recte. v. Notas.

Vs. 4. *objurgabat*, reprehendebat cum irrisione. Vid. vs. 9. *vbi.* Elegantissimus in exprobrationibus et irrisionibus hujus particulae vsus. Tac. Ann. L. XV. C. 62. *vbi praecepta sapientiae, vbi per tot annos meditata ratio aduersum imminentia?* plurima exempla congesserunt Heins. ad Ovid. Ep. IV. vs. 150. et Freinsh. ad Tac. Annal. II. 2. *Burmann.* De vsu formularum, *vbi, vbi est, vbi nunc est* vid. Jani A. P. p. 346. et Cl. *Bolt.* in Silv. Crit. p. 97. coll. Progr. Harles. ad L. I. F. II. laudato. Haec dicit passer per Sarcasmum. vs. 9. *Vbi est* cet. verte: *wo bleibt deine sonst so bekannte Geschwindigkeit?*

Vs. 5. *illa.* Eleganter de rebus, quas laudamus. Cic. Manil. C. 9. *Medea illa.* Vellej. II. 41. *magnus ille Alexander* — *quid.* Locutio elliptica pro *ob quid*, i. e. cur, vt Graecorum τι pro διὰ τι. Ter. Andr. II. II. 3. *laetus est, nescio quid.* Sic alibi saepe. Cf. Scheffer. *cessarunt*, Faber explicat: cur pigri et tardi facti sunt? melius Burmannus: cur officium, strenue currendo et te exitio eripiendo, non fecerunt? nam hoc verbum significat etiam, languide et negligenter aliquid facere, vt docuit Vavassor de vi et vsu quorumdam verbor. Vide loca a Burmanno laudata, Virg. Aen. VI. 51. ibique cel. Heyne; it. Hor. I. Ep. II. vs. penult. Male haec reddidit Gerike: *will nicht der Schnellfuſs fort?* melius Schulzius: *warum thun sie ihren Dienst nicht?* nisi quod per perfectum efferendum erat, cum lepus oppressus teneatur ab aquila, nec amplius in cursu sit. Neque etiam hoc loco placet Sattlerus: *warum so schlecht zu Fuſs?*

Vs. 6. *nec opinum*, non opinantem, nil tale metuentem. *Nec* saepe vsurpatur pro *non.* Cic. pro Quinct. 4. *quo mortuo nec ita multo post in Galliam profectus est Quintius.* Id. ad Div. XIII. 18. *admirabar, te ei nec opinanti voluntatem tuam tantam per litteras detulisse*, vbi vid. Cort. Cf. Tursell. de Par-

Lepus semianimus mortis in solatio:
Qui modo securus nostra irridebas mala,

Vs. 8. *semianimus.* Bentl. *semianimis*, quod est vsitatius. *in solatio.* Varie tentatus locus. Codd. Pith. Rem. et vet. Edit. *in solatio*, quod praeter Gronov. Perizon. et Barth. in Notis memoratos, recte probant Rigalt. Bentl. Hoogstrat. Burmann. Heusinger. Brot. Desbillonius. Hanc lectionem etiam tuetur, etsi paullo alio sensu, Cannegieter. ad Avian. p. 301. qui multa profert exempla, quibus haec Phaedri scriptura confirmetur, et quae probare contendit, sollemnem esse in vsu praepositionis *in* casuum accusatiui et ablatiui permutationem. Ita Justinus L. XVIII. C. I. 3. *duobus paruulis filiis, Alexandro et Heleno,* in solatio *longinquae secum expeditionis adductis*, et L. XVII. C. II. *cujus sororem Lysimachus* in matrimonium *habuerat.* In his tamen locis et aliis lectio nondum satis certa esse videtur. Legunt enim alii, vt Bipontini, in locis memoratis *in solatia, in matrimonio.* Alii alia tentarunt. Jam olim *solatio* suspectum habebat Scioppius. Etiam Meursius reponit *in solatium*, cui deinde obsecutus est Cuper. L. II. Obs. C. 20. vt sit dictum,

---

tic. p. 683. Edit. Schwarz. et Stat. Silv. I. C. 3. vs. 53. *calcabam nec opinus opes*, qui locus Desbillonio debetur. Adde L. V. F. VII. 8. *rapit*, celeritatem actionis eleganter exprimit.

Vs. 8. *in solatio.* Solatium mortis est id, quo in ipsa morte leuamur, vt non tam acerba sit. Vid. Schirachii Clav. P. I. p. 347. Senec. N. Q. VI. *nullum est majus solatium mortis, quam ipsa mortalitas.* Interdum vltionem *solatium* vocant scriptores, quae pereuntibus ipsius mortis solatium praestat. Stat. Theb. I. 596. *moestae solatia morti Phoebe paras*, ad quem locum v. Barth. coll. Not. Ej. ad Theb. IX. 17. Plin. III. Ep. 14. *non sine vltionis solatio decessit, qui viuus vindicatus est.* Laudant quoque Interpretes. Ovid. Met. V. 191. Sensus h. v. est: cum solatium mortis suae perciperet lepus semiuiuus ex eo, quod passer, a quo irridebatur, simili morte periret. L. III. Obs. C. 8. Sic bene explicant Perizonius ad Sanctii Min. L. IV. C. 4. p. m. 634. Gronov. Barth. Adv. l. c. Memorat autem Perizonius l. c. inter alia locum Sallustii L. V. Historiar. Fragm. fin. *Sullam in victoria Dictatorem equo descendere, sibi vni assurgere de sella, caput aperire solitum*, i. e. cum victor esset.

Simili querelâ fata deploras tua.

sicuti *in spem, in contumeliam.* Frustra autem putabat, hic aliquid deesse. Vid. Barthii Adv. XLVII. 10. Nam solent crebro omittere verbum *inquit.* Meursii emendationem vel probant, vel retinent Faber, Praech. Danet. Salmas. ad marginem libri, Jördens. nisi quod Faber censeat, pro *solatium*, Phaedrum antique scripsisse *solatiom*, pro quo negligens ex-criptor scripserit *solatio.* Heinsius satis ingeniose: *lepus semianimus: mortis en solatia!* vt sint verba leporis. Quae conjectura placet Hario. Simili modo Sanadon. et Philipp., quos sequitur Lallem. *en solatium*; quod magis, quam Heinsii conjectura, recedit a scriptura Codd. MSS. v. Brotier. Freinshem. vulgatam putat posse ferri, nec hiulcam esse orationem. Gebhard. III. Crepund. 17. legit *mortis cit*, vel *init solatium*, quod non ferendum esse, recte existimat Burmann. Wopkensius in Misc. Obs. Nov. T. X. p. 169. conjicit, vt fere Faber, *mortis in solatia*; sic enim propius accedit ad veterem scripturam, vt sensus sit: tum lepus semianimus hoc dicto se in morte sua solatur. Non tamen plane repudiat *in solatio.* Cl. *Jakob* edidit *in solatia.*

Vs. 10. *deploras.* Harius mallet, *nunc ploras*, quia praecessit *modo*, et certe L. V. F. II. 8. 10. post *adjuuisses modo* sequitur, *nunc conde ferrum.* Sed cum Phaedrus vix cogi possit, eodem semper modo loqui; cum etiam Anonymus Nil. *deploras* habeat, retineo vulgatum. Aliter contra Anglum disputat Burmann. Cannegieter ad Avian. p. 27. *deplora.* Barthio Adv. XLVII. C. 10. versui 10. signum interrogandi videbatur subdendum, vt sarcasmo quodam lepus passerem roget, ecquid simili querela vti didicisset. Vid. ad vs. 10.

Vs. 10. *simili querela.* Huic locutioni lux affunditur e vs. 3. vbi graues fletus edentem leporem fecerat poëta; coll. vs. 7. *Du beklagest dein Schicksal, so gut wie ich.*

Haec fabula non legitur apud Romulum; sed Anonymus Nilant. F. LVII. corruptam et paullisper turbatam exhibet. Nihilo vero secius patet, Anonymum Phaedri Codicem ante oculos habuisse; cum e Romulo haurire non potuerit. Compara Fab. Aesopi XXVII. Ἐχθροί, in Edit. Hauptm. p. 23. Aquilam lepores inuadere, testantur Aristoteles Histor. Anim. L. IX. C. 235. et Virg. Aen. L. IX 563. sq.

FABULA X.

LUPUS ET VULPIS JUDICE SIMIO. *)

Quicunque turpi fraude semel innotuit,
Etiamsi verum dicit, amittit fidem.
Hoc attestatur breuis Aesopi fabula.
Lupus arguebat vulpem furti crimine:

Vs 2. *Etiamsi verum dicit.* Anonym. Nil. *etiamsi verum dicat.* Romulus Div. *etsi verum dicat.*

Vs. 3. *Hoc attestatur.* Scheff. mallet, *hoc et testatur.* Cuningham. emendandi prurigine captus: *id haec testatur.*

Vs. 4. *furti.* MS. Pith. *forti.*

---

*) Hanc fabulam effuse laudant Rittershus. ad h. l. et Barth. Adv. L. XLVII. C. 10. qui ista haud rectius Phaedrum quidquam, aut fauentioribus Musis concinasse scribit; aliter tamen sentiente Cl. *Gail*, cui fabula minus feliciter videtur inuenta. Non legitur inter Graecas Aesopi fabulas.

Vs. 1. *innotuit fraude. Wer einmal als ein schändlicher Betrüger bekannt ist.* Locis, a Burmanno laudatis, adde loc. Val. Max. VIII. C. XIV. Ext. 5. *qui dummodo aeternam memoriam assequantur, etiam sceleribus innotescere non dubitarunt.* L. V. F. V. 8. dixit: *scurra notus vrbano sale.*

Vs. 2. *amittit fidem*, non inuenit fidem, seu, vt Romulus Div. expressit, *illi non creditur.* Opponitur enim τῷ *etiam si verum dicit.* De hoc Promythio Lessingius (*zur Gesch. der Aesop. Fab.* p. 241. l. c.) ita judicat: *die Moral, die Phaedrus aus der Fabel ziehet, ist viel zu allgemein. Die eigentliche Moral ist diese: dass es eine sehr kützliche Sache sey, eine Streitigkeit zu schlichten, wo beyde Theile als Betrüger bekannt sind.*

Vs. 3. *attestatur* auget aliquantum significationem simplicis.

Negabat illa, se esse culpae proximam:
Tunc judex inter illos sedit Simius.
Vterque caussam cum perorassent suam,

Vs. 5. *culpae proximam.* Heins. et Gudius rescribi jubent, *culpae obnoxiam.* Sed defendi potest vulgatum. Cf. Not. Bentlejus: *negabat illa, se esse culpae huic proximam.* Perperam. Certum enim est lectori, de qua culpa agatur. v. Burmann.

Vs. 5. *culpae proximam,* ream. Sic explicat Romul. L. I. F. 19. Latinitatem hujus locutionis vindicant Gud. et Burmann. quos vide, additis Schefferi Notis. Dixit *culpae proximam,* pro, propinquam; quemadmodum, qui vacant culpa, abesse a culpa dicuntur, vt Ovid. I. Trist. II. 98. Sic Terent. *culpa a me est procul.* Apud Tertull. de Pallio C. IV. est, *ita demum culpae prope est, habitum transferre,* vbi v. Salmas. p. 277. Simili modo Auctor Declamationis, quae nomine Sallustii in Ciceronem circumfertur, *is erat calumniae proximus.* Haec Cicero ita expressit, vt saepe dicat *affinem*, i. e. participem, *culpae, noxae, facinori,* vt Lexica docent. At Val. Flacc. L. III. 301. in Oratione Mopsi: *At quibus invito maduerunt sanguine dextrae, Si fors Saeua tulit miseros, si proxima culpae;* ad quem loc. v. Heinsium ad Ovid. A. A. L. I. 395. et Viros doctos in Edit. Harles. Val. Flacc. Simili modo Graeci vsurpant vocem ἐγγύς, de cujus vsu docte disputat *Wakefield.* in Silv. Crit. P. III. Sect. CLI. p. 161. sqq. vbi laudat hunc Phaedri locum, addens: „Phaedri comitas Graecam venustatem suam fecit. In hac fabula Bentlejanas interpolationes non probo, concinnae facetissimi scriptoris breuitati neutiquam conuenientes, me saltem judice. Cf. V. L. ad h. v.

Vs. 6. Sensus: tunc simius judex inter illos constitutus fuit. *Sedere* enim proprie de judice. Plin. L. VI. Ep. 33. *sedebant judices centum et octoginta.* Propert. L. III. XIX. (XVIII.) 27. *Minos sedet arbiter Orci.* Cic. Rosc. Am. C. 53. *si idcirco sedetis.* Plura dabit Cl. Hartman. Cf. etiam IV. XVII. 22. Dixit autem *inter illos* vt Cic. Div. I. C. 50. *judicauit inter Deas tres.*

Vs. 7. *Vterque* cum plurali. Sic Plaut. Curc. I. III. 31. *vterque insaniunt.* Tac. Hist. L. II. C. 97. *vterque ambigui* (erant) *perorassent.* *Perorare caussam* est, dicere, agere caussam, seu caussam suam proponere judici.

Dixisse fertur Simius sententiam:
Tu non videris perdidisse, quod petis;

Vs. 8. *sententiam.* Cod. Pith. *sentiam*, e compendio. Heinsius *sententiam hanc*, quod recte displicet Burmanno, cum non dubium sit, de qua sententia sermo sit. Bentlej. *dixisse hanc fertur S. s.* Cuninghamus: *hanc dixe fertur S. s.*

Nota proprietatem verbi. Cic. pro Sext. C. 2. *a Q. Hertensio caussa est P. Sextii perorata.* Id. pro Coel. C. 29. *dicta est a me caussa, judices, et perorata.* Gallicus Interpres, *ayant plaidé sa cause.*

Vs. 8. *Dixisse sententiam.* Loquendi formula sollemnis de judice Vlpian. in L. judex D. de re judicata: *judex postea, quam semel dixit sententiam, judex esse desinit.*

Vs. 9. *Tu*, intellige Lupum. *non videris.* Moribus receptum erat, quae jurati judices cognouissent, vt ea non esse facta, sed vt *videri* pronuntiarent. Cic. L. II. in Verr. C. 38. *Vix ille hoc dixerat, cum iste pronuntiat, Sthenium litteras publicas corrupisse videri.* Idem in Pisonem: *tum tu ipse de te videri fecisse pronuntiasti.* Vid. Brisson. de Form. L. V. p. m. 482. et quos laudat Rittershus. Hac formula, notante Burmanno, vsi videntur Romani judices, quia saepe etiam in factis, vt apparet, euidentissimis, falli solent mortales, et in rebus humanis plurima incerta esse euentu docemur. *perdidisse.* Potest quidem hac sententia vterque mendacii damnatus fuisse intelligi. Sed tamen, cum etiam vulpes *surripuisse* judicetur, ego de lupo *perdidisse* ita explico, vt ipse antea furto rem surripuerit, quam nunc, vulpe iterum ab eo auferente, nihil videtur perdidisse, quia non erat res propria, sed furtiua. Similis est sententia Diogenis apud Laërt. VI. 54. quam dixit duobus juris peritis, τὸν μὲν κεκλοφέναι, τὸν δὲ μὴ ἀπολωλεκέναι. vbi male in versione legitur, *alterum quidem nihil furatum esse, alterum vero nihil perdidisse,* cum in priori membro *nihil* expungi debeat. Adduxit ibi Menagius hanc Phaedri fabellam. *Burmann.* Compara tamen, quae objicit cl. *Lange* Prolegg. ad Phaedr. p. 19. Nam si admittatur interpretatio Burmanni et, qui huic obsequitur, Schulzii, censet vir doctus, lupum, arguentem vulpem furti crimine, verum dixisse putandum esse; id quod repugnat scopo fabulae, quae cum lupum, tum

Te credo surripuisse, quod pulcre negas.

Vs. 10. *surripuisse.* Ita quoque Anon. Nil. et Romulus. Heinsius tamen, vt sit mitior numerus, mallet *surpuisse,* exemplo Catulli et Horatii. Vid. Heins. ad Ovid. IV. Met. 556.

---

vulpem exhibeat mendaces. Fingit igitur, vulpem aliquid surripuisse; at non lupo, sed aliis. Sic enim vterque ei mentiri videtur; lupus, statuens, vulpem aliquid sibi esse furatam; vulpes, negans omnino, se culpae esse proximam.

Vs. 10. *Te* refer ad vulpem. *pulchre.* Scheffer. recte explicat, scite, speciose, callide; Funccius in sua Phaedri paraphrasi: *quod multis verbis ambitiose negas,* quae interpretatio neque ex ipsa fabula elucere, neque exemplis ad probandum idoneis firmari mihi posse videtur. Melius Desbillon. *praefracte,* laudans Cic. pro Cluent. C. 26. *hic ille planus — totus ex fraude et mendacio factus* pulchre *asseuerat;* quo loco tamen *pulchre,* forsan rectius, explicari potest, speciose, callide, vt jam olim Scheffero obseruatum, et nuper Cl. Schellero in Lexico. Scite Cl. Sattler: *Doch schlauer Lügner, dich halt ich für einen Dieb.* Ceterum Phaedrus passim isto vocabulo vtitur, vt L. V. F. V. 10. L. IV. F. XX. 2.

Compara *Romuli* F. XIX. L. II. *Anonymi* Nil. F. XXVIII. *Anonymi Neveleti* F. XXXIX. *Lichtwehr.* L. I. F. XIII. *Camerarii* F. *Lupus* et *Vulpes* p. m. 204. sed qui paullo aliter narrat fabulam; *Fontanii* L. II. F. III. vbi lege notam Auctoris.

FABULA XI.

ASINUS ET LEO VENANTES.

Virtutis expers, verbis jactans gloriam,
Ignotos fallit, notis est derisui.

Vs. 1. 2. Bentlejus edidit: *Virtutis expers verbis jactans gloria*; laudans L. I. F. IV. 5. et Fab. XIII. 12. Idem igitur esset, ac si Phaedrus scripsisset: gloriosus, virtutis expers, verbis jactans. Sed nunc quaeritur, quid jactet gloria? An forte res gestas? quae esset Ellipsis inaudita. Lege Burmannum, qui fuse contra Anglum vulgatum tuetur. Brotier. *verbis captans gloriam.* Etsi vero *nulla mihi captatur gloria* Ovid. Trist. V. I. 75. dixit; tamen, quia vulgata lectio satis defendi potest, recte retinetur. *ignotos.* Barth. Adv. L. XLVII. C. 10. *ignotus fallit, notus est derisui*, quod displicet, quia *notis* et *ignotis* est in omnibus Codd. Confer tamen Ejusdem Barthii Adv. L.

Vs. 1. Facile accedo Burmanno, qui hunc versum intelligit de ignauo et glorioso milite, vt a Plauto et Terentio inducitur, qui jactat res suas bello gestas, quasi virtute sua gloriam illam militarem consecutus esset, cum sit virtutis expers. Gloria enim proprie in bello adquiritur. Ter. Heaut. I. I. 60. *ibi rem et gloriam reperi.* Vid. etiam ad F. VII. 3. Non male igitur h. v. vertas: *wenn ein Feiger mit seinen Thaten prahlt.* Albinus, *celui qui vante ses beaux faits.* Dicitur autem *jactare gloriam*, i. e. gloriose facta, seu gloriam virtutis, vt *jactare genus et nomen.* Hor. Od. I. XIV. 13. Ovid, Her. XVI. 81. *jactare regna et virtutem.* Caes. B. C. III. 83. *vrbanam gratiam et dignitatem.* Ipse Phaedrus dixit L. I. F. XXII. 12. *meritum inane jactant.* Sed τὸ *verbis jactare gloriam*, respondet τῷ *verbis extollentes virtutem gloriamque* Livii L. XXI. C. 20. quem locum Burm. affert. Rittershus. Scheff. alii *virtutem* pro viribus et robore capiunt, vt L. III. F. VI. 11.

Vs. 2. *Ignotos*, qui eum ignorant, non norunt. Actiue, vt L. I. F. XIV. 2. *ignoto loco.* L. V. F. II. 11. dixit, *vt possis alios ignorantes fallere.* Avianus F. V. 17. *forsitan ignotos mutato tegmine fallas.* Plura dabit Gud.

Venari Asello comite cum vellet Leo,
Contexit illum frutice, et admonuit simul,
Vt insuëta voce terreret feras,

XXXIX. C. 7. In nohnullis Fabri Editionibus est, *ignaros.* Male. v. Gud.

Vs. 5. Cl. *Jakob*, vt occurreret objectioni Lessingianae, (Cf. Excurs. VII. fin.) edidit: *vt in specu voce terreret feras.* Quae emendatio est admodum dura, et facit versum claudicantem et vna syllaba breuiorem. Vid. *Ephem. Gotting.* ann. 1785. Partic. 164. *Allg. Litt. Zeit.* ann. 1785. II. 281. Quodsi poëta exprimere voluisset, quae sunt in fabula graeca (v. Exc. cit.), alio modo et luculentius expressurus fuisset. Recte igitur Censor eruditus in Ephem. Litt. Gothan. ann. 1785. p. 411. *so hingeworfen und unvorbereitet schreibt kein guter Schriftsteller.* Displicet etiam ista emendatio Langio Prolegg. ad Phaedr. p. 19. sq. qui praeter alia objicit, τὸ *specu*, si admittatur conjectura, capiendum esse in plurali, cum non probabile sit, omnes bestias in vna fuisse specu. Frustra. Nam et in fabula graeca vna tantum memoratur specus, in qua erant caprae siluestres.

Vs. 3. Poësis compositionem vulgarem inuertit.

Vs. 4. *Contexit illum frutice*, occuluit illum fruticibus, seu, vt Burmannus explicat, in fruticeto eum latere jussit. *Frutice* per Enallagen ponitur pro fruticibus. Non enim leo asinum frondibus texisse putandus est, quod quidam statuunt, vt Cl. *Jakob*, cujus praef. vide p. 13. cl. *Büchling.* ad h. l. et Santoroc. Vnde Vs. 11. *asinum euocat* sc. e fruticibus; hinc *exitus noti* e fruticeto. *Contegere* autem est occulere. Sic Caes. B. G. VIII. C. 5. *in tecta Gallorum milites contegit.* Cic. Provinc. 4. *contegere vitia fronte.*

Vs. 5. *insuëta* non ipsi asino, sed feris, quae adsuetae clamoribus venatorum et canum, quibus complebant nemus, numquam asini vocem audiuerant in venatu. *Burm.* Sic Burmannus recte interpretatus est, cui paruit cl. *Lange* in Editione Phaedri p. 11. addens, hanc interpretationem Promythio optime esse accommodatam. In Prolegg. tamen ad Phaedr. p. XX. mutauit sententiam: *Wenn der Löwe*, inquit, *den Esel verbirgt, so mufsten ihn doch die Thiere kennen, und wenn sie ihn kannten, so kannten sie auch wohl seine Stimme, daher ich jetzt lieber* insueta (sibi)

Fugientes ipse exciperet. Hic Auritulus
Clamorem subito totis tollit viribus,

Vs. 6. *Fugientes ipse exciperet.* Vid. Excurs. VII. *Hic auritulus.* De varietate lectionis hujus loci vid. Exc. VII.

Vs. 7. *Clamorem subito.* Cod. MS. Rem. quem Meursius sequitur, *clamorem subito*; MS. Pith. *clamorem et subito*, quia praecesserat *auriculas*; Cod. Dan. *clamorem subitum t. t. v.* Hinc ediderunt varie. Nevelet. Rigalt. 2. Walch. Vrsin. *clamore subito*; Faber, Hoogstrat. *clamorem subitum*, quod probant Scheffer. qui antea legi jubebat *clamores subito*, et Cl. Schirach. in Clav. P. I. p. 30. recepit etiam Didot. Heins. *clamores subitos.* Sed recte placuit lectio Cod. Rem. Sic L. IV. F. V. 29. L. I. F. XII. 7. F. XV. 5. L. II. VII. 7.

---

für die richtigere Erklärung halten möchte. Quaerit etiam vir doctus: si vox asini feris insueta erat, vbi nouerat leo? Sed non anxie disquirendum, vbi et qua ratione leo in familiaritatem venerit asini. Poëtae sufficit indicare, vocem asini non solere audiri in siluis. Deinde si vox *insueta* explicanda est *sibi*, i. e. asino; asinus voce haud naturali feras terruisse existimandus est. Quod quomodo efficere potuerit, equidem non ausim diuinare. An bestiae aliam vocem, quam naturalem, possunt emittere? Denique, si leo asinum contegit frutice, inde colligi non potest, feras auritulum noscitasse facie, aut ejus vocem jam olim audiuisse. Nam si asinus, bestia illa ignaua et imbellis, illud naturae dedecus, in conspectu ferarum coepisset rudere, vix sperare poterat leo, fore, vt istae fuga salutem peterent. Hinc occuluit fruticeto. Ceterum notandum, Epitheton *insueta* esse quadrisyllabum, per Diaeresin. Cf. Walsius in Senar. p. 154. *feras.* Graeca fabula habet capras silvestres (αἶγας ἀγρίας); Romulus vulpes et lepores.

Vs. 6. *exciperet*, vt ipse leo fugientes feras excipere posset. *Vt* enim e vs. praec. repetendum. Apte respondet τὸ *excipere* τῷ *fugientes.* Phaedro praeiuisse videtur Virg. Eccl. III. 18. 19. *Excipere* autem est verbum proprium venatorum, qui feras agitant atque dejiciunt. v. Scheff. Apte laudat Burm. Senec. I. de Ira II. *venator cum et fugientes persequitur et venientes excipit.* Cui loco adde Hor. III. Od. XII. vs. vlt. *latitantem fruticeto excipere*

Nouoque turbat bestias miraculo.
Quae dum pauentes exitus notos petunt,
Leonis affliguntur horrendo impetu.
Qui postquam caede fessus est, Asinum euocat,

Vs. 10. *affliguntur.* Olim legebatur *afficiuntur*, quod est in MSS. Pith. et Rem. Edit. Rigalt. 2. Nevelet. Vrsin. Sic quoque Barth. Adv. III. C. 19. qui frustra *adficere* explicat, vexare. Nam *affliguntur* habet Cod. Dan. quam lectionem genuinam omnes fere Critici secuti sunt.

Vs. 11. *Qui.* Pithoeus, cui et Brotier. obsequitur, *hic.* Atque etiam Heinsius *hic*, vel *hinc*, vel *ibi* conjicit. Sed melius in MSS. Pith. et Rem. legitur. *qui. est.* Deest in MSS. Pith. et Rem. Itaque Gudius *m* in *asinum* non putat esse elidendum, vt constet versus; vel legi posse *defessus*, absorpta syllaba *de* a *caede*, quod praecedit. Hoogstratan. Gudium secutus, delet *est*.

---

aprum. Hic, eleganter pro *tunc.* Cic. V. in Verr. C. 28. *hic illi flentes rogare coeperunt. Auritulus*, graphice et exquisite pro asino, etsi quoque lepores *auriti* dicantur Virg. G. I. 308. Solent enim poëtae animalia ab ea corporis parte, qua maxime cognoscuntur, denominare. Sic *barbatus* pro hirco L. IV. F. IX. 10.

Vs. 8. *turbat.* Fortius est et, vt ait Cl. *Tzschucke*, ad fugam accommodatius, quam *terret. miraculo.* Eleganter pro voce, antehac in siluis numquam audita. Male refert Rigalt. ad tegmen, quo asinus velatus fuerit. Sed v. ad V. 4.

Vs. 9. *exitus notos*, adsuetas elabendi vias. Bene Burmannus: „Nihil frequentius apud poëtas et alios, quam res *notas* vocare, quibus quotidie vtimur, quas videmus, audimus assidue. Infra L. II. F. V. 17. *noti flexus.* Hor. I. Od. 2. *nota quae sedes fuerat columbis.* — Exitus autem eleganter vocantur angusti tramites et loca, per quae et in bello milites et in venatu, nam haec semper componi solent, ferae elabi solent. Vid. Gronov. ad Liv. L. IX. 15. Edit. prior.“

Vs. 10. *affliguntur*, alliduntur terrae. Cf. Gronov. Obs. IV. C. 8. vbi tradit differentiam inter *affici*, *affligi* et *affigi*, quae confusa in veteribus libris ambiguas nonnumquam reddunt lectiones. Vid. V. L. Versu 7 — 10. viuide narrata sunt omnia.

Vs. 11. *euocat* e fruticeto. Vid. ad v. 4.

Jubetque vocem premere. Tunc ille insolens:
Qualis videtur opera tibi vocis meae?
Insignis, inquit, sic, vt nisi nossem tuum
Animum genusque, simili fugissem metu.

Vs. 12. Gudius: *jubetque vocem premere: ea re ille insolens.* Contendit enim, in Cod. quo vsus sit, i. e. Pith. deesse *tunc*, a Pithoeo nimis audacter excogitatum. Multis autem disputat de vsu vocularum *ea re*, pro ideo, ea de caussa. Plurimi tamen *tunc* retinent; sed Cuninghamus edidit *contra ille insolens*; Brotier. *tunc iste insolens.*

Vs. 13. *opera.* Nevelet. Vrsin. ediderunt: *qualis tibi videtur opera haec v. m.* Desbillon. *qualis videtur tibi opera haec v m.* Sed in MSS. *haec* abest. V. Gud. In Cod. Dan. est, *qualis tibi vocis meae videtur opera*, teste Rigaltio. Recte reponunt Gud. et Salmas. ad oram libri lectionem, quam dedimus.

Vs. 15. *simili fugissem metu.* In MSS. Pith. Rem. et Vett. Editt. vt Rittershus. Nevel. Rigalt. 2. *simili fuissem in metu.* Sed recte placuit viris doctis lectio Codicis Danielis *simili fugissem metu.* Praecedit enim *fugientes ipse exciperet*; item *exitus notos petunt.* *Fuit* et *fugit* in MSS. saepe confusa fuisse, apparet ex Not. Heinsii ad Ovid. Ep. XVII. 192. I. Amor. XI. 15. Faber, vt succurreret metro in vulgato *fuissem*, scribebat *fuuissem*, sicut Plautus *fuuerim*, et Lucilius *adfuuissemus*, ab antiquo *fuo*, extulere. Cf. Fabri Notas.

Vs. 12. *Iubet* pro auctoritate sua et imperio; est enim rex animalium. *vocem premere*, comprimere, i. e. tacere, vt Virg. L. IX. Aen. 324. de Mnestheo, *sic memorat vocemque premit.* Vid. Scheffer.

Vs. 13. In graeca fabula haec ita exprimuntur: ἐι γεννάιως ἠγωνίσατο, καὶ τὰς ἄιγας ἐξεδίωξεν. Hunc vs. verte: *Habe ich dir mit meiner Stimme nicht einen wichtigen Dienst gethan?*

Vs. 14. 15 *Insignis* cet. Haec sunt ironice dicta. *sic.* De eleganti vsu hujus particulae pro *tam insignis*, vid. Burm. *genus* non qualitatem notat, vt Scheff capit, sed gentem. vt L. I. F. III. 10. *redire coepit ad proprium genus.* Sic de ranis L. II. F II. 15. *pauidum genus.* L. I. F. XXXI 6. *genus inerme*, de columbis. Hor. I. Od. II. 9. *genus piscium.* Haec locutio notante Burmanno, ab homi-

nibus translata, de quibus *genus* saepe pro gente ponitur, vt Justin. II. 4. *genus se Scytharum esse.* Vid. Freinshem. ad Curt. V. I. 40. Graeca fabula haec ita exhibet: εὖ ἴσθι, ὅτι κἀγὼ ἄν σε ἐφοβήθην, εἰ μὴ ᾔδειν σε ὄνον ὄντα, quod et facetius et significantius Cl. *Ernesti* ad Aesop. p. 171. esse videtur, quam verba Phaedri. Nam in illo latere ait Satyram, quam Phaedrus ita explicet, vt paene in conuicium degeneret.

Compara *Romuli* Lib. IV. F. 10. *Aesopi* Fab. 230. ap. Nevelet. p. 272. Ej. F. 227. p. 170. Edit. Ernest. Fab. 227. p. 176. Edit. Hauptmann. *Lessingii* L. II. F. 7. 8. 26. Cf. quoque Excurs. sub finem.

FABULA XIII.

CERUUS AD FONTEM.

Laudatis vtiliora, quae contemseris,
Saepe inueniri, haec exserit narratio.

Vs. 1. 2. In Cod. Dan. hi versus ita exhibentur: *Saepe esse vtiliora, quae contemseris, Ejusce rei testis haec narratio est,* pro quo Heinsius legi jubet: *Saepe esse factu vtilia, quae contemseris, Ejusce reji testis haec narratio est;* vel ad vestigia libri scripti melius: *Saepe esse vtilia, more quae contemseris, Ejusce reji t. h. n. e.* vt *more* sit aut *de more*, quo sensu passim occurrit, aut positum pro *stulte*, vt L. III. Prol. 47. quae poste-

---

Vs. 1. 2. Sensus: Haec fabula docet, ea quae contemnuntur, saepe esse vtiliora iis, quae magni facere solent homines. *Narrationem* pro fabula dixit L. V. F. II. 14. *exserit* est, notum facit, aperit, de eo quod latebat. Senec. Herc. Oet. 255. *secreta mentis exserit.* Sic bene Scheff. Idem enim propemodum est, quod *nudare.* Hinc *enses exserti* apud Ovid. Fast. III. 814. et *mammae* exsertae Aen. I. 492. Apertam *veritatem* dixit *Salvianus* de Gubern. Dei L. V. p. 169. quam paullo ante *exsertam* dixerat; teste Hartmano. Hoc verbum ad singularia Phaedri refert Burm. *Laudata,* quae opponuntur contemtis, Schefferus recte interpretatur aestimata, magni facta. Non enim hunc locum tantum intellexerim de membris vilibus et deformibus, quae saepe sunt vtiliora pulchris, quod vult Burmannus hanc interpretationem erudite illustrans; cum putem, hocce Promythium patere latius. *Inueniri,* pro deprehendi experimento, elegantius est, quam *esse.* Verbo substantiuo enim eleganter substituitur aliud, quod modum, vel effectum, vel euentum aliquem rei cuique aptum exprimat. Sic eodem sensu occurrit L. IV. F. XI. 17. Nep. Alcib. 1. *luxuriosus, dissolutus reperiebatur,* pro *erat* et L. I. F. XXIV. 10. *rupto jacuit corpore,* pro, rupta est. Cl. Hartm. laudat Plaut. Capt. III. IV. 50. *omnes inueniri similes tibi vis.* Cf. Ernesti Rhet. p. 147.

Ad fontem Ceruus, cum bibisset, restitit,
Et in liquore vidit effigiem suam.
Ibi dum ramosa mirans laudat cornua,

rior explicatio, judice Burmanno, omni veri specie caret. Itaque hic rejicit emendationem, vtpote minime necessariam. Ferri tamen posse putat ex Codice quod profertur, *saepe inueniri, testis est narratio.* Bentlej. edidit, *saepe inueniri, testis haec narratio est*; Coninghamus, *testis haec narratio*; Neveletus, *Laudatis vtiliora quae tempseris, Saepe inueniri, haec erit narratio.* Nam Cod. Rem. Vs. 2. habet *haec erit narratio.* Scaliger ad oram Editionis Rigalt. qua vtebatur, adscripserat, sibi hos priores versus non videri esse a Phaedro profectos, quos etiam Philipp. omisit. Sed Burmannus nondum potest induci, vt haec a librariis profecta credat. Pithoeus edidit, *exserit*, vt vero est simile, ex Codice.

Vs. 3. *ad fontem.* Romulus *de fonte.*

Vs. 4. *effigiem.* Cod. Dan. *fagiem.* Hinc conjicit Heins. *et in liquore vidit vt faciem suam.*

Vs. 3. Haec fabula etiam inter Arabicas Locmanni legitur p. 3. *Burmann. restitit.* Vid. L. III. VII. 4.

Vs. 4. L. I. F. IV. 3. dixit: *Lympharum in speculo vidit simulacrum suum.* Graecus: πίνουσα εἶδε τὴν ἑαυτῆς σκιάν. Aphthonius: ἑαυτὸν ἐθεᾶτο τοῖς νάμασι. Gerike, *im klaren Wasser*; Sattler. *im hellen Wasserspiegel.*

Vs. 5. *ramosa cornua.* Bene reddunt interpretes vernaculi: *zackigtes Geweih.* Rami ceruorum sunt cornuum aculei, *die Enden.* Fortasse ante oculos habuit Virgilii *ramosa cornua cerui* Ecl. VII. 30. Laudat Schefferus Plin. H. N. VIII. 32. *Indicia aetatis in illis* (cornibus) *gerunt, singulis annis adjicientibus ramos.* Pro *ramosa* alio loco Virg. Aen. I 190. dixit *cornua arborea. mirans laudat,* cum admiratione laudat, et hac dote mire sibi placet. Similiter, teste Burmanno, Ouidius de Narcisso, in fonte effigiem suam vidente et laudante Met. L. III. 424. *Cunctaque miratur, quibus est mirabilis ipse.* Graecus: ἐπὶ τοῖς κέρασιν ἠγάλλετο ὁρῶσα τὸ μέγεθος καὶ τὴν ποικιλίαν; quae *varietas* non ad *colorem*, sed ad cornuum minorum numerum et multiplicem figuram est referenda. Vid.

Crurumque nimiam tenuitatem vituperat;
Venantum subito vocibus conterritus,
Per campum fugere coepit, et cursu leui
Canes elusit. Silua tum excepit ferum,

Vs. 7. *subito.* Gudius, *subitis.*

Vs. 8. *leui.* Schefferus mallet *leuis*, quod non damnat Burmannus, sed tamen vulgatam lectionem retinet, quia *cursu leui* magis poëticum est, vt L. III. F. II. 10. *veloci saltu*, et in vulgata lectione magis mos Phaedri et aliorum poëtarum seruatur. Cuninghamus, *gyro leui.*

Vs. 9. *excepit.* Anon. Nil. et Romulus Divion. *suscepit.*

Ernesti ad Aesop. F. 181. p. 136. Anonymus Nilantii pro *mirans* habet, *sua cornua magna videns.*

Vs. 6. De metro hujus versus paullo insolentioris docte disputat Burmannus, qui duos vltimos pedes ex dactylo et jambo constare credit, *tem vitu|perat — nimiam tenuitatem.* Aphthonius: κατηιτιᾶτο τῶν ποδῶν τὴν ἀσθενείαν. Apte Cl. Sattler. *allzudünne Läufe.*

Vs. 7. *Venantum*, venantium, poëtice pro venatorum. Simili modo Aphthonius θηρῶντες. *Venantum canes* dixit Lucret. L. IV. teste Scioppio. Sic Virg. G. III. 541. *genus omne natantum*, pro piscibus. Ita *medentes*, pro medicis Lucret. I. 934. *Volantes* pro auibus. Cf. Gifanii Ind. Lucret. quem citat Burm. additis Scheff. et Praschii Notis. Sed in fabula graeca venator ille est Leo: λέων ἐπιφανεὶς ἐδίωκεν αὐτὴν (ἔλαφον).

Vocibus, consueto clamore, quo hortantur, canes. Sattler: *durchs Hollah!* (Halloh!) *der Jäger aufgeschreckt.* Addunt Romulus et Anonym. Nilant. *canum latratus. subito.* Vid. V. L. ad vs. 7. Fab. praec.

Vs. 8. *leui*, facili, agili, celeri propter crurum tenuitatem. Nota delectum Epitheti. Vid. V. L.

Vs. 9. *elusit.* Verbum gladiatorium. Gladiatores enim *eludere* dicuntur, cum ictus aduersariorum declinatione corporis effugiunt et frustrantur. Hinc *elabi.* Cic. Cat. I. 1. *quamdiu furor iste tuus nos eludet?* Manil. V. 163. *ille cito motu rigidos eludere caestus; Nunc exire leuis missas, nunc mittere palmas.* Simili modo Seneca Ep. 53. fin. *leuia tela laxo sinu eludit.* Cf. Hartman. Sed quia gladiator, aduersarii sui ictum declinans, spem hujus frustra-

In quâ retentis impeditus cornibus,
Lacerari coepit morsibus saeuis canum.

Vs. 10. Schefferus dubitat, an rectius sit *retentus impeditis*, vt impedita cornua sint ramis implicatis deuincta. Ego cum similes locutiones vtroque modo enuntiatae defendi possint, vulgatam retinendam esse censeo: nam cornua feri inter densos arborum ramos haeserunt, et his quasi vinculis ipse impeditus fuit ceruus. Sic Sallust. Jug. LIII. *elephanti impediti ramis arborum. Burmann.* Gud. pro *retentis* conjicit *retensis*, i. e. repandis.

---

tur, *eludere* frequentissima significatione ponitur pro deludere, decipere, frustrari. Tibull. II. I. 19. *Seges eludit messem fallacibus herbis.* Itaque poëta h. l. elegantissime vtitur hoc verbo de fallacibus ambagibus, seu, vt ait Schefferus, de illis flexibus circuitibusque implicitis et in se redeuntibus, quales cerui faciunt in fuga, et sic insequentes canes fallunt. Alii explicant *elabi*. Anon. Nil. *euadit.* Interpres Gallicus, *il s'echapa des chiens.* Ita Cl. Sattler. Adde Gesn. Thes. L. L. h. V. et Donat. ad Ter. Eun. I. I. 10. Forsan Phaedro praeiuit Virg. Aen. L. XI. 694. sq. *Excepit.* Locus eleganter dicitur *excipere*, in quem alii se recipiunt et tuto confugiunt. Cic. de Leg. II. 5. *patria, quae nos excepit, non secus dulcis est ea, quae nos genuit.* Hartman. citat Rutilii Itinerar. I. 338. *Flumen, quod tuto trepidas excipit ore rates.* Sic Kleistius canit: *Empfangt mich heilige Schatten.* Infra dixit Phaedrus *recipere.* Vid. L. IV. XXIII. 20. L. IV. VI. 4. *ferum.* Ferus absolute pro *fera* passim a Phaedro vsurpatur, notante jam olim Rittershusio. L. II. VIII. 14 de ceruo. L. II. F. I. 6. de leone. L. IV. F. IV. 3. de apro. De ceruo etiam Virg. dixit *ferum* Aen. VII 89. Apud antiquos pro quouis animante legitur. Sic Virg. Aen. II. 51. de equo. V. Dispontin. Sed re vera substantiuum m. g. subaudiendum.

Vs. 10. Cum cornua virgultis retinerentur, eoque ceruus impeditus fuisset. Sattler. *gehindert durchs verwickelte Geweih.*

Vs. 11. *Lacerari coepit.* Vid. ad L. I. F. II. 8. *Saeuis.* Infra L. I. F. XXXI. 12. *saeui vngues.* Epitheton elegans. Vid. ad L. I. F. II. 10. et V. L. ad L. II. F. III. 1.

Tunc moriens vocem hanc edidisse dicitur:
O me infelicem! qui nunc demum intelligo,
Vtilia mihi quam fuerint, quae despexeram,
Et, quae laudaram, quantum luctus habuerint.

Vs. 12. *edidisse.* Cod. Dan. *dedisse vocem hanc*, pro quo Heinsius legit: *edidisse vocem hanc.* Sed nil mutandum.

Vs. 13 *intelligo.* Heins. *intelligam.*

Vs. 14. MSS. Pith. et Rem. *vt illa mihi quam profuerint.* Itaque multae editiones: *vt illa mihi profuerint*, *q. d.* Sic Pithoeus, Rigalt. 2. Nevel. Vrsin. prima Burm. Funcc. Lallem. Scheff. Brot. Didot. omisso τῷ *quam*, quod videtur esse e glossa. *Vt* autem hic est *quantum*, et habet vim intendendi. Sed in Cod. Dan. est, *vtilia mihi quam fuerint*, quod respondet principio fabulae. Habet etiam Romulus: *quae mihi vtilia erant, vituperaui.* Recte igitur viris doctis placuit altera Cod. Dan. lectio.

Vs. 15. Hic versus Heinsio immerito videtur delendus.

Vs. 12. *edidisse vocem.* Laudat Burmannus Cic. de Div. I. 21. *vocem diuinam edidit Apollo.* Val. Max. VI. IV. ext. 3. *Alexander illam vocem nobiliter edidit.* Vid. ad L. I. F. IX. 3. Sed oratio Cerui moribundi abest in F. XVIII. Aphthonii et XLI. Anonymi Nil.

Vs. 13. *nunc demum.* Nimis sero. Ter. Heaut. II. III. 12. *vah! nunc demum intelligo.*

Vs. 15 *habuerint.* Ex interpretatione Burm. fecerint, importarint, vt L. I. F. XXVIII. 6. Dixit autem *habere luctum*, vt L. I. F. XIX. 1. *habent insidias blanditiae.* Cic. de Legg. II. 26. *habet luctum concursus hominum.*

Compara hanc fabulam, quae magno placet opere, siue spectes virtutes narrationis, siue Latinitatem et dictionem poëticam, cum *Aphthonii* F. XVIII. *Aesopi* F. 181. Edit. Hauptm. p. 137—139. Ernest. p. 135. sq. sed F. 184 ap. Nevel. p. 238. *Ignatii* F. XVII. *Anonymi* Nil. F. 41. *Anonymi Neveleti* F. XLVII. *Romuli* L. III. F. VII. Vid. etiam *Lessing* zur Gesch. der Aesop. Fab. p. 244. *Gleim.* F. 9. *Fontan.* L. VI. F. 9. Eamdem narrat *Locman* p. 6. Edit. Erpen.

FABULA XIII.

VULPIS ET CORUUS.

Qui se laudari gaudent verbis subdolis,
Sera dant poenas turpes poenitentia.
Cum de fenestrà Coruus raptum caseum

Vs. 1. 2. Vide Lectionis Varietatem in Exc. VIII. ad v. 1. 2.

Vs. 3. *fenestra.* Heins. conjicit *canistro*, quam emendationem satis probabilem existimat Burm. In canistris enim panis, edulia et coenarum reliquiae reponebantur. Vide, quae citat, loca Hor. II. Sat. VI. 105. Virg. Aen. I. 701. cet. Sed non satis constat, hic agi de reliquiis coenae; sed de caseo, qui forte venalis expositus erat in tabernae cujusdam fenestra.

Vs. 1. 2. *Verba subdola* sunt verba, doloso consilio facta, et composita ad voluntatem audientis, blanditiae. Plaut. Trinumm. II. I. 12. *eos cupit, eos consectatur, subdole blanditur.* Simili modo dixit Ovid. A. A. I. 598. *subdola lingua*; Caesar autem de B. G. L. VII. C. 31. *idoneos homines deligebat, quorum quisque aut oratione subdola, aut amicitia facillime capi posset.* Graecus: ὀ δεῖ τινα ὑπὸ τῶν κολάκων ἐπαίρεσθαι. Sed *gaudent*, exprimit Germanorum *gern*, quo sensu legitur apud Hor. L. II. Sat. VIII 62. *semper gaudes illudere rebus humanis.* Itaque vs. 1. verti potest: *Leute die sich gern Schmeicheleyen sagen lassen.* Poenas *urpes* dixit, ob turpitudinem et dedecus ex iis, quia fere, qui sic puniuntur, simul risui aliorum sunt expositi. Ita recte Schefferus. Poenitentiam *seram* dici, sollemne. Curt. L. III. C. II. 19. *sera deinde poenitentia subiit regem.* Liv. L. XXXI. C. 32. *celerem poenitentiam, sed eamdem seram atque inutilem sequi.* Alia exempla habes in Not. Burm.

Vs. 3. *de fenestra.* Fenestrae in genere erant foramina parietum, aut murorum, ad lucem accipiendam facta. Hoc loco cum Burmanno capere possis de tali in domus propolae pariete apertura, in qua cibi et aliae res venales proponebantur, vel pendebant, vt L. III. F. IV. 1. Virg. Aen. II. 482. *dedit*, effecit, *fenestram*, aper-

Comesse vellet, celsâ residens arbore;
Hunc vidit Vulpis, deinde sic coepit loqui:
O qui tuarum, Corue, pennarum est nitor!

Vs. 5. MS. Rem. *vulpis hunc vidit, dehinc s. c. l.* MS. Wissenb. *vulpis hunc vidit, deinde s. c. l.* Illud *deinde*, praeterquam quod metrum id postulet, vera est atque huic loco conueniens lectio. V. Gudius. Cod. Dan. teste Rigaltio. *Vulpes vt vidit, dehinc s. c. l.* MS. Voss. i. e. Cod. Dan. *vulpes vt vidit, deinde s. c. l.* alterutrum esse videtur a manu secunda. (cf. Exc. VIII. ad vs. 1. 2.). Heinsius mallet: *vulpes adiuit, deinde s. c. l.* Sed recte hanc emendationem rejicit Burmann. *Vidit* enim, non mouendum. Aesop. F. 208. ἀλώπηξ δὲ τοῦτον θεασαμένη; et ita Aphthonius. Salmasius: *vulpes vt vidit, sic dehinc c. l.* Burmannus probat *deinde sic coepit*, quod etiam placet Bentlejo et Hario. At non paucae Editiones habent, *dehinc sic occoepit*, vt Rittersh. Rigalt. 2. Vrsin. Santoroc. Hoogstrat. prima Burm. al. Sed Nevelet. edidit, *hunc vidit vulpes, dehinc sic coepit loqui.*

Vs. 6. Cod. Dan. *o quis pinnarum.* Anon. Nil. *o quis t. c. p. vigor est.*

---

turam, *ingentem lato ore* foramine, vbi v. cel. Heyne. *De* ad locum refertur, vi exemplis probat Hor. Tursell. p. m. 251. Vid. ad L. I. F. XVI. 6. *raptum caseum.* Graecae fabulae, excepta Aphthonii fabula, narrant, coruum rapuisse carnem, quod accommodatius videtur Lessingio l. c. p. 244. Faciliori enim negotio asportari poterat caro. Apulejus habet *raptam offulam.*

Vs. 4. *residens*, sedens. *celsa arbore*, in cacumine arboris, vt L. II. IV. 1. vbi vide. Bene autem *celsa*, vt tutius comederet. V. Tzchuck. Graecus: ἐπί τινος δένδρου ἐκάθισεν.

Vs. 5 *deinde* post breuem, vt ait Gudius, meditatiunculam, qua potissimum astutia coruo caseum eriperet. Eleganter passim sic vtitur Phaedrus hac particula, vt L. I. F. III. 6. L. III. F. VII. 3. *coepit.* Vid. ad L. I. F. II. 8. et Gud. ad h. l.

Vs. 6. Laudes corui simplicius expressit Graecus: ἐπαινεῖ αὐτὸν ὡς εὐμεγέθη τε καὶ καλὸν, addens, ὅτι πρέπει μάλιστα αὐτὸν τῶν ὀρνέων βασιλεύειν. *qui* etiam in interroga-

Quantum decoris corpore et vultu geris!
Si vocem haberes, nulla prior ales foret.
At ille stultus, dum vult vocem ostendere,
Emisit ore caseum; quem celeriter

Vs. 7. *decoris.* Cod. Dan. *decorem*, quod praefert Salmas. ad marginem libri, teste Gudio.

Vs 9. De Varietate Lectionis cf. Exc. VIII. ad vs. 9.

Vs 10. *Emisit.* Sic legitur in Codd. MSS. Pith. Rem. Anon. Nil Editt. Vett. multisque aliis. Alii, vt Lallem. *dimisit*; Salmas. *demisit.* At Burmannus, quem sequitur Cl. Schulze, legi iubet *amisit*; nam *emittere* vsurpari dicit, vbi volentes et conscii facti nostri, aliquid aut e manu, aut ex ore,

---

tionibus poni potest pro *quis*, i. e. qualis, etsi *quis* occurrat saepius; intendit autem orationem. Affert Scheffer. locum Cic. de Div. I. 25. *Xenophon qui vir et quantus? nitor.* Vid. L. III. F. XVIII. 7.

Vs. 7. *geris* ex ingenua Latinitate posuit *geris* pro, habes. *Gerere* enim est ita habere, vt et tu praeferas, et alii id respiciant et obseruent. Vide Scheffer. et loca Burmanno laudata Ovid. V. Met. 553. *cum virginis ora geratis* et Virg. I. Aen. 319. *virginis os habitumque gerens.* Cl. Sattler: *O welch ein schöner Bau des Körpers, des Gesichts!*

Vs. 8. *prior.* Axenius et Burmannus explicant, pulchrior te. Sic Hor. IV. Od. X. 4. *color puniceae flore prior rosae.* Ita in Priapej. Carm. 45. *num tandem prior es puella quaeso?* i. e. pulchrior. Hisce assentitur Cl. Tzschuckius. Sed *prior* explicandum, praestantior. Dicere enim vult: Si vocem haberes, praestares reliquis auibus non solum pulchritudine corporis, sed etiam voce. Liv. L. XXVII. C. 8. *ita repente exuit antiquos mores, vt nemo in tota iuuentute haberetur prior,* i. e. praestantior. *ales.* De hac voce lege fusam Burmanni disputationem, coll. Gesneri Thes. L. L. V. *ales.* Romulus: *nulla prior avis esset.*

Vs. 9. *At ille.* Phaedrus frequenter hac formula vtitur, vt L. I. F. XXI. 10. I. XV. 7. et sic saepius. *stultus* referendum ad coruum, non ad praecedens *nulla ales. ostendere* est ostentare, iactare, vt apud Virg. Aen. V. 376. *ostenditque humeros latos.* Sic fere L. V. F. V. 6. *nouitatem ostendere.* Burm.

Vs. 10. *Emisit ore*, abiecit. Vid. V. L.

Dolosa Vulpis auidis rapuit dentibus.
Tum demum ingemuit Corui deceptus stupor.

* * *

Hac re probatur, ingenium quantum valet,
Virtute et semper praeualet sapientia.

vt vocem, aut oculis, vt lacrimas mittimus, sed *amittere*, vbi quasi imprudentibus et insciis, et inuitis aut negligentibus aliquid elabitur; *emittere* vero hic esse remouendum, quia non sponte credendum sit coruum emisisse caseum, qui decepto et imprudenti elapsus sit. Sed cum in altera fabula Graeca sit *βαλὼν τὸ κρέας, μεγάλα ἔκραγεν*; in altera *ῥίψας τὸ κρέας μεγάλως ἐκεκράγει*; apud Aphthonium vero *τὸν τυρὸν ἐκβαλὼν, ἀνεκραγε·* atque etiam Romulus habeat: *ore patefacto oblitus caseum dejecit*: coruus dedita opera caseum abjecisse putandus est, quo melius vocem posset ostendere. Dixit autem Phaedrus *emittere ore caseum*, vt Caes. de B. G. I. 25. *scutum manu emittere, et nudo corpore pugnare*, quo loco *emittere* est abjicere. Itaque recentiores Editores recte retinent vulgatum *emisit*, vt Brotier. Bip. Desbillonius, Langius. Aptius etiam putat Cl. Tzschuck. propter sequens *ore*, et impetum motae vocis. At vero recte etiam dicitur *amisisti ore caseum*, vt Plaut. Mil. Gl. II. V. 47 *amisisti manibus praedam*.

Vs. 12. *Tum demum*. MSS. *tunc* v. Heinsius: Anon. Nil. *tunc demum*; sed Romulus, *tunc coruus ingemuit*.

Vs. 13. 14. Vid. Excurs. VIII. ad v. 13. 14.

Vs. 11. Hunc vs. Romulus expressit integrum. *dolosa*. V. L. II. IV. 17. vocabulum poëtis magis vsitatum, quam prosaicis. Cf. Walch. de stylo Phaedri p. 72. *avidis r. d.* concinne notat celeritatem actionis. Addit Graeca fabula verba vulpis: *ὦ κόραξ, εἰ καὶ φρένας εἶχες, οὐδὲν ἐδέησεν σοι εἰς τὸ βασιλεύειν*.

Vs. 12. *Tum demum*. Vid. ad L. I. F. XII. 13. *Corui stupor*, coruus stupidus. Vid ad L. I. F. III. 16. it. Not. Sciopp. et Fabri, coll. Not. ad II. V. 23.

Vs. 13. *Hac re*. Hac fabula, hac narratione, hoc exemplo, hoc argumento: infra F. XXVII. *haec res auaris esse conueniens potest*. Axen.

Vs. 14. Theognis: *κρεῖσσον σοφίη καὶ μεγάλης ἀρετῆς*.

Hanc fabulam narrant: *Aesopus;* Vid. Edit. Hauptmann. p. 158. sq. *Aphthonius*; apud Hauptm. p. 159. et Nevel. p. 344. *Ignatius* s. Gabrias F. 19 in Neveleti Myth. Aesop. p. 364. Eamdem etiam tractant *Apulej.* de Deo Socratis, primo diffusam, deinde contractam; *Tzetz.* Hist. Chil. X. 352. Alludit fortasse Hor. L. II. Sat. V. 56. ad quem locum hanc fabulam citat Acron; item L. I. Ep. XVII. 50. sq. Comparabis denique *Fontanii* L. I. F. 2. *Lessingii* L. II. F. XV. *Gleimii* L. II. F. 24. *Hagedornii* L. II. Fab. *der Rabe und der Fuchs*; *Anonymi* Neveleti F. XV. *Romuli* L. I. F. XIV.

FABULA XIV.

EX SUTORE MEDICUS.

Malus cum Sutor, inopiâ deperditus,
Medicinam ignoto facere coepisset loco;

Vs. 1. *deperditus*. Bentlej *proterritus*. Sed *proterrere* est, injecto terrore in fugam dare, quod hic nullum locum habet, notantibus Hario et Burmanno. Sutor enim, videns, se impe-

---

Vs. 1. *Malus*, artis suae imperitus. Sic Hor. I. Sat. III. 125. *bonus Sutor*. Cic. IV. ad Div. 5. *neque imitare malos medicos*. Id. pro Arch. 10. dixit *malus poëta*, et Catull. XXXVI. 6. *scripta pessimi poëtae*. Ita Graeci. Κακὸς ἰατρὸς Aeschyl. Prometh. 472. v. Burmann. *inopia deperditus*. Recte explicat Scheff. de eo, cujus facultates omnes sic erant exhaustae, vt jam sutor esse non posset. Plane sicut Germanorum *verdorben*, *zu Grunde gerichtet*. Eodem modo legitur apud Catull. LXIV. (LXIII.) 119. *leto gnatae deperdita*, de matre afflictissima; vbi tamen nonnulli legunt, *fletu deperdita*. Sic apud Val. Max. VII. III. 7. *amore scorti deperditus*. At cl. *van Bergen* Observ. Crit. C. XXVIII. nullus dubitat, quin sutor propter paupertatem factus sit nequam, homo sine vlla religione ac fide, fraudulentus; quemadmodum Cicero opponat vivos *optimos* et *perditos*. Censet enim, locum Valerii Max. Burmanno laudatum, quem explicat, *ad paupertatem redactus*, ab hoc loco esse alienum; quod equidem non video. Nam puto, Valerium Max. eodem sensu dixisse *amore scorti deperditus*, quo Suet. Dom. 3. dixit: *eamdem*, *Paridis histrionis amore deperditam*, *repudiauit*. Notanda h. v. quoque omissio copulae, vt L. I. F. IX. 3. Bene cl. Sattler. *Ein schlechter Schuster*, *der verdorben war*.

Vs. 2. *Medicinam facere*, exercere artem medicam; alio igitur sensu atque supra F. VIII. 9. (*prakticiren*). Ita Graeci ποιεῖν τὴν ἰατρικὴν. Simili modo dicunt *argentariam*, *topiarium facere*, et alia hujus generis, de quibus praeter Schefferum et Axen. cf. Burm. Gronouius explicat, profiteri se

Et venditaret falso antidotum nomine:
Verbosis adquisiuit sibi famam strophis.

ritia suae artis nobilem, quaestus amplius facere non posse, sponte deserit patriam, sperans, se ignoto loco medicum posse agere, et rem facere. Cf. Burm. Schefferus mallet *inopiaque perditus*, citra necessitatem, cum *deperditus* probum sit. Vid Not. ad h. vs.

Vs. 4 5 Hisce de Versibus vid. Exc. IX. ad F. XIV.

---

medicum; sed Rittershusius capit eodem sensu, quo cepimus F. VIII. 9. a quo non dissentire videtur Burmannus, quem vide. *ignoto loco*, vbi ignorabant eum incolae, vbi notus ille non erat. Desbillon. laudat Ovid. Ep. VII. 117. vbi Dido, loquens de littore Libyco, dicit: *Applicor ignotis.* Ponitur *ignotus* actiue, vt L. I. F. XI. 2.

Vs. 3. *antidotum*, medicamentum, ex variis medicinis compositum, quod ad venena datur. V. Celsus L. V. C. 27. 2. et Sueton. Cal. II. 29. Santorocus appellat *Universal-Medicin*. 5. Hic versus ita construendus: *et venditaret antidotum*, *falso nomine*, hoc est, quod falsum nomen haberet, et re vera non esset antidotum, (vi quippe venenis resistendi destitutum; *Gegengift*, *was es doch nicht war*), vt ablatiui illi substantiuis nominibus saepe addi vidimus. *Burm.* Idem tamen hunc versum et alio modo explicari posse censet. „Nam puto, *inquit*, falsum nomen indidisse medicamento, quod noto nomine, sc. *antidoti*, venditabat, et cujus laudes et vires nimis efferebat. Quare forte *medicinam facere* hic eodem sensu, vt F. VIII. possit capi et subintelligi *hominibus*, ignoto illo in loco, i. e. vbi illum ignorabant, habitantibus, et quibus medicamentum suum venditabat, quasi esset antidotum, cum nihil minus esset. Sed tum legendum foret, *Et venditaret falso antidoti nomine.*" Sed prior ratio magis placet.

Vs. 4. *Verbosis strophis.* Stropha proprie conuersionem significat, qua cum naturaliter vtantur animalia et homines, cum effugere, vel circumuenire aliquem volunt, hinc stropha apud Scriptores argenteae aetatis est fraudulenta et ludificatrix fallacia (*Betrügereyen*, *Ausflüchte*, *Ränke*). Schol. Aristoph. στροφαὶ λέγονται καὶ οἱ συμπεπλεγμένοι καὶ δολεροὶ λόγοι. v. Faber et Gesner in Thes. L. L. Hoc loco capi

Hic cum jaceret morbo confectus graui
Rex vrbis, ejus experiendi gratia
Scyphum poposcit: fusâ dein simulans aquâ
Antidoto miscere illius se toxicum,

---

potest pro mendaci garrulitate et, vt Petronius ait, exaggerata verborum volubilitate. Sic praeclare explicat Gronov. Optime reddunt Gallici Interpretes Albinus et Lallemant *Charlatanerie*, (*Marktschreyerey*); Cl. Sattler, *quacksalberische Reden*. Plin. I. Ep. 18. *Ego aliquam stropham inueniam*, i. e. dolosam excusationem, fallaciam. Atque ita quoque Martialis vsus est L. XI. Ep. VII. (VIII) *jam stropha talis abit*. Burmannus vero laudat Martial. III. Ep. 7. *Nihil stropharum est: jam salarium dandum est*; item Senec. Ep. XXVI.

Vs. 5. *Hic*, tunc, cum jam famam adquisiuisset strophis. Ita sumi docet Tursell. p. m. 422. Sic etiam capitur L. I. F. XI. 6. L. II. F. VIII. 5. Multa exempla congesserunt Axen. Scheff. et Burmann. Alii putant esse pronomen, quod referunt ad medicum. Sed vid. Exc. IX. ad vs. 4. 5. Sunt etiam qui capiant pro aduerbio loci *hic*, ignoto illo loco. *jaceret*. Vsitate de aegrotis. L. I. F. XI. 4. *leo cum jaceret*. Cic. IX. Ep. 20. *ego te jacente bona tua comedam*. v. Scheffer.

Vs. 6. *Rex*. Bene Cl. *Sattler: der Fürst des Orts*. Scheff. *rex est*, qui summam tenet reipublicae, moderator vrbis; cum quo facit Cl. *Gail*, qui explicat *l'Intendant, le premier de la ville*. *ejus*, vel ad *vrbis*, vel ad *experiendi* referri potest. Prius si locum habeat, intellige: in qua exercebat medicinam; sed rectius cum *experiendi* jungitur. *experiendi* h. l. est tentare, explorare, nostri *probiren, auf die Probe stellen*. Nempe per hocce commentum cognoscere volebat artem atque fidem medici. Atque h. l. accommodate notat Schefferus, sic in vsu fuisse apud veteres, cum de medicina esset dubium. Elegans est exemplum apud Apulejum L. X. Asin. in sceleratissima et fraudulentissima muliere. *Non prius*, inquit, *medicorum optime, non prius carissimo mihi marito trades istam potionem, quam de ea bonam partem hauseris ipse. Vnde enim scio, an noxium in ea lateat venenum*. Aliter τὸ *experiri* explicat Scioppius.

Vs. 7. 8. Deinde infudit aquam (in scyphum), et se toxicum cum illius medici anti-

Combibere iussit ipsum, posito praemio.
Timore mortis ille tum confessus est,
Non artis vllâ medicae se prudentiâ,
Verum stupore vulgi factum nobilem.
Rec aduocatâ concione haec edidit:

Vs. 9. *Combibere.* Lectionis Varietatem. Vide in Exc. IX. ad v. 9.

Vs. 11. *medicae.* MSS. Pith. et Rem. *medicum*; *sed medicae* est ex emendatione Heinsii et Gronov. Vulgatum tamen praeter Nevelet. Rigalt. 2. Vrsin. al. retinent Lallem. Brot. Desbill.

Vs. 13. *edidit.* Ita pro *addidit* primus Gronov. legi voluit, quae conjectura etiam in mentem venit Heinsio, quibus deinde

---

doto miscere simulauit. *antidoto*, est datiuus caussae, vt explorari certissime posset antidotum. *Tzschuck.*

Vs. 9. *posito*, L. V. F. V. 5. dixit *proposito*, quod etiam exemplis pluribus se tuetur. Nec tamen propterea, *posito* mutandum in *proposito*. Satis enim vindicant exempla, a viris doctis adducta, *ponere praemium.* Virgilius, quem Phaedrum dicunt imitatum esse, L. V. Aen. 292. *inuitat pretiis animos et praemia ponit.* Cf. Axen. et L. III. XIV. *Combibere* toxicum, antidoto mixtum. Hor. I. Od. XXXVII. 28. *vt atrum corpore combiberet venenum. Ebibere medicamentum* dixit Petron. C. 20. *Bibere* de veneno occurrit saepius. Burmannus notat loca Martial. VI. Ep. 78. et 92. *ipsum*, sutorem medicum.

Vs. 10. *mortis*, imminentis ex haustu poculi toxicati, sicut credebat medicus. *Scheff.* Vehementer placet sutor, timore mortis perculsus; non enim de rege haec intelligenda.

Vs. 11. *prudentia*, peritia. Nep. Cim. II. *prudentia cum juris ciuilis, tum rei militaris.* Adde Not. Scheff. *artis medicae.* Burmannus multis probat exemplis, ita fere semper auctores loqui solere. Vid. e. c. Hygin. F. CI. Ovid. Met. II. 618. coll. V. L. ad v. 11.

Vs. 12. *stupore*, stolida credulitate. *factum nobilem, er sey in Ruf gekommen* (Vs. 4.) coll. Graev. Ep. 356. ad Nic. Heins. in Burm. Syll. Epp. T. IV. p. 430.

Vs. 13. *aduocata concione.* Locutio propria. Vid. Cic. Verr. III. 80. Liv. L. V. 7. Legenda hoc loco sunt, quae

Quantae putatis esse vos dementiae,
Qui capita vestra non dubitatis credere,
Cui calceandos nemo commisit pedes?

obsecuti sunt alii, maxime Burmann. Brotier. Bipontini, al. Gudius et Wolf. tuentur *addidit* sc. iis, quae aduocata in concione sutor ipse fatebatur; putat enim Wolfius, procul dubio regem prius coëgisse ipsum sutorem, publice confiteri, quae priuatim regi fuerat confessus, vel ipsum ea concioni exposuisse: non extra veri speciem, judicante Burmanno; non enim Phaedrum solere omnia exsequi, et illa verba *edere* et *addere* sollemniter librarios confudisse. Mihi tamen, si *addidit* retineatur, et paullo ante memorata supplenda sint, narratio paulisper claudicare videtur. Alia res esset, si Phaedrus dixisset: Concione aduocata combibere jussit ipsum cet. Rex haec addidit. Desbillonius paruit lectioni vulgatae, *addidit*.

Vs. 15. *dubitatis*. Heinsius *dubitetis* e conjectura, quod non est spernendum.

Vs. 16. *commisit*. Sic vulgo legitur ex Cod. Pith. recte;

---

obseruata sunt in Excurs. IX. ad v. 4. 5. *edidit*, aut ipse, aut per eum, cui dederat mandata. Sic enim saepe actiua vsurpantur. L. I. F. XII. 12. dixit, *vocem hanc edidisse dicitur*. Sed hic vsurpat absolute, vt est in Cic. III. de Leg. 20. *edant et exponant, quid in magistratu gesserint.*

Vs. 14. *Quantae dementiae*. Elegantissimus vsus ille genitiui pro, quam dementes vos esse putatis. Quinctil. Declam. IX. 21. *pater cujus pietatis es.* Vid. ad Quinctil. Declam. VIII. 3. et Cort. ad Sall. Cat. 51. §. 23. *Burmann.* Liv. XXXVIII. C. 24. *cui custodiae centurio praeerat, et libidinis et avaritiae militaris.*

Vs. 15. 16. Recte obseruat Cl. Tzschucke, praeeunte Scheffero, acrem et acerbam vituperationem ex oppositione pedum, nobilioris cum ignobiliori. *credere.* Vid. ad L. I. F. VIII. 8. *calceandos*, calceis muniendos. Gerike: *den niemand sich den Fuſs beschuhen läſst*; sed Vs. 16. de tempore praeterlapso intelligendus. Itaque melius sic: *dem vormals kein Mensch die Füſse zum beschuhen anvertrauet hat.* Tota haec regis ad concionem oratio ingeniosa est, quae mirifice delectat. *commisit.* V. L. II. F. VIII. 7. Buchnerus capi posse putat pro *commiserit*, vt *nescis*, pro *nescieris.* Ter. Eun. IV. IV. 54. et alia ejusmodi.

Hoc pertinere vere ad illos dixerim,
Quorum stultitiâ quaestus impudentiae est.

metro id postulante. Meursius et Faber mallent *commissit*, quod per archaismum est pro *commiserit*, vt *pugnassit*, pro, *pugnauerit*. In Editione Pithoei et Rittersh. est *commiserit*: sed Freinshem. Scheff. alii recte probant vulgatum *commisit*, vt sensus sit: vos nunc ei committitis capita vestra, cui nemo antehac commisit pedes, seu, vt ait Gronov. voluit locare calceos faciendos. Heins. conjicit *committat*.

Vs. 17. *Hoc pertinere vere.* Sic vulgo legitur. Burmannus, cui vocalis repetitio ingrata videbatur, edidit: *Hoc pertinere ad illos vere dixerim*, vt *vere* cum τῷ *dixerim* conjungatur. Cui nonnulli obsequuntur; sed retineo vulgatum cum Lallemant. Brotier. Bipontinis, Desbillonio; quod defendit Burmann. e Ter. Andr. V. III. 14. *eodem die istuc verbum vere in te accidit*; nisi quis velit *vere* in loco Phaedri jungere cum *dixerim*.

Vs. 18. Varietatem Lectionis v. in Exc. IX. ad vs. 18.

Vs. 17. *pertinere.* Vid. L. III. F. I. 7. *vere dixerim*; non raro sic jungunt scriptores. Cic. Off. L. III. 3. *quod proprie vereque dicitur*. Id. Att. V. 21. *verissime loquor*. Nep. Att. 12. *verissime contendere*. Vertere possis: *ich darf mit Grund der Wahrheit behaupten*. Non male tamen et junxeris *vere pertinere*. Vid. V. L. ad v. 17. Lallemant. *on peut dire que ceci convient parfaitement à ceux*.

Vs. 18. Recte h. v. Scheff. et Burm. explicant: ex quorum stultitia, seu per quorum stultitiam est quaestus impudentiae, i. e. sollemni idiotismo, impudentibus: quod idem est, ac si dixisset, lucrantur impudentes. Ita Liv. L. XXV. 1. *et quaestus ex alieno errore facilis est*. Hunc v. verte: *deren Dummheit sich unverschämte Leute zu nutze machen*. Aliorum judicio *stultitia* est Nominatiuus. Cf. Excurs. IX. ad vs. 18. Apposite ad hos impostores Burm. laudat Val. Max. I. C. III. 2. de Chaldaeis. *Leuibus et ineptis ingeniis* (i. e. *stultis* Phaedri) *fallaci siderum interpretatione, quaestuosam mendaciis suis caliginem injicientes*.

Compara *Zachariae* Fabulam, *der Frosch und der Doctor* p. 110. et *Boulangeri* fabulam, *Le Savetier Médecin*, L. II. F. III. p. 41.

FABULA XV.

ASINUS AD SENEM PASTOREM.

In principatu commutando ciuium
Nil praeter domini nomen mutant pauperes.

Vs. 1. 2. *ciuium.* Rittersh. Nevelet. Rigaltii 3. Faber, Vrsin. Brotier. al. habent *saepius.* In Codice enim Pith. erat, *commutando ciuium saepius*; alterum a glossatore adscriptum. *Saepius* autem spectat ad sequens *mutant* ferrique potest; esse etiam in Cod. Rem. testatur Brotier. Sed placuit viris doctis *ciuium.*

Vs. 2. *praeter domini nomen.* Neveletus edidit *praeter domini mores*, quod est in Codd. Pith. et Rem. Ita quoque Vrsin. et Brotier. qui tuetur *mores*, quia Romani Augustum et

---

Vs. 1. 2. *principatu ciuium.* Docet Burm. hic non agi de regno, sed de principatu ciuium in libera ciuitate, de quo e. c. inter Caesarem et Pompejum, et vltimo inter Octauium et Antonium contentio quondam fuit. Is si quando commutetur et ad alium transferatur, nihil *nisi nomen domini* mutare pauperes, dum eadem miserae vitae conditio maneat. Contra in regno mutationem pertinere ad omnes, et diuites et pauperes. Equidem mallem de imperio quouis, maxime de principatu Caesarum intelligere, vt jam olim ceperunt Schefferus, Gronov. aliique Interpretes; etsi probe sciam, Suetonium principatum a regno distinguere Cal. C. XXII. Nam vix credibile, Phaedrum h. l. respicere conuersiones reipublicae romanae et concertationes ciuiles, tempore Julii Caesaris et Octauii ortas; immo vero quoduis intelligit imperium, maxime principatum Caesarum. Sic enim vsurpant scriptores vocem *principatus.* Tac. Agr. 3. *Nerua res olim dissociabiles miscuit* principatum *et libertatem*; et Plin. H. N. VII. 8. *Nero toto* principatu *suo hostis generis humani.* In commutando igitur ejusmodi principatu mutatio plerumque non pertinet ad pauperes, tenues et humiles, quibus, vt vtar verbis Burmanni, ex vicissitudine vix licet sperare honores vel dignitates, vel opes. Sunt enim aeque miseri atque tenues et

Id esse verum, parua haec fabella indicat.
Asellum in prato timidus pascebat Senex.

Tiberium experti fuerint diuersis sane moribus; diuersi quoque fuerint Caligula et Claudius, alter insanus, alter hebes. Sed hanc lectionem rejicit Censor eruditus in Ephem. Gotting. ann. 1784. Partic. 67. cum aberret longius a mente poëtae. Rigaltii 2. Axen. Freinsh. Walch. *propter domini mores.* quae lectio Scheffero placet, hoc sensu: nil mutant propter domini mores; cum sint iidem, et illius, qui decedit, et illius, qui subsequitur. At vero *propter* non est in libris scriptis. Heinsius *mores* mutat in *sortem. Nomen* primus edidit Bongarsius, testibus Scheffero et Vrsino, cui recte viri docti obsecuti sunt, quia nullus sensus esset, si legeretur *nil praeter domini mores m. p.* cum pauperes possint suos mores, non domini mutare; sed dominorum nouorum mores possunt facile mutatos deprehendere. Vid. Burmann. et Wolf. Vindic. Gud. p. 86. sq. Conjiciebat etiam Heins. *nil praeter dominum more mutant pauperes.*

Vs. 4. *timidus.* Meursius *tumidus*, i. e. impotenter dominans, vltra necessitatem et contra mentem Phaedri. Recte enim *timidus*, propter ea, quae sequuntur, de consilio fugae, asino

---

maneut. Horum non interest, quibus seruiant, dum jugum semper portent. Re vera igitur nil mutant, praeter nomen principis. Sed alia res est in diuitibus et potentibus, ad quos multum vtique pertinet principatus commutatio, siue sit bonus, siue malus princeps. Imperante enim malo principe, qualis fuit Tiberius, periclitantur honores, diuitiae, ipsa denique vita diuitum et potentium, vt historia istorum temporum satis superque comprobat. Contra a bono principe, praeter ceteros sperare possunt cum honorum et dignitatum, tum diuitiarum incrementa et alia virtutum praemia. Dixit autem Phaedrus *principatus ciuium*, vt L. I. F. XXX. 5. *principatus gregis.* Non enim cum Gud. Santoroc. Lallemant. *ciuium* referendum ad *pauperes*, vt ciuium pauperes sint plebeji, humiles. Equidem V. 1. verterem: *bey Veränderung der Regierung in einem Staate;* sed mallet Cl. Sattler: *beym Umsturz der Regierung*; Lallem. vero, *dans une revolution de gouvernement.*

Vs. 4. *timidus.* Aptum seni Epitheton. Itaque non opus erat correctione. v. V. L.

Is, hostium clamore subito territus,
Suadebat Asino fugere, ne possent capi.
At ille lentus: Quaeso, num binas mihi
Clitellas impositurum victorem putas?
Senex negauit. Ergo quid refert mea,

dato. Cf. Fabri et Schefferi Not. Bentlejus, emendandi prurigine captus, libris inuitis, legit, pro *timidus*, *quidam*, quod recepit Brotier.

Vs. 6. *Asino.* Burmanno persuasum est, Phaedrum scripsisse, *suadebat asinum fugere*, de quo docte disputat; sed tamen a vulgatis mutandis abstinet. Mittamus haec; legant Notas Burmanni, quorum interest, coll. Tzschuck. qui nescit, an Burm. vere velit *Asinum. possent.* Bentl. *posset*, inuito Burmanno, quem vide.

Vs. 5. *subito territus.* Bene *territus* τῷ *subito* respondet. *clamore.* Impetum faciebant milites cum clamore.

Vs. 6. *Suadebat asino fugere*, pro fugam, vel fugiendum esse. Laudat Burmann. Justin. L. II. 11. *Nihil erat difficile persuadere persuasis mori.* Cui loco adde Sanctii Mineruam L. III. C. 6. *ne possent capi*, ne caperentur; *possent* eleganter abundat, vt L. III. VII. 8. venusta et poëtis crebra loquendi formula. Hor. L. III. Od. III. 43. *stet Capitolium fulgens triumphatisque possit Roma ferox dare jura Medis*, i. e. jura det: ad quem loc. v. Jani et Torrent. Prop. I. I. 15. *Ergo velocem potuit domuisse puellam*, i. e. domuit, vbi lege Notas Broukhous. cf. etiam *van Dorp* Obs. C. XI. p. 95. et quos citant de hac locutione Burmann. et Rittershus.

Vs. 7. *At ille.* Vid. ad L. I. F. XIII. 9. *lentus.* Epitheton χαρακτηρίζον, aeque ac modo *timidus.* Lentus enim natura, his adhortationibus nihil celerius it, immo nec verberibus saepe cogi potest, vt citius eat. Ovid. II. Amor. VII. 15. vbi vide Heinsii notas: ita *tarda mula* L. III. F. VI. 2. *Burm.*

Vs. 8. *clitellas.* De clitellis fuse agit Scheffer. de re Vehic. L. II. C. II. Erant instrumenta lignea, in quibus colligatae sarcinae imponebantur jumentis, asinis, equis. Nostri *Saumsattel.*

Vs 9. 10. *Ergo quid* cet. Sunt verba asini. Omissum est enim, asinus inquit. *dum.* Explicant

Cui seruiam? clitellas dum portem meas.

Vs. 10. *dum portem.* Cl. *van Bergen.* Obs. crit. C. XXVI. p. 56. putat legendum vel, *dum porto*; quia *dum* indicatiuum amat, si pro *quamdiu*, vel *donec* ponitur, vel *cum portem*, quod mallet, laudans Burmannum ad L. III. F. X. 13. vbi hic docet, particulas *cum* et *dum* saepe esse permutatas. Sic L. III. F. X. 13. olim legebatur *dum*; et L. I. F. IV. 2. nonnulli praeferunt *cum*, vt suo loco indicaui. Pari modo hic legi posset *cum portem c. m.* quod habet sensum commodiorem maxime si quis ponderare velit; quae observ. Drakenb. ad Liv. I. 40. fin.

---

cum, da doch einmal, seu, vt Gallorum Interpretes, *puisque*; sed non firmant exemplis, hanc voculam ita vsurpari. Cl. Tzshuckius interpretatur, dummodo. Sic Prol. L. II. 6. Cf. Tursell. p. m. 290. Sed vid. V. L. ad vs. 10. Praeclare Cl. Sattler: *was liegt mir nun dran, wes Sklav ich bin! — Lastträger bleib' ich doch.*

Haec fabula est ex pulcherrimis Phaedri, judicantibus *Lessingio*, zur Gesch. der Aes. Fab. p. 245. et cl. *Jacobs* in Obseruatt. ad Phaedri fabulas. V. *Nachträge zu Sulzers Theorie.* T. VI. P. I. p. 72. Neque tamen inter Graecas Aesopi, neque Romuli fabulas reperitur. Eamdem narrat Abstemius, pro sene vitulum ponens. Vide etiam *Fontanii* L. VI. F. VIII. *Camerarii* Fab. de Asino et Vitulo; it. Fab. *Zachariae, der Esel und der Stier.*

FABULA XVI.

CERUUS ET OUIS.

Fraudator hominem cum vocat sponsum improbum,
Non rem expedire, sed malum dare expetit.

Vs. 1. 2. De hoc loco vexato v. Exc. X. ad F. XVI. 1. 2.

Vs. 1. 2. Sensus hujus loci, in quo constituendo et interpretando praeter ceteros Interpretes praeiuit Burmannus, ex ipsa fabula facile potest colligi. Fraudator, qui petit pecuniam mutuam, et adhibet sponsorem improbum et malum, sine dubio molitur fraudem, et decepturus est creditorem. Non enim id intendit, vt liberet a periculo creditorem, isque pecuniam in tuto collocet, seu vt expeditum, sine lite sit negotium, (*rem expedire*) sed vt detrimentum inferat creditori (*malum dare expetit*). *Sponsum vocare* est propria et sollemnis in hac re locutio, et idem valet, quod jubere aliquem fidem pro se interponere et cauere, rogare aliquem, vt pro nobis spondeat. Hor. II. Ep. II. 67. *Hic sponsum vocat* cet. Dictum autem *sponsum*, pro ad spondendum, vt *oratum mittere* L. IV. F. XVII. 2. *Hominem improbum*, i. e. malignum, impudentem, rapacem, dixit more suo et familiari locutione, vt L. I. F. XXXI. *homo improbus*; L. I. F. XIX. 1. *homo malus*; L. II. F. IV. 25. *homo bilinguis*. V. Burm. *Rem expedire* de re pecuniaria sollemne. Nonnulli accipiunt pro, debitum soluere, sed hoc est *nomen expedire*. Cf. Cic. ad Att. XVI. 6. et L. XII. 29. Sic *fidem expedire*, pro dissoluere aes alienum, apud Ciceronem. Sed *rem expedire* idem est ac negotium illud, quod sub manu est, ita administrare, vt postea nullae lites et inde damna creditori, aut debitori oriantur. Sic fraudator, qui pecuniam petit sponsore improbo, non id intendit, vt expeditum sine lite sit negotium, sed vt creditor deinde cum repetat, implicetur cum debitore et ejus sponsore variis controuersiis, et eorum tergiversatione, mora, cet. malum siue damnum sentiat. Hinc Cl. Hartmano *rem expedire* est, pecuniam in tuto collocare, liberare a periculo creditorem. Ejusmodi in tuto collocatae pecuniae Ciceroni sunt *negotia*

Ouem rogabat Ceruus modium tritici,
Lupo sponsore: at illa praemetuens dolum:

Vs. 4. *dolum.* Pro vulgato *dolum*, quod est in MSS. Pith. et Rem. et aeque Latinum est, Burmannus ex Heinsii conjectura

expedita ad Div. I. 3. i. e. quae facile possunt colligi, quae nullis litibus, ob vsuras earumque exactiones et debitorum inficiationes et moras, implicita sunt; *Kapitalien, die sicher stehen, die leicht zu heben sind, wobey der Gläubiger nicht gefährt ist.* His opponuntur *impedita*, quae sunt difficilia. Vid. Cort. ad Cic. Div. VI. Ep. 19. 4. coll. ad VI. Ep. I. n. 5. *Rem expedire* dixit Sueton. Tib. 48. (ad quem locum v. Oudendorp et Ernesti.) pro quo apud Plaut. Poenul. III. V. 5. est, *explicaui meam rem post illa lucro.* Iunxit *explicare* et *expedire* Cic. XIII. Ep. 26. Huc etiam referendus locus Plaut. Prol. Amphitr. 4. 5. quem affert Gud. *Et vt res rationesque vestrorum omnium Bene expedire voltis peregre et domi*; vbi *res bene expedire*, ex interpretatione Gudii, est, *das Geld wohl und sicher austhun.* Neque objici potest, a cl. Langio, hunc sensum a fabula esse alienum, cum ceruus ouem re vera non fefellisset. Nam ad consilium fabulae sufficere puto, ceruum de fraude esse suspectum, eidemque esse propositum, fallere, nec debitum soluere. Vid. *Lange* in Prolegg. Edit. Phaedri praefix. p. XXII. sq. *Malum dare*, quod reposui e conjectura Gronouii, cúm sit mollius, quam vulgatum *mala videre*, est, damno afficere. Ter. Andr. I. I. 116. *qui dederit damnum, aut malum.* Cic. II. Verr. 10. *cohors tota illa tua, quae plus mali Siciliae dedit, quam* cet. *Fraudator*, qui debitum soluere non solet, qui debitum inficiatur. Cic. in eadem re jungit *fraudatores* et *inficiatores* pro Flacc. 20. Sed L. II. Off. 24. *fraudare* et *soluere* opponuntur.

Vs. 3. *modium.* Mensurae genus aridorum, tertia pars amphorae, sexta pars medimni, sextarios continens sedecim. V. *Festus* voc. *publica pondera*; Nep. Att. 2.

Vs. 4. *at illa.* Vid. ad L. I. F. XIII. 9. *praemetuens*, statim et in antecessum metuens. Sic Lucret. III. 1032. IV. 822. et Iul. Caes. B. G. VII. 49. Ceterum verbum *inquit* omittitur, vt supra F. IX. 8. Nam ouis verba sunt, quae sequuntur. *Scheff.* Lege etiam, quae de Verbo *praemetuere* notat Axen. Cl. Sattler. *die List ahnend.*

Rapere atque abire semper adsueuit Lupus;
Tu de conspectu fugere veloci impetu:
Vbi vos requiram, cum dies aduenerit?

edidit *doli.* V. Heins. ad Ouid. I. Met. 323. *Metuens periculi* dixit Virg. Aen. L. V. 716. Grunerus tamen l. c. hanc emendationem non putat esse necessariam. Cui recte suffragantur Brotier. Bipont. Desbillon. Langius, quem vide.

Vs. 5. *Rapere atque abire,* rapinam facere, seu violenter tollere, et celeriter discedere. Nam *atque* hic non tam connectit, quam celeritatem indicat. Gell. X. C. 29. *praeterea* atque *pro alio quoque aduerbio dicitur, i. e.* statim; citans Virg. G. I. 199—203. ad quem locum tamen v. cel. *Heyne.* Laudat Burm. Plaut. Mostel. V. I. 9. *quem cum conuocaui,* atque *illi me e senatu segregant,* i. e. statim, confestim me segregant: item Ter. Eun. I. I. 7. Cf. Scheffer. et quos allegat Burmannus scriptores.

Vs. 6. *Tu* sc. adsueuisti. *de conspectu,* pro, e conspectu. Vid. Scheffer. et Burmannus. Cic. in Verr. *de complexu parentum ad mortem raptus.* Sic notat Tursell. p. m. 251. *exire de naui, de prouincia decedere.* Cf. L. I. F. XIII. 3. *Veloci impetu fugere,* praeclare de celeritate cerui. Cl. *Sattler* haec ita expressit: *du pflegst in dem schnellsten Laufe zu verschwinden.*

Vs. 7. *dies.* Verbum forense, pertinens ad germanam Latinitatem, de die praestituta solutioni debitae pecuniae, h. l. tritici, *Zahltag.* Leg. 213. ff. de V. S. *venire diem significat, eum diem venisse, quo pecunia peti possit,* teste Rittershusio, coll. Not. Burm. Cic. ad Div. L. VII. 23. *rogare de die,* vbi v. Cort. Liv. L. XXXIV. 6. *dies pecuniae.* Cic. ad Div. L. XVI. Ep. 14. n. 4. *dies promissorum adest.* Adde Cic. pro Planc. 28. *cum cujusque dies venerit.* Attic. L. VIII. Ep. 10. *dies nondum est.* — *aduenerit.* Eodem modo L. V. F. VII. 20. Romulus: *dies venit.*

Haec fabula non legitur inter Graecas Aesopi fabulas; neque occurrit apud Anonymum et Romulum Nilantii; sed habet Anonymus Neveleti, cujus F. XXXI. vide; item *Romulus* Divionens. vid. L. II. F. XII. Non magnopere placet Lessingio, l. c. p. 246. Compara fabulam *Boulangeri, le Cerf et la Brebis.* L. II. F. XIX. p. 77.

FABULA XVII.

OUIS, CANIS ET LUPUS.

Solent mendaces luere poenas malefici.
Calumniator ab Oue cum peteret Canis,
Quem commendasse panem se contenderet;

Vs. 1. *malefici.* Sic plurimae Editiones, etiam Brot. Bipont. Didot. Desbillon. recte legunt, e conjectura Heinsii, pro, *maleficii.* At Bentlejus *mendaces maleficos* intelligere videtur. Nonnullae Editt. vt Nevelet. Vrsin. *maleficii* retinent; sed illud metro accommodatius.

Vs. 2. 3. Cuninghamus hunc locum ita constituit: *C. panem ab oue c. p. Canis q. c. se contenderet. commendasse.* Sic habent MSS. Pith. et Rem. nec non vet. Edit. quae lectio placet Neveleto, Rigalt. in Ed. 2. Gronov. Gud. Albino, Gallico interpreti, Schirachio Clav. P. I. p. 67. multisque aliis. Eam recepere Funcc. Brotier. Bipont. Desbill. Sed in Cod. Dan. est *commodasse*, quod cum Rigaltio in Ed. 3. Heinsio, Fabro, Vrsinó, aliis retinuit Burmann. Nam non seruandos se dedisse panes calumniatum lupum, sed mutuos dedisse credebat. Sic olim conjecit Rittersh. Sic Salmasius ad marginem, Bentlej. Lallemant. Jördens, Didot. Cui lectioni fauent praeter MS.

Vs. 1. *luere.* Cf. L. III. F. XVI. 2. L. I. F. XXVII. 6. L. III. F. V. 10. *malefici.* pro *maleficii*, vt *oti*, pro *otii* Virg. G. IV. 564. *preti*, pro, *pretii* Ter. Hec. V. III. 1. Ita *ingeni*, *imperi.* Vid. V. L.

Vs. 2. 3. *Calumniator*, delator, qui falsas lites intendit; seu qui per fraudem et frustrationem alium vexat litibus, *Chicaneur.* Hoc sensu saepe occurrit apud Cic. vt Verrin. II. 9. Caecin. C. 23. De elegantia hujus vocis v. quae notamus ad L. I. F. I. 4. *peteret.* intellige judicio. Actoris est in caussa priuata. Vid. L. 15. D. Rem rat. hab. *Ansprüche machen*, *gerichtlich fordern.* Cic. pro Q. Rosc. C. 12. *amplius se a nemine petiturum.* Id pro Flacc. C. 34. *petita hereditatis possessio.* *commendasse.* Commendare est fidei alicujus ac diligentiae curaeque aliquid

Lupus, citatus testis, non vnum modo
Debere dixit, verum affirmauit decem.

Dan. Anonymus Nilantii F. V. apud quem leguntur haec: *debes mihi reddere panem, quem dederam mutuo*, et mox: *scio panem commodatum oui* Sic fere Romulus Nil. F. IV. Nam apud Romulum Div. haec fabula non legitur. Praeterea sequentia *debere* et *soluit* postulare videntur *commodare.* Vid. Cl. Tzschuck. coll. Not. Guyet. Nihilo vero secius *commendare* praeferendum putaui. Vero enim est similius, *commodare* esse a librario, qui verbum *commendare*, paullo difficilius hoc sensu, non intellexit. Atque etiam ouis, cui canis seruandum tradiderat panem, vtique dici potest *debere* cani? *contenderet.* Scheff. et Heins. mallent *contenderat. se.* In MS. Pith. et Edit. Pith. est *sese*; sed corrigit Salmasius *se.* V. Gud.

Vs. 5 *debere.* MSS. Pith. Rem. et Vett. Editt. *deberi.* Sed in MS. Dan. s. Voss. (est enim vnus idemque Codex) *debere* legitur. Sic ediderunt Vrsin. Bipontini, Jördens. Facile autem irrepere poterat *deberi*, propter sequens *dixit.* Heinsius, quem sequuntur Sanadon et Philipp. conjicit: non *vnum modo panem debere, verum* cet. v. Brotier. Etiam Burmannus, quem *dixit* et *affirmauit* in vno versu ostendit, ex sententia Heinsii legi jubet: *panem debere, verum affirmauit decem*; etsi receperit

---

committere, seruandum tradere, deponere. Vid. L. 24. et 26. D. Dep. et Vlp. L. 186. de V. S. Cic. de Legg. L. II. 9. *Sacrum sacroue commendatum qui clepserit rapseritque, parricida esto.* Plura de hoc verbo afferunt Axenius, Rittershus. et Scheff. ad quos lectores remittimus. Alii *commodasse* legunt, i. e. mutuum dedisse, quo sensu Cicero dixit *commodare tritici modios.* v. V. L. *contenderet,* infert disceptationem, vnde recte Vs. 4. *testis.* Tzschucke. *citatus testis.* Bene Gerike: *als vorgeladener Zeuge.* Proprie. Cic. II. Verr. 59. *primum in hanc rem totam Siciliam citabo.* Id. de Off. L. I. C. 22. *citeturque Salamis clarissimae testis victoriae.* Gronov. Cf. L. IV. F. XVII. 8. Praeter lupum Anonymus Nevel. testes nominat miluum et vulturem; Anonymus Nilantii vero miluum et accipitrem.

Vs. 5. *dixit*, sagte aus. *affirmauit.* Praecedit tamen *dixit.* Igitur constantia mendacii et calumniae notatur. *Tzschucke.*

Ouis, damnata falso testimonio,
Quod non debebat, soluit: post paucos dies
Bidens jacentem in foueâ prospexit Lupum:

vulgatum *deberi*, quod placet Cl. Gail. Desbillonio, aliis. Tum vero, si legatur *debere*, subintelligendum *ouis*.

Vs. 8. *Bidens.* In MS. fragmento Petav. i. e. Cod. Dan. *videns jacentem prospexit in fouea lupum.* Vid. Not. Schefferi. Vnde Heinsius emendauit *bidens*, cui igitur egregia hujus loci restitutio debetur. Permutatio enim litterarum *b.* et *v.* sollemnis. N. Scheff. et Burm. MSS. Pith. Rem. et priscae Editt. etiam Vrsin. habent *ouis*, inconcinna repetitione. Male Bentl. h. v. ita expressit: *Forte vt iacentem in fouea conspexit lupum.* Nam in Cod. Pith. est *conspexit*; at in Rem. et MS. Daniel. *prospexit*, quod rectius retinetur. Vid. Not. *Conspexit* tamen ediderunt Rigalt. in Edit. 2. Nevelet. Vrsin. Funcc. Desbillonius, Petsch. Didotus. At Cuninghamus: *vt fouea conspexit l.*

Vs. 8. *Bidens.* Exquisite. In appellandis animalibus variare solet Phaedrus. V. 6. dixerat *ouis*. V. ad L. I. F. I. 6. et VI. 6. De hac voce consules Gell. N. A. L. XVI. C. 6. *Fouea.* Solebant veteres lupis capiendis fodere foueas, quas fronde obtegebant, quasi solidum illic esset; dein trans foueam ponere (et suspendere) ouem, (vel clamosum aliud animal) qua tamquam illecebra sollicitaretur lupus, et dum (ad ouis balatum) approperat, praecipitaret in fossam. Sil. Ital. L. VI. Pun. 329. sqq. Et ejusmodi foueae meminit Phaedrus L. III. F. II. 2. *Gronov.* De iis vide etiam Claudian. III. de Laud. Stil. 339. sqq. vbi de leonibus agit, ad quem locum, a Burmanno productum, v. Gesner et Barth. Cui adde Hor. I. Ep. XVI. 50. *Cautus metuit foueam Lupus.* — *prospexit.* Burm. cui suffragatur Cl. Tzsch. explicat, procul spectare, quod conueniat egregie timido animali, quod procul videns lupum in fonea, non audeat tamen prope accedere. Sed quomodo ouis *procul* videre poterat lupum, jacentem in fouea? Itaque magis placent, quae Schefferus notat: „*prospicit* Latinissime et elegantissime, qui ex editore loco vergit oculos in depressiorem," vt etiam Heinsius interpretatus est Ep. 73. ad Scheffer. Cf. Burmanni Syllog. Epp. T. V. p. 82. quibus adde L. II. F. V. 20. et L. II. F. IV. 20. Claud. Praef.

Haec, inquit. merces fraudis a Superis datur.

Vs. 9. Cuninghamus: *Haec i. fraudi m. ab S. d.*

L. II. in Eutrop. 65. *prospectant Paphiae celsa de rupe puellae*, aliaque loca, Scheffero laudata. Nam jacebat in fouea lupus et ideo altior stabat ouis. Faber igitur h. l. non audiendus. Ceterum non mortuus erat Lupus, vt ceperunt Albinus et Rob. *Prevost*, Gallici Interpretes, sed delapsus et captus. Fac enim secus fuisse, perit omnis dicti elegantia V. 9. quod bene obseruatum Scheffero.

Hanc fabulam, quae displicet Lessingio l. c. p. 246. et cl. *Jacobs.* in Obseruatt. ad Phaedrum, paullo aliter narrant Romulus et Anonymus Nilantii. Lusisse videtur Phaedrus in delatores, qui multi sub Tiberio. Compara *Camerarii* Fab. de Cane et Oue p. m. 189. *Anonymum Nilantii* F. V. *Romulum Nil.* F. IV. *Anonymum Neveleti* F. IV.

FABULA XVIII.

MULIER PARTURIENS. *)

Nemo libenter recolit, qui laesit, locum.
Instante partu, mulier, actis mensibus,
Humi jacebat, flebiles gemitus ciens.

Vs. 2. *actis.* MS. Pith. *peractis*, sed illud *per* ex vltima syllaba τ8 *mulier* Burmanno videtur prouenisse. Hinc jam olim Meursius reposuit *actis*, cum *peractis* repugnet versui. V. Meursii Animadv. ad Phaedrum p. 198. *Peractis* ediderunt Rittersh. Wasius in Senar. p. 29. Nevelet. Neque *actis* facile mutandum in *exactis*, etsi et hoc in hac re proprie dicatur, quod multis probat Burmannus; e cujus sententia, si quis hoc verbum praeferat, legere posset: *instante partu, exactis mulier mensibus.*

Vs. 3. *humi.* Sic legi jubet Heinsius. MS. Pith. *humo*, vt

*) *Mulier parturiens.* Hanc, non vt fabulam, sed veram historiam refert Plutarchus in Conjug. Praecept. p. 143. (Edit. Frcf. 1620. F) et in eamdem sententiam dixit Ouid. I. Trist. I. 85. *Et mea cymba, semel vasta percussa procella, Illum, quo laesa est, horret adire locum.* Burmann. Vid. etiam Martial. L. I. Ep. 86.

Vs. 1. *recolit*, iterum colit, id est habitat. Habitabant enim agrestes priscis temporibus, vbi agros colerent. *Colere* autem est, habitare Liv. L. XXIV. 49. *extremi prope Oceanum colunt.* Sed h. l. est, *bewohnen.* Liv. L. XXXI. 30. *deos vrbem colentes.* Cic. N. D. II. 66. *qui has nobiscum terras colunt.* Compara hunc locum Phaedri cum Ter. Hec. III. IV. 1—11. vbi v. Lindenbrog.

Vs. 2. *actis*, finitis. Proprie. Ita in fragmento veteris Inscriptionis Romae in villa Borghensi, vbi infans, in cunis jacens in marmore, sepultus visitur: *mensibus actis post nuptias tenero* supple: *infante maritum donauit.* In eadem re dixit Varro L. IV. L. L. *actis mensibus* Gud. Ita saepe. Burmannus laudat praeter alia, Ovid. II. Met. 497. *natalibus actis.* VI. Met. 571. *actus annus.*

Vs. 3. *flebiles gemitus ciens.* De parturientibus. Vid. L. IV. F. XXII. 1. Sattler: *kläglich wimmernd.*

Vir est hortatus, corpus lecto reciperet,
Onus naturae melius quo deponeret.
Minime, inquit, illo posse confido loco

Nevel. Rigalt. Ed. 2. Rittershus. Freinsh. Gronov. Vrsin. alii ediderunt, quod accipi potest per ellipsin praepositionis pro, *in humo.* De qua locutione docte disputat Munkerus ad Hygin. F. 247. melius tamen Burmanno videtur *humi.* Ita enim frequenter poëtae et alii.

Vs. 5. *onus naturae.* Sic MSS. Pith. Rem. et vett. Editt. quam lectionem probant, praeter alios Gronov. Hoogstretan. Eamdem etiam recte receperunt recentiores Editores, Petsch. Brotier. Bipont. Desbill. etsi de fetu dici nondum obseruatum sit. Sed Heins. substituit *onus maturum*, notum poëtis, quod placet Bentlejo et Burmanno, cujus eruditam de ista Heinsii conjectura, minime necessaria, disputationem, si placet, lege.

Vs. 6. *illo.* Ita MSS. Pith. Rem. et Vett. Editt. Sed Cod. Dan. habet illa, vt jungatur cum *inquit.* Ita volunt legi Salmas. et Gud. Hanc lectionem quoque receperunt Bentlej. et Philipp. Vtrumque recte dici potest. Nam si hoc eligas, illud subintelligitur. *confido.* Bentlej. *confido hoc loco*, quod est in Cod. Dan. s. Voss. Sanadon et Philipp. legunt *confidam.*

Vs. 4. *Vir*, pro marito, vt saepe. V. Gesner. Thes. L. L. h. v. Sic *mulier*, pro vxore. *corpus lecto reciperet*, intellige *vt.* Dictum vt *recipere aliquem domo.* Prop. II. El. XXIV. 41. dixit. *Nulla tamen lecto recipit se sola libenter.* Val. Max. VI. VIII. 6. *se recipere ad lectulum*; teste Burmanno.

Vs. 5. *Onus naturae deponeret*, aluum exoneraret, fetum deponeret, vt L. I. F. XIX. 4. Sed L. II. F. IV. 3. dixit *fetum ponere*, et L. III. F. XV. 6. *prolapsam effundit sarcinam. Onus naturae* L. III. F. XV. 5. appellat *onus ignotum.* Vox autem *naturae* capienda pro partibus genitalibus et vtero, vt Gudius docet. Cic. de Div. II. C. 70. *parere quaedam matrona cupiens, dubitans essetne praegnans, visa est in quiete obsignatam habere naturam*, i. e. vterum. Sic alibi, vt Lexica docent, hoc sensu occurrit; apud Cicer. de N. D. L. III. C. 22. Sueton. Tib. 45. extr. Dictum igitur, vt *onus vteri*, Ovid. Ep. XI. 64. *onus ventris.* Id. II. Amor. El. XIII. 1. *pondus vteri* Prop. L. IV. El. I. 96. (100.) quidni igitur *onus*

Malum finiri, quo conceptum est initio.

Vs. 7. *initio.* Cod. Dan. i. e. Schedae regiae *initium*, vnde Heins. colligebat *primulum.*

---

naturae? v. Gud. *deponeret.* Accommodate. Manet enim in metaphora, ab onere et sarcina desumpta; Catull. XXXIV. *o Latonia, maximi magna progenies Iouis, quam mater prope Deliam deposiuit oliuam.* Hoc verbum et simplex *ponere* proprie vsurpatur in partu. Vid. loca paullo ante notata. Ita Graeci vtuntur ἀποτίθημι, obseruante Burmanno, quem vide. Quae si forte non placeant, *onus naturae* explicandum, onus a natura matri impositum, vt *vox naturae* L. V. F. V. 33. i. e. quam natura indidit. v. V. L.

Vs. 7. *conceptum*, ortum. Sic apud Cic. N. D. III. C. 38. *conceptus a se ipso dolor* oppônitur immisso diuinitus. An Phaedrus in ambiguo hujus verbi sensu ludere voluerit, quod volunt Rigalt. et Schefferus, incertum.

FABULA XIX.

CANIS PARTURIENS. *)

Habent insidias hominis blanditiae mali:
Quas vt vitemus, versus subjecti monent.

Vs. 2. *vt.* Heins. *qui.*

*) Illustrandae huic fabulae, quae non legitur inter Graecas Aesopi fabulas, inseruit locus Justini L. XLIII. C. 4. Mortuo nimirum Nanno rege, qui locum condendae vrbis Massiliae Phocaeis dederat, v. Justin. l. c. Cap. III. anno ante Christum 539. fabulam hanc de cane parturiente Comano, Nanni filio, paterno regno succedenti, narrauit Ligur quidam, vt significaret, *quandoque Massiliam exitio finitimis populis futuram, opprimendamque in ipso ortu, ne mox validior ipsum obrueret. Canem*, inquit, *aliquando partu grauidam locum a pastore precario petisse, in quo pareret: quo obtento, iterato petisse, vt sibi educare eodem in loco catulos liceret: ad postremum adultis catulis, fultam domestico praesidio, proprietatem loci sibi vindicasse. Non aliter Massilienses, qui nunc inquilini videantur, quandoque dominos regionum futuros.* Paullo aliter tamen Justinus narrat fabulam, quam Phaedrus. Nam apud illum petiit canis, vt liceret manere in eodem loco, et catulos educare, in quo pepererat; nec ibi agitur de ducendo, vel educendo, et Justinus mansisse canem et vindicasse sibi proprietatem loci dicit, vt videmus Anonymum et Romulum etiam narrare, cum Phaedrus eo vsque fabulam non produxerit, sed satis indicarit ita factum, et lectoribus cetera conjicienda reliquerit. Vid. L. II. F. VII. et saepe alibi similia, facilia intellectu praeterit. Cf. Brotier. et Burmann.

Vs. 1. *Habent* continent, inferunt. Sic supra F. XII. 15. *quantum luctus habuerint.* Quinctil. Decl. 273. *bella quoque insidias habent*, qui locus Burmanno debetur. Cic. ad Div. VII. Ep. 18. *nihil habebat epistola, quod non vel in concione recte legi posset.* Alia exempla v. in Not. Schefferi. Cl. Sattler: *der Schurken Schmeicheleyen sind ein Fallstrick.*

Vs. 2. Hunc versum integrum retinuit Romulus Divion. nisi

Canis parturiens cum rogasset alteram,
Vt fetum in ejus tugurio deeponeret,
Facile impetrauit: dein reposcenti locum
Preces admouit, tempus exorans breue,
Dum firmiores catulos posset ducere.

Vs. 5. *dein.* MS. Pith. *deinde.*

Vs. 7. *catulos posset ducere.* Sic MSS. Pith. Rem. et Vett. Edit. vt Nevel. Rigaltii 2. Sed Vrsin. Burmann. Bentlej. *posset catulos ducere*, leui, sed non necessaria, mutatione. Quare cum

---

quod *omnes* intrudat post *vt. subjecti*, infra positi. Hoc Promythium Publius Syrus ita expressit. *Habet suum venenum blanda oratio.*

Vs. 3. *rogasset alteram.* Anonymus Nilantii F. LIV. *rogauit scrofam*; sed v. *Lessingii* l. c. p. 246. Romulus Nil. F. 9. aliam Caniculam. Romulus Div. L. I. F. 9. *rogabat alteram.* Pro alia quauis sumunt Scioppius et Schefferus. Sic Cic. de Off. III. *detrahere alteri sui commodi caussa*, et ita L. I. F. IV. 4. *aliam praedam ab alio ferri putans.* Sed Burm. *alteram* proprie sumi jubet, quia agatur de duabus. Equidem mallem prius.

Vs. 4. *fetum deponeret*, deponere sibi liceret. Vid. ad L. I. F. XVIII. 5. Nota singularem de bestia, quae multiplices fetus procreat. Romulus et Anonymus Nil. *exponeret.*

Vs. 5. *reposcenti* sc. alteri cani.

Vs. 6. *preces admouit.* H. l. de eo, qui ab inuito studet obtinere. Cf. Scheffer. vt L. III. F. XVI. 6—8. Antea *rogabat* canis; nunc *preces admouet*, quod est fortius; post *exorat.* Nota gradus. Hac loquendi formula, de qua consules Axenii et Burmanni Notas, vtitur Phaedrus etiam Epil. III. 20. sed paullo alio sensu. *tempus exorans breue.* Non modo homines exoramus, sed res, quas obtinemus. Ter. Andr. III. IV. 13. *gnatam vt et oro, vixque id exoro.* Plaut. Bacch. V. II. 51. 57. 58. ter quaterue dixit *exorare aliquid*, et V. 82. *hanc veniam illis sine te exorem.* (i. e. mea gratia da illis veniam. Gesner.) Est vero idem, quod impetrare vehementer et saepius orando. *Burm.* Sic etiam recte explicat Gronov. Alii aliter, de quo Vid. Schefferi Notae.

Vs. 7. *dum*, donec. Nep. Paus. III. *dum se res aperiret.* Liv. L. IV. 21. *Virginius, dum*

Hoc quoque consumto, flagitare validius

recentioribus Brotier. Bipont. Desbillon. retineo vulgatum. *ducere*. Cod. Dan. s. schedae regiae *deducere*. Inde Heinsius aliquot conjecturas adscripserat margini: *dum firmiores posset caula educere*; vel, *dum firmiores catulos post educeret*; vel etiam, *tum firmiores catulos posse educere*; vel, *dum firmiores catulos inde abduceret*. Sed omnia frustra. V. Schefferi et Burm. Notas. *educere* tamen non displicet Cl. Schirach. Clav. P. I. p. 108.

Vs. 8. Bentlej. vt clarius intelligatur, vtra duarum canum

---

consuleret Collegam, *moratus*. *ducere*, donec catulos, aegre adhuc incedentes, firmiores, i. e. robustiores corpore factos, post se trahere, s. secum ducere posset. *Secum* enim potest subintelligi, vt *mecum* in loco Quinctiliani Decl. 269. *potestis aliquid ex ipso fugae comitatu colligere*, *ne seruos quidem amplius quam duos duxi*. Ita τὸ *ducere* recte explicant Schefferus et Burmannus de matre, quae catulos secum ducit extra cubile, vt doceat ingredi et victum parare. Plinius de ceruis et eorum hinnulis L. VII. 32. *ad praerupta ducunt*. Ita apud Ovid. Met. VIII. 214. *producere* de aquila et auibus, quae ex nido ad volandum ducunt pullos. Omnes enim *ducere* dicuntur, quos alii sequuntur. Mater igitur canis catulos sequentes recte *ducere* dicitur. Ita Homerus Il. ρ. 133. sqq. de Leone, cui *catulos ducenti* occurrunt venatores in silua, νήπια ἄγειν, quod optime respondet τῷ Phaedri *catulos ducere*. v. Burm. et Bentlej. Alii aliter. De educandis catulis capi non posse, vt Bentlejo videtur, Burmannus probandum in se suscepit. Nam additum *firmiores* docet, non de educandis agi, sed de ingressis, vel qui jam stare et ingredi inciperent; ante enim eos ducere non poterat.

Vs. 8. *Hoc* refer ad *tempus breue*, (Vs. 6.) quod Canis altera concesserat. *flagitare validius*. Vs. 5. simpliciter *reposcebat locum*; nunc *flagitat validius*, *fordert mit Ungestüm*, de quo verbo, quod est plus, quam *postulare*, v. Laur. Valla L. V. C. 58. Elegantia verbi notanda, quod proprium est debita exigentium. Cf. Gronov. Non raro autem vtitur Phaedrus vocabulo *validius*, vt L. I. F. XXIV. 9. L. III. F. XVI. 6. Epil. IV. 9. *Valide*, *validius*, *validissime* Latine dici, ostendunt multisque exemplis firmant Burmann. et Gesner. Itaque correctione non erat opus. Cf. V. L.

Cubile coepit. Si mihi et turbae meae
Par, inquit, esse potueris, cedam loco.

flagitare coeperit, corrigit: *flagitari vt validius cubile coepit: Si* cet. Sed cum hoc non possit esse dubium, vt justo fusius monstrat Burmannus, is quidem hanc emendationem repudiat. Atque etiam melius et Latinius diceretur *flagitari coeptum.* Exemplis, a Burmanno adductis, addi posset Nep. Timoth. 3. *validius.* Male Rittershus. et Heins. *valdius*, quod idem est, sed contractis syllabis; sed v. Notas.

Vs. 9. MS. Pith. et Dan. *Cubile coepit, illa si* cet. Sic Editt. Pith. et Neveleti. Salmasius delet τὸ *illa;* sed Heins. legi volebat: *Cubile coepit: Illa, mihi et turbae meae, Par si, inquit, esse potueris, cedam loco.*

Vs. 9, *Cubile.* Cic. de N. D. II. 49. *bestiae in cubilibus delitescunt.* Cf. etiam L. III. F. II. 11. L. II. F. IV. 12. Nota varietatem et copiam in *tugurium, locus, cubile*; deinde in *fetus, catuli, turba. coepit* intellige justus possessor ab injusto, cui mox respondet possessor injustus. Vid. ad L. I. F. II. 8. *turbae*, catnlis.

Vs. 10. *Si par esse potueris,* Si jam vis de loco certare, et mihi meaeque turbae te parem esse credis, victus (nimirum postquam de loco decertauerimus) cedam loco. *Burm. cedam loco.* Sollemnis locutio. Plin. H. N. X. 12. de coruis, *genitores suboli loco cedunt* et passim alii. *Burmann.* Sic, etsi alia in re Liv. L. II. C. 47. *cessissentque loco, nisi consul alter — rem inclinatam sustinuisset.*

Eamdem fabulam habes apud *Anonymum Nilantii* F. LIV. *Anonymum Neveleti* F. IX. *Romulum* Divion. L. I. F. IX. *Romulum Nilant.* F. IX. Adde *Zachariae* Fabb. p. 127. der *Hund* und der *Wolf.* Si rationem habeas dictionis, haec fabula adnumeranda elegantissimis et Latinissimis. Vel in prosa verborum collocatio non possit esse rectior et elegantior. Nota etiam tenuitatem, conjunctam cum facilitate et simplicitate, plane singularem.

FABULA XX.

CANES FAMELICI.

Stultum consilium non modo effectu caret,
Sed ad perniciem quoque mortales deuocat.
Corium depressum in fluuio viderunt Canes:

Vs. 1. 2. Hoc Promythium displicet *Lessingio* l. c. p. 247. *Die Moral*, inquit, *welche Phaedrus aus dieser Fabel zieht, ist nicht allein höchst gemein, sondern auch ganz die unrechte.* Melius haec, expressa sunt in fabula graeca: πολλοὶ δι' ἐλπίδα κέρδους ἐπισφαλοῦς μόχθους ὑφιστάμενοι φθάνουσι πρῶτον καταναλισκόμενοι, quae sic reddit Lessingius: *viele, die in Hoffnung eines unsichern Gewinnstes sich einer schweren Arbeit unterziehen, kommen um, ehe sie zum Zweck gelangen.* — *effectu caret.* Ovidiana phrasis, apud quem II. Amor. III. 16. *caret effectu quod voluere duo.* Burm. *ein thörichtes Unternehmen gelingt nicht.* Compara L. V. F. VIII. 6. *ad perniciem deuocat*, exilium affert mortalibus. Vid. L. III. F. V. 1. In hoc nexu insolens putat Cl. Tzschuck. sed vid. ad L. III. V. 1. Contra Burmannus notat, vsos fuisse hoc verbo veteres, pro vocare in periculum, res dubias, periculosas et similes, rarius ad res laetas, jucundas. Sed aeque saepe vsi sunt de rebus laetis. Sic Nep. Cim. C. 4. *deuocare ad coenam.* Cic. pro Leg. Man. C. 14. *ad praedam, voluptatem, delectationem, quietem.* Id. de Prov. Cons. 29. *ad gloriam, ad triumphum.* Liv. I. 20. *ad auxilium. mortales.* Sic Veteres saepe pro hominibus. Habet et alibi Phaedrus L. V. F. V. 1. Prol. L. II. 3.

Vs. 3. *corium*, pellis sicut detracta est pecori. Male igitur Gerike: *eingesenktes Leder.* Vid. supra Versiones Germanicas ann. 1707. *depressum*, demersum. Hoc sensu Cic. pro Arch. C. 9. *depressa classis.* Nep. Con. IV. *naues deprimit.* Cf. Axen. *Schw.* Apte ficta fabula. Canes enim appetere coria et pelles, ostendit Hor. II. Sat. V. 83. *Vt canis a corio numquam absterrebitur vncto*, et hinc Graecum prouerbium χαλεπὸν μαθοῦσα κύων σκυτοτραγεῖν, de quo vid. Schol.

Id vt comesse extractum possent facilius,
Aquam coepere ebibere: sed rupti prius
Periere, quam, quod petierant, contingerent.

Vs. 5 *ebibere.* MSS. Pith. Rem. et Vett. Editt. *aquam coepere bibere.* Sic Nevel. Rittersh. Rigalt. Vrsin. Gronov. Richter. Maittar. Lallem. Brot. Desbillon. al. Sed Cod. Dan. *coepere ebibere*, quod, vt ait Burmannus, conatum canum plenius exprimit. Nam certe ebibere sibi proposuerant, cujus nunc initium faciebant. Cum etiam in fabula graeca sit ἐκπίωσι, recte placuit viris doctis *ebibere*, vt Neveleto, Heinsio, Burmanno, Bipontinis. Sed Bentlej. mutauit in *coeperunt bibere.* Qua mutatione, cum *coeperunt* et *coepere* rectum sit, non est opus. Aeque enim tribrachys ac dactylus probatur Phaedro, obseruante Burmanno. Sanadon et Philipp. ediderunt *Ebibere aquam coepere.* Anonymus Nil. *coeperunt lambere*, quod non displicet Bentlejo et Burmanno. Ita enim F. XXV. *quamlibet lambe otio.*

Vs. 6. *periere.* Cod. Pith. et Ed. Nevel. Rittersh. *ibi periere*; sed delet Salmasius *ibi*, quod et abest a Cod. Dan.

Theocriti Idyll. X. 11. (Adde Erasmi Adag. p. m. 466.) Inter Arabicas etiam Locmanis (Vid. p. 43. Edit. Erpen.) legitur, sed ibi Lupis tribuitur, quod hic canibus. *Burmann.*

Vs. 5. *ebibere.* In Graeca fabula habetur: *συνέθεντο ἀλλήλοις, ὅπως πρῶτον τὸ ὕδωρ ἐκπίωσιν καὶ εἶθ' ὅτως ἐπὶ τὰς θύρσας παραγένωνται.* Cf. V. L. *rupti periere*, disrupti (*διαῤῥηγῆναι*), *sie zerplatzten.* Eleganter. Compara L. I. F. XXIV. 10. vbi vide. Virg. Ecl. VII. 26.

Vs. 6. *contingerent.* Compara L. I. F. IV. 7. Hor. A. P. 410. *contingere metam.* Cl. Sattler: *eh sie erreichten ihres Wunsches Ziel.*

Vide *Aesopi* Fab. 211. in Neveleti Mythol. Aesop. p. 258. quae est fab. 208 in Editt. Hauptmann. et Ernest. *Anonymi Nil.* F. II. *Fontanii* L. VIII. F. 25.

FABULA XXI.

LEO SENEX, APER, TAURUS ET ASINUS.

Quicunque amisit dignitatem pristinam,
Ignauis etiam jocus est in casu graui.
Defectus annis, et desertus viribus

Vs. 2. Neveletus edidit: *ignauis est etiam j. i. c. g.*

Vs. 3. *defectus.* Romulus Vlm. *annis decrepitus*, pro quo in Rom. Divion. corrupte *deceptus*, e compendio. Scioppius male τὸ *defectus* explicabat, cui anni deessent; emendabat igitur *defessus*, quam lectionem recte rejiciunt Faber et Scheffer. quos vide. Vulgatum *defectus* firmat quoque Anonymus Nilantii F. XVI. apud quem legitur: *defectus annis et desolatus viribus.* Istud *desolatus viribus* recepit Cuninghamus. Bentlejus

---

Vs. 2. *Ignauis*, timidis, meticulosis, qui antea etiam justa de caussa offendere illum non fuissent ausi, animo carentibus. L. I. F. XXIX. 11. *ignauus sanguis*, de asino. *Gronov.* Liv. L. V. C. 28. *ignauissimus et fugacissimus hostis.* — *jocus.* Jocus et ludus pro re abjecta et leni, quae merito ludibrio haberi possit. Cic. pro Flacc. 5. *quibus jusiurandum jocus est, testimonium, ludus cet. Sciopp.* Petron. LVII. *nunc spero, me sic viuere, vt nemini jocus sim.* Fabulae hujus veritatem firmat Xerxes apud Justin. L. III. C. 1. *Burmann.*

Vs. 3. *Defectus annis*, confectus, debilitatus senectute. Cl. Sattler: *vom Alter ausgemergelt.* Laudant Interpretes Col. V. 6. extr. *defecta senio arbor.* Colum. de R. R. L. I. Praef. *E turba lecticariorum defectissimum annis et viribus in agrum relegat.* Quinctil. Decl. XIII. C. 2. vbi vid. Burmannus, *defecta labore senectus.* Vlpian. L. III. ff. ad S. C. Silan. *ignoscitur etiam his, qui aetate defecti sunt.* Plurima exempla hujus locutionis adduxit Axen. coll. Not. Gud. *Deficere* actiue est, defatigare. Propert. I. VIII. 23. *nec me deficiet rogitare nautas.* Hinc potest intelligi, *deficere* idem esse posse, quod conficere, debilitare. *Desertus viribus.* Simili modo dixit Cic. de Sen. *vires deserunt corpus*, teste Santoroco. Id. Cic. de Div. I. 20. *Vires,*

Leo cum jaceret, spiritum extremum trahens,
Aper fulmineis ad eum venit dentibus,

legit, *confectus annis*, vt L. I. F. XIV. 5. et III. VII. 2. sed v. Notas. *annis.* MS. Rem. *armis*, quod frustra tuetur Gudius. *desertus.* Bentl. inuitis libris et sine necessitate, *defectus viribus*, laudans praeter alia Romuli Nilantii F. XIV. *annosum leonem viribus defectum.* Heumannus conjicit; *defectus annis et defectus viribus*, quam lectionem strenue defendit in N. B. P. XXVII. p. 607. Repetitionem τῦ *defectus*, ait, facere elegantiam, et poëticae rationi esse accommcdatam; *defectus* et *desertus* facile potuisse confundi; *desertus viribus* non esse Latinum; *defectus viribus* sollemnem esse loquendi formulam. Quae aliquam profecto speciem habent, nisi quod putem, *desertus viribus*, Latine dici posse; (V. Notas.) adeo vt τὸ *desertus* non temere ejiciendum sit. Heumanni tamen conjectura defenditur in A. E. ad ann. 1718. p. 344. ex Phaedri L. V. F. VI. 2. aliisque locis. Heumanno accedit El. *Major* de Varianda Oratione C. IV. Sect. 4. p. 451. Contra *desertus* defendit Thom. *Wopkens* in Misc. Obs. VII. T. 3. p. 380. ex Auct. Dial. de causs. corr. eloq. C. I. 1. *nostra aetas deserta et laude orbata.*

---

vitaque corpu' meum nunc deserit omne. In constructione autem hujus verbi non raro praepositio a omittitur, vt docent exempla, ab Interpretibus memorata. Tac. Ann. III. 20. *neque proelium omisit, donec desertus suis caderet.* Ita Ovid. XII. Ep. 161. *deseror conjuge.* Prop. II. VII. 17. *desertus conjuge Achilles.* v. Burmann.

Vs. 4. *jaceret.* Vsitate de aegrotis. v. L. I. F. XIV. 5. Sic alii saepius. *spiritum extremum trahens.* Hac locutione vsi sunt passim veteres vt Curt. L. III. C. 6. Justin. L. XXVIII. 3. v. Scheffer. et Burm. quibus adde Cels. L. II. 7. fin. L. III. C. 27. Eleganter autem *trahens* difficultatem exprimit (v. L. III. F. VII. 12.) et vltimos quasi viuendi conatus jam olim notante Scheffero. Non melius pingere poëta poterat imbecillum et languidum leonem.

Vs. 5 *fulmineis.* Huic Epitheto inest mirifica elegantia et vis. Sic saepe de apro poëtae. V. Interpretes. Stat. Theb. VI. 865. *fulminei sues.* Dicuntur autem dentes aprorum *fulminei*, non a lucendo, (*blitzende Zähne*) sed a vi atque furore, *der Hauer, der hauende Zahn.* Vid. A. L. Z. ann. 1785. II. 281.

Et vindicauit ictu veterem injuriam:
Infestis Taurus mox confodit cornibus
Hostile corpus. Asinus, vt vidit, ferum
Impune laedi, calcibus frontem extudit.

Vs. 6. *ictu.* Heins. *ita*, vel *sic*, sed v. Burm. qui probat, in lectione vulgata metrum constare, neque emendatione opus esse.

Vs. 7. *infestis.* Rigaltii, Nevelet. Rittershus. Vrsini, Meurs. al. Editiones habent *infestus.* Perperam. *Infestis* est in Cod. Dan. quod quia est magis poëticum, recte placuit viris doctis. Anonymus Nilantii *infestans.* Vid. Notas Nilant.

Vs. 9. *extudit.* Recepi lectionem MS. Rem. et Cod. Dan. Sic quoque ediderunt: Gronovius, qui tamen *exterit* tuetur ad

---

coll. Schirach. Clav. P. I. p. 145. At Schefferus dentes propter candorem inter nigras setas *fulmineos* dici censet. *ad eum venit*, irruit in eum. De hac locutione, quae vt *ire*, *in* vel *ad aliquem*, notat iratum animum, erudite disputauit Burmann. „*Venire*, inquit, *contra* vel *aduersum aliquem* Ciceroni et aliis vsitatissimum. Sed rarius est, *venire ad aliquem.* Ita tamen Caes. B. G. VII. 70. *Galli perturbantur: veniri ad se confestim existimantes, ad arma conclamant.* Et saepe praepositio *ad* pro *in* poni solet. Liv. I. 5 *ad regem impetum facit.* Cf. L. IV. F. IV. 5.“

Vs. 6. *ictu.* Proprie et Latine dici de morsu aprorum, Scheff. et Axen. probant ex Ovid. L. VIII. Met. 344. *obliquo latrantes dissipat ictu* et Hor. L. III. Od. 22. 6. sqq. Praeterea notandum, *ictu* apte hic poni respectu ad fulmen V. 5. et morsum apri.

Vs. 7. *infestis.* Epitheton elegans. Talia saepissime apud poëtas. Vid. L. III. F. II. 14. L. I. F. XXXI. 12. et ad L. II. F. III. 1. vbi cf. V. L. At vero et apud scriptores prosaicos occurrunt *infesta spicula, signa, tela* cet.

Vs. 8. *Hostile corpus*, leonem, quem mox dicit *ferum*, de quo vid. ad L. I. F. XII. 9.

Vs. 9. *extudit.* Vid. V. L. Haec locutio ad insolentiores referenda. Simili modo tamen Senec. Controv. V. 33. dixit: *alterius diminutas scapulas in deforme tuber extundit.* — Delectat varietas: aper vindicat injuriam ictu; taurus confodit cornibus; asinus frontem calcibus extundit.

At ille exspirans: Fortes indigne tuli
Mihi insultare: te, naturae dedecus,

Senec. Brev. Vit. C. 13. teste Burmanno; Funccius, Santoroc. Richter. prima Burmanni, Petsch. Brotier. Desbillon. Sic etiam legi jubet Gudius; statuit enim, a vetustissimorum librorum auctoritate non temere esse recedendum; atque etiam, si ita legatur, conuenire tempora, quae ceteroquin discrepent. Laudat autem Suet. Vesp. 2. *ea demum extudit magis conuicio, quam precibus, vel auctoritate*; in quo tamen loco τὸ *extudit* de violenta et saepius repetita percussione vix capi potest. Lectionem *extudit* quodam modo confirmat Romulus Vlmensis, apud quem legitur *contudit*. Vide etiam infra Notas. Codex Pith. antiquitus habuisse videtur *extudit*, teste Brotierio; sed recenti manu emendatum *extorxit*, non *exterxit*, quod vult Heinsius. Inde Pithoeus emendauit *exterit*, i. e. calcitrando confringit. Cui lectioni fauet locus Statii Theb. L. X. 473. *grauis exterit artus vngula*, ad quem locum, a Scheffero adductum, Burmannus laudat Barthium. Recepit eamdem jam olim Neveletus, atque etiam post Vrsinum praefert Burmannus, cui non verisimile videtur, librarium hoc verbum vulgari *extudit* supposuisse. Cui accederem, si *exterit* esset in libro scripto, in quo tamen legitur *extorxit*, quod est a manu secunda, non prima; vnde Pithoeus fecit *exterit*, quod falso Bentlejus contendit esse in Cod. MS. An forte rudis librarius, qui verbum primae manus non intelligebat, emendandi prurigine abreptus, emendauit *extorxit*, cum scribere debuisset *extorsit*? Bipontini legunt *excutit*, quod in simili re passim occurrit in priscis scriptoribus; sic *excutere dentem*, *cerebrum*, *oculum*. Prope etiam accedit ad scripturam verbi *extudit*. Recepit hanc lectionem Cl. *Jördens*.

Vs. 10. *tuli*. Cod. Dan. i. e. Schedae regiae *fero*. V. Scheff.

Vs. 10. *exspirans*, sc. inquit. *Fortes*, aprum et taurum. Vid. v. 5—8. *indigne tuli.* Verte, *es hat mich geschmerzt, gekränkt.*

Vs. 11. *insultare*, de iis, qui injurias per ludibrium inferunt. v. Scheff. Compara V. 2. *te* intellige, *sed. naturae dedecus.* Eleganter de Asino, ex quo formato natura non tam laudem meruit, quam dedecus. Et sic Cic. *dedecus familiae* pro Rabir. *vniuersi sexus dedecus*, Apulej. L. IX. Asin. *Scheff.* Auget illa-

Quod ferre certe cogor, bis videor mori.

Vs. 12. *Quod ferre certe cogor.* Sic MSS. Pith. Rem. Alii ediderunt: *quod ferre cogor, certe bis videor mori*, vt Meursius, Vrsin. Freinshem. Funcc. Cuningham. Lallem. Didot. al. Burmannus legi posse putabat, *quod ferre inertem cogor*, vt *iners* opponatur fortibus; sed ipse vult nil moueri. Cl. Jakob. conjicit, *quod ferre morte cogor*, suffragante Langio; sed v. A. L. Z. 1785. II. 281.

---

tam contumeliam auctoris contemtu. *Tzsch.* Ovid. Am. II. VII. 15. *auritus miserandae sortis asellus.* Cl. Sattler: *Schandfleck der Natur.*

Vs. 12. *certe.* Haud vna est de hac voce Interpretum sententia. Burmannus explicat *saltem*, vt L. I. F. XXIX. 8. Prol. III. 32. „fortes tuli indigne, sed tuli tamen, mihi insultare; sed te quod saltem cogar ferre, bis videor mori.“ Neque etiam ineptum ei videtur, capere pro indubitato, sine dubio; tum vero legendum esse, *quod ferre cogor, certe (certo) bis videor mori*; quae ratio placet magnopere. Nec desunt, qui *certe* referant ad *videor, bis mori*; etsi nil loco suo moueant; talem enim σύγχυσιν etiam alibi occurrere censet. v. Prasch. coll. Schirach. Clav. P. I. v. *certe* et Gud. Secundum Desbillonium aduerbium *certe* vim habet hic significantiorem, vt exprimatur leonis indignatio. Quam interpretationem praeferrem reliquis, si posset probari, veteres hanc vocem ita vsurpasse. *bis videor mori.* Vsitata locutio, pro magnum dolorem et acerbitatem ex indigna morte sentire. Ita Orestes apud Euripid. in Oreste. 1118. δὶς θανεῖν οὐ χάζομαι. *Burmann.* Contra ab aduersario magno vinci et interfici, solatium quoddam est. Vid. Virg. Aen. X. 829. sq. et Ovid. Met. XII. 80. sq. coll. Rittershus. Not. Etiam *bis mori* dicuntur, qui alterius arbitrio pereunt. Publius Syrus 83. *Bis emori est alterius arbitrio emori.* Nota singularem quamdam vim in oratione leonis moribundi. Sattler: *macht doppelt bitter mir den Tod.* Gerike: *das heifs ich zweymal sterben.*

Compara *Anonymum* Nil. F. XVI. *Anonymum Neveleti* F. XVI. *Romulum* Divion. L. I. F. 15. *Romulum* Nil. F. XIV. *Gleim.* L. II. F. X. *Fontan.* L. III. F. XIV. In Fabula Romuli non paucas locutiones deprehendas, quae indicio sunt, fabulam ex ipso Phaedri Codice esse expressam.

FABULA XXII.

MUSTELA ET HOMO.

Mustela, ab Homine prensa, cum instantem necem
Effugere vellet: Parce, quaeso, inquit, mihi,
Quae tibi molestis muribus purgo domum.

Vs. 2. *Parce, quaeso, inquit.* In MSS. Pith. et Rem. *quaeso inquit parce mihi*, quod metro repugnat. Sic tamen Neveletus et Didotus in Edit. stereotypa; nec displicet Cl. *Gail.* Pithoeus emendauerat: *quaeso, inquit, parcas mihi.* Maluit enim sic mutare, quam transferre. Ita legunt non paucae Editiones, vt Vrsin. Rittershus. Rigaltii 2. Maittar. Funcc. Philipp. Lallemant. Richter. aliae. Burmannus obsecutus est viris doctis, rescribentibus, *quaeso parce, inquit, mihi.* Equidem recepi Bentleji lectionem: *parce, quaeso, inquit, mihi.* Sic quoque ediderunt Brotier. Bipont. Desbillon. Jördens. Anon. Nil. *rogo parce mihi.* At Romulus Div. *rogo, inquit, vt parcas*; Rom. Vlmens. *rogo, inquit, parcas mihi.*

Vs. 1. *instantem necem.* Vid. L. II. F. VIII. 2. Anonymus Nil. et Romulus Div. narrant, hominem mustelam cepisse, cum in eo esset, vt haec murem fugientem comprehenderet.

Vs. 2. *parce.* Notandus elegans hujus verbi vsus, vbi aliorum animos mollire cupimus. Ovid. Her. XVIII, 45. *parce precor.* Hor. L. II. Od. XIX. 7. 8. *parce, Liber, parce, graui metuende thyrso.*

Vs. 3. *muribus*, omissa praepositione *a*, quam alias solent apponere. Sic Pallad. in Apr. C. 8. *purganda aluearia sunt sordibus.* Cf. Scheffer. *tibi*, melius refertur ad *purgo*, quam *molestis;* potest enim esse datiuus commodi, in tuum commodum et vtilitatem. Eleganter etiam *tibi* et *mihi* ornandae orationis caussa adjici solent, id quod multis probat Burmannus. Vid. e. c. Liv. in Praef. *ad illa mihi quisque intendat animum;* Hor. I. Ep. III. 15. *quid mihi Celsus agit?* Terentio et Plauto ista elegantia inprimis familiaris. v. Burmann. Hisce adde locum Cic. ad Div. IX. Ep. 2. *at tibi repente paucis post diebus, cum*

Respondit ille: Faceres si caussâ meâ,
Gratum esset, et dedissem veniam supplici:
Nunc quia laboras, vt fruaris reliquiis,
Quas sunt rosuri, simul et ipsos deuores,

Vs. 4. *Faceres si caussa mea.* Antea legebatur, *facerem si.* Ita Cod. Pith. Rigalt. Nevelet. Rittersh. al. Sed *faceres* legendum esse, docet Romulus Div. *non caussa mea facis*; nec non Anonymus Nil. *Non caussa mea facis, nam si pro me fecisses, gratum haberem et darem tibi veniam.* Emendauit etiam Bongarsius *faceres*, probantibus Salmasio et Heinsio.

Vs. 5. *et dedissem.* MSS. Pith. Rem. *et* non agnoscunt. Sic igitur litterâ *m* non elidi debet. Sed Pithoeus emendauit *et dedissem*, cui obsecuti sunt plurimi; Brotier. tamen recepit lectionem librorum scriptorum. Sed defendi potest *et* ex Anonymo Nil. *gratum haberem* et *darem tibi veniam supplici.* Rittershus. conjicit *supplicI*, pro *supplicii.* Perperam.

Vs. 6. 7. *reliquiis quas.* Sic MS. Rem. et recentiores Editiones. In Cod. Pith. et Vett. Edit. vt Nevel. Rigalt. 2. est *quae.* Qui sic legunt, *reliquia* in neutro genere vsurpari putant referuntque ad peculiares Phaedri dictiones. Prouocant autem

---

minime exspectarem, venit ad me Caninius, ad quem locum v. Corte, coll. Gruneri Obs. crit. in Ph. p. 16.

Vs. 4. *caussa mea* elegantior et veteribus magis vsitata locutio, quam *caussa mei.* Ter. Heaut. V. V. 23. *Syro ignoscas volo, quae mea caussa fecit.* Ter. Prol. Heaut. 41. Ovid. Ep. XX. 108. *Burm.*

Vs. 5. *gratum esset*, gratum haberem. Graeci ἴσημι χάριν; *ich würde dir es Dank wissen.* De hac locutione v. quos laudat Burmann. Cic. ad Div. L. XIII. Ep. 18. *Tale tuum judicium — non potest mihi non summe esse, jucundum. Quod cum ita sit, esse gratum necesse est.* Sic alii passim, vt probant exempla, a Burmanno citata. e. g. Ovid. Ep. XVI. 13. *dedissem veniam*, precibus tuis admisissem. Hoc sensu legitur ap. Nep. Themist. X. 1. Eum. VI. 4. *supplici*, tibi suppliciter oranti. Hoc referendum ad *parce quaeso* Vs. 2.

Vs. 6—8. *Nunc quia laboras*, sed quia non ideo in capiendis muribus operam ponis, vt gratum mihi facias, et domum purges; immo vero, vt absu-

Noli imputare vanum beneficium mihi.

ad Plaut. Mil. I. I. 54. *at pedites tibi reliquia erant, si viuerent.* Sed Gronov. et Bipontini legunt *reliquiae.* Nondum igitur certum auctorem haec forma habet, quicquid Scheffer. Rittersh. Faber de ea disputent. Cf. Gesner. Habent etiam Romulus Divion. *mures necas, vt comedas reliquias;* Anonymus Nil. *reliquias nostras totas deuoras;* ipse Phaedrus aliquoties hac voce vsus est. V. Notas. Heinsius legit *relicuis quas;* Gud. *reliquis,*

---

mas, quod a pridianis coenis fuit reliquum, (*vt fruaris reliquiis), quas* mures *sunt rosuri,* (*die sie benagen wollen*) vtque ipsos simul deuores; noli cet. Sic omnia plana et aperta. At Cl. Tschuckio hi versus non satis clari et lucidi videntur. „Sensus, *inquit,* hic esse debet: *quia non hoc vnum agis, vt mures capias; sed et consumas adeo, quod illi tantummodo sunt rosuri.* Inest vis in verbis *rosuri,* quod leuius damnum infert, et *fruaris,* quod grauius.“ Sed haec sunt a poëta aliena. Etenim homo mustelam interficit, non quod sibi majus, quam mures, damnum inferat, sed propter impudentiam (*improbam leto dedit*). Imputat enim homini beneficium, quod mures capiat, sed vanum. *Nunc,* eleganter pro *sed; nun aber.* Ita Curtius L. III. C. 4. *nunc paucis, qui callibus praesiderent, relictis, retro ipse concessit,* in quo loco *nunc* reddi debet, *so aber.* Ita passim apud Ciceronem. *reliquiis.* Eodem modo occurrit L. III. F. I. 6. *cum tales sint reliquiae;* L. V. F. IV. 3. *reliquiae hordei.* Cf. V. L. *rosuri.* Proprie de muribus. Laudat Scheffer. Cic. Div. II. 27. Plin. L. VIII. C. 7. *imputare.* Proprie rationum verbum est, vbi imputamus alii, quod tamquam datum illi, vel vt acceptum ab illo, in rationibus nostris ponimus, *anrechnen, zurechnen.* Deinde benefactorum et malefactorum annotationem quasi notat et attributionem, seu idem, quod exprobrare tamquam beneficium, postulare, aliquid gratiae apponi sibi. Suet. Tib. 53. *imputauit etiam, quod non laqueo strangulatam in Gemonias abjecerit,* vbi v. Casaubonum et Cellar. Cur. post. p. 163. itemque Gesneri Thes. L. L. Senec. Tranq. An. 6. *officia imputare.* — *vanum,* mendax, quod falso profiteris esse beneficium. Vid. A. L. Z. ann. 1785. II. 281. *Vanus et mendax* junxit Virg. L. II. Aen. 80. de Sinone, Cf. L. IV. F. XV. 4. L. III. F. VI. 11. Infra vs. 12. dixit *meritum inane.*

Atque ita locutus improbam leto dedit.
Hoc in se dictum debent illi agnoscere,
Quorum priuata seruit vtilitas sibi,
Et meritum inane jactant imprudentibus.

vt vel scribatur *relliquis*, vel vt *reliquis* sit quadrisyllabum. *sunt rusuri.* Harius mallet *sint.*

Vs. 9. *Atque ita.* Alii *ista*; perperam. *Ita* enim est in libris scriptis; deinde *atque ita* Phaedri genuinum est, de quo v. Notas.

Vs. 12. *jactant.* Alii *jactat*, quod est a Rittershusio. Sic Bipontini, Hoogstratan. Gronov. prima Burmanni, Richter. nec displicet Schefferо. Sed *jactant* non pendet a *priuata vtilitas*, sed ab *illi qui.* Cf. Heusinger et Burmann. it. Notas. *imprudentibus.* Graev. Ep. 506. ad Nic. Heins. T. IV. Syll. Epp. Burm. p. 481. legi vult: *et meritum inane jactant impudentius.* „Hinc, *inquit*, et mustelam vocat *improbam*, i. e. impudentem. Nam fabula non ad illos pertinet, qui imprudentibus venditant se, et inania imputant beneficia, qui horum jactatorum artes non intelligunt et ab iis decipiuntur: nam mustelae vanam ostentationem statim deprehendebat ille, qui eam ceperat, hinc et poenas dabat morte; sed in homines illos effrontes, qui audent merita sua magnifice praedicare, quibus tamen non tam

---

Vs. 9. *Atque ita.* Vid. ad L. I. I. 13. coll. Jani A. P. p. 343. *improbam*, impudentem, audacem, vt L. II. F. I. 4. Alii explicant auaram, crudelem; sed male. Alii aliter. Mirifice placet hoc Epitheton Phaedro. *leto dedit.* De hac poëtica et frequenti locutione plura dabunt Burm. et Hoogstratan. Vid. L. III. F. XVI. 18.

Vs. 10. *in se*, ipsorum gratia. V. Schirach. Clav. P. I. p. 175. Cum hoc versu compara L. I. F. VII. 3. XIV. 17. L. III. F. XII. 7. L. IV. F. XXII. 3. L. V. II. 14. *diess mögen sich diejenigen gesagt seyn lassen.*

Vs. 11. Sensus: qui quicquid agunt, rationibus suis consulunt, seu vtilitatis priuatae, non aliorum caussa agunt. Vsitatius, seruiunt vtilitati suae.

Vs. 12. *meritum inane*, paullo ante *vanum beneficium*, *ein erlogenes Verdienst.* Male vertunt: *aus Eitelkeit.* Vid. A. L. Z. l. c. et ad L. I. F. VIII. 1. *et jactant*, repetendum *qui*, quasi

aliis commodant, quam suae vtilitati seruiunt, deprehensi autem spe sua frustruntur et ludibrio sunt." Quae etsi placere possunt, tamen praestat, Phaedrum oscitantiae arguere, quam contra librorum scriptorum fidem quidquam mutare.

---

dixisset *et qui jactant.* Vid. *van Dorp* Observ. p. 12. vbi haec: „durior est locutio. Sed plura ejusmodi apud hos posterioris aetatis scriptores sunt obuia, quae elegantiori aeui Augustaei stilo non conueniunt. Hac ratione *qui* saepe per ellipsin apud alios quoque omittitur. Justin. L. II. C. 6. *Superfuerunt, quos refugia montium receperunt, aut ad regem Thessaliae Deucalionem ratibus euecti sunt, pro, aut qui ad regem* cet. Hisce adde locum Senec. Consol. ad Helv. 2. quem Burmannus affert: *fleant et gemant, quorum delicatas mentes eneruauit longa felicitas, et ad leuissimarum injuriarum motus collabuntur,* pro, *et quae* cet. *Jactare* idem est, quod *imputare* Vs. 8. *hoch anrechnen.* Tac. Ann. VI. 25. 3. *jactauitque, quod non laqueo strangulata, neque in Gemonias projecta foret.* Vid. Not. Pichen. in Edit. Gronov. et ad vs. 8. *Imprudentibus*, apud imprudentes, i. e. imperitos, credulos, ignaros. Vid. L. IV. F. V. 48. L. IV. F. XIX. 5. cf. V. L. Epimythium hujus fabulae laudat *Jacobs* in Obseruatt. ad Phaedri fabulas. v. *Nachträge zu Sulzers Theorie.* T. VI. P. I. p. 72.

Vid. *Romulus* Divion. L. II. F. XX. *Anonymus Nilantii* F. XXIX. *Anonymus Neveleti* F. XL. *Zachariae* Fabel, *die Wölfe und der Rabe.*

FABULA XXIII.

CANIS FIDELIS.

Repente liberalis, stultis gratus est;
Verum peritis irritos tendit dolos.

Vs. 2. *Verum.* Sic MSS. Pith. Rem. et Vett. Editt. fide Brotierii. Ita etiam Nevel. Vrsin. Scheff. Funcc. Sed Bentlej. et Burmannus suspicantur, Phaedrum scripsisse *rerum peritis*; quod saepe occurrat, addito vel genitiuo, vel ablatiuo, vt L. III. F. III. *vsu peritus.* Quod etsi verum est, et ejecta particula *verum* nihil nocetur sensui, et subintelligi potest, vt L. I. F. XXVI. 9. tamen inuitis libris nolim quidquam mutari; maxime cum *peritus* absolute dici possit. v. Not. Amat Phaedrus etiam alibi, istam particulam, vt L. I. IV. 5. Prol. III. 50. Itaque cum Hario, Brotier. Bipontin. Desbillon. al. retinui vulgatum. Cl. Tzschuckio tamen *τὸ verum* languere videtur. *tendit.* In Cod. Pith. erat *ostendit*, factum ex praecedenti irrito*s*.

Vs. 1. 2. Qui praeter spem et consuetudinem liberalis est, stultis quidem, credulis et imprudentibus, valde placet; sed rerum peritis frustra struit insidias, quia suspectus est. Sic recte Gronov. et Schelfer. *repente* praeter spem; Cic. ad Div. IV. 4. med. *repente praeter spem dixit, se — senatui — negaturum.* V. 7. *subita benignitas. peritis.* Absolute. Ita Cic. de Off. L. III. C. 3. *cum sunt docti a peritis, facile desistunt a sententia.* Burmannus affert locum Val. Max. L. I. VIII. 2. *cultu anguis a peritis accepto*, laudans Torrenium ad Val. Max. I. I. 1. cf. V. L. *Periti* autem, vt et *rerum periti* Burmanno sunt, qui longo vsu res humanas, vel ad quascunque se appulere, perspexerunt. *tendit.* Tendi retia dicuntur feris, cum captantur, Ter. Phorm. II. II. 16. *quia non rete accipitri tenditur, nec miluo.* Tibull. I. VI. 5. *Jam mihi tenduntur casses.* Proprie igitur venatorum est. Hic refertur ad fraudes. *Dolos tendere* dixit Hor. Epod. II. 34. *insidias tendere consuli* Sallust. Cat. 27. Ceterum hoc Epimythio Burmannus intelligi cre-

Nocturnus cum fur panem misisset Cani,
Objecto tentans an cibo possit capi:
Heus, inquit, linguam vis meam praecludere,

Vs. 4. *possit.* Reposui cum Bipontin. et Cl. Jördens lectionem MSS. Pith. et Rem. nec non priorum Editt. Pith. et Rigalt. Non enim video, quare *possit*, quod ferri potest, contra Codd. MSS. ejici debeat. Rittershus. primum emendauit *posset*, cui plurimi obsecuti sunt, etiam Bentl. Burm. Brotier. Desbillon.

Vs. 5. *Heus, inquit.* Ita MS. Rem. Pith. et Editt. Vett. Ita Nevelet. Sed cum sententia postulare videretur, *heus si*

---

dit principum et magistratuum ministros, qui pro rebus et rationibus dominorum excubantes, saepe muneribus tentari solent; sed quia prudentes sunt rerum, se objecta offa decipi, vt stulti, non sinunt, verum suspectos habent subito, et nulla de caussa liberales.

Vs. 3. Iis, quae de nocturnis furibus huc congessit Axenius, adde quae notantur ad Petron. XV. p. 53. et L. VII. p. 281. Dictum vero pro *noctu*, obseruat I. F. Gronovius, vt ita *matutinus* Virg. Aen. VIII. 465. Lambin. ad Hor. Epod. XVI. 51. vbi *vespertinus*. Adde et Huet. ad Manil. II. 730. Perizon. ad Aelian. III. 14. *Burm.* Nocturnum furem a diurno distinguit Cic. pro Mil. C. 3. Graeci ἑσπέριος ἦλθεν. Hor. I. Sat. III. 117. sqq. *et qui nocturnus divum sacra legerit.* Vid. Not. Tollii ad h. l. in P. III. Phaedri *misisset*, objecisset. Proprie de canibus. Sen. Ep. 27. *vidisti aliquando canem missa a domino frusta panis aut carnis aperto ore captantem*, qui locus Axenio debetur. Sic L. II. F. III. 2. L. III. F. II. 6. De hoc loquendi genere Burmann. laudat Gronov. ad Senec. Consol. ad Marciam C. V.

Vs. 4. *Objecto.* Etiam hoc proprie de canibus. *Objicere cani cibum* dixit Plin. H. N. L. VIII. C. 40. Sed Virg. Aen. L. VI. 420. *offam objicere Cerbero.* Senec. III. de Ira L. III. C. 37. *objecto cibo mansuescit*, de Cane catenario. Adde L. IV. F. XII. 8. v. Scheff. et Axen. *tentans.* Absolute, vt L. IV. F. VIII. 4. et alibi. *capi*, trahi in partes et ad silendum impelli. Bene Cl. Sattler: *er wollte ihn gewinnen.*

Vs. 5. *linguam praecludere.* Proprie et eleganter; *das Maul stopfen.* Simili modo Liv.

Ne latrem pro re domini? multum falleris.
Namque ista subita me jubet benignitas
Vigilare, facias ne meâ culpâ lucrum.

inquit; Heinsius adjecit *si*. Mollis sane conjectura! quia *si* ab vltima littera τȣ̃ *heus* et prima τȣ̃ *inquit* potuit absorberi, judicantibus Hoogstratano et Burmanno. Sicque edidit Burmannus, qui praeter alia affert locum Prop. II. XVIII. 21. Bentlejus id respuit et interrogationis notam ponit post vocem *domini*, laudans L. II. F. V. 21. et L. III. F. XIV. 6. quae distinctio placere recte potest. Facile enim *an*, vel *num* potest subintelligi, quod fieri aliquando, ipse Burmannus non negat v. Curt. L. V. C. V. 13. Neque sic orationem obscuram reddi puto; immo vero clara sunt omnia. Accedit denique librorum scriptorum auctoritas. Neque etiam Anonymus Nilantii agnoscit τὸ *si*, et Romulus Nil. haec expressit per interrogationem: *Sic gratisne mihi panem porrigis? an vt prodam dominum meum et domum et familiam ac pecuniam illius tibi?* Bentlejo assentiuntur Heusingerus, Gruner. l. c. II. de Schirach. in Clav. P. I. p. 296. *Lange*, in Edit. Phaedri. Alii sine τῷ *si* etiam negligunt illam Bentleji distinctionem, qui tunc supplent per particulam *sed*, et ita capiunt: intelligo, quid velis, vis vt ne latrem, sed multum falleris v. Burm. Nec sic male. Ita Bipontini, Brotier. Desbillon. al. post Nevelet. Rigaltii Ed. 2. Vrsin. Lallem.

L. XXXIII. C. 13. *inimicissimis omnibus praeclusisse vocem videbatur.* Burm. laudat Ovid. II. Met. 658. *linguaeque meae praecluditur vsus.* cf. L. I. F. II. 26.

Vs. 6. *pro re domini.* Res idem est, quod opes fortunae, res familiaris. Hoc sensu veteres vsurpant saepissime. Sic Vellejus *militare pro re ciuium*, ex emendatione Heinsii. Vid. Perizon. Ep. 49. ad Nic. Heins. in Burmann. Syll. Epp. T. IV. p. 818. Ita dicunt *rem facere, conficere*, cet.

Vs. 7. *benignitas.* Id est liberalitas. Vid. plurima de hoc vocabulo apud Lambin. ad Hor. I. Od. 17. 15. Ter. Adel. V. IX. 28. dixit *subitam largitatem*, vt notat Axenius. *Burm. subita.* Apte Sattler: *unerwartet.* Compara vs. 1.

Vs. 8. *facias lucrum*, ne quid furto lucreris. *Scheff.* Ita Plaut. et Cic. saepius. Verr. III. 38. *ex publicis vectigalibus tanta lu-*

lucra facit. Plaut. Merc. Prol. *lucrum ingens facio*. Adde L. IV. F. XIX. 26. *mea culpa*, omissa vigiliarum cura.

Compara *Romuli* L. II. F. III. *Anonymi Nil.* F. XXIII. *Romuli* Nil. F. XX. *Vincentii Bellovacensis* Spec. doctrin. L. IV. C. 115. *Boulangeri* Fabulam, *le Chien fidele*. L. I. F. XXIII.

FABULA XXIV.

RANA RUPTA ET BOS.

Inops, potentem dum vult imitari, perit.
In prato quondam Rana conspexit Bouem,
Et, tacta inuidiâ tantae magnitudinis,
Rugosam inflauit pellem: tum natos suos
Interrogauit, an Boue esset latior.

Vs. 2. *quondam.* In libris scriptis Pith. et Rem. nec non Editt. Vett. *quodam.* Sic praeter Vrsin. Nev. Vincent. edidit Desbillon. pro quo Heins. reposuit *quondam*, vt L. I. F. VI. 3. L. I F. XXVIII. 3. quod plurimis placuit. Idem Heinsius adscripserat libro suo: *in prato eodem*, vt L. I. F. I. 1. L, IV. F. VIII. 5. quod se probauit Broukhusio et Hoogstratano. v. Burm. Gudius mallet *quaedam.* Sic Romulus Divion. Anonymus Nil. *In prato conspexit rana bouem pascere.* Nil. amplius.

Vs. 4. *inflauit.* Anonym. Nil. et Vincent. *impleuit.*

Vs. 5. *latior.* Anonymus Nilantii, *si esset altior boue*, vt

---

Vs. 1. *Inops*, inualidus, *unvermögend*, *ohnmächtig.* Hoc sensu Liv. II. 1. *Nihil cum potentiore juris humani relinquitur inopi.* Recte Gallici Interpretes *les Petits — les Grands.* Alii explicant *pauper.*

Vs. 3. *tacta*, incensa, commota. Eleganter de subito motu. Ovid. Met. VII. 688. *tactus dolore conjugis amissae.* Senec. Consol. ad Marc. C. 19. *non tangitur inuidia alienae felicitatis.* Schefferus laudat Lucan. L. IX. 1052. vbi est, *invidia tyranni tangeris.* Vide quae de hoc verbo notat Burm. ad Ovid. Met. VIII. 184. Hunc v. quem Anonymus Nilantii expressit integrum, verte: *eifersüchtig auf eine solche Gröſse.*

Vs. 4. *rugosam.* Nota colorem Epitheti, quod lepide ranae conatum describit. v. Tzschuck. Habet etiam Romulus, *natos.* V. L. II. F. IV. 13. et III. XV. 8.

Vs. 5. *latior*, major.

Illi negarunt. Rursus intendit cutem
Majore nisu; et simili quaesiuit modo,
Quis major esset. Illi dixerunt, Bouem.
Nouissime indignata, dum vult validius
Inflare sese, rupto jacuit corpore.

Schefferus conjiciebat. Idem Anonymus mox, *Bos te superior est. Alta pectora* dixit Val. Flacc. V. 595. vbi alii *lata*; vbi v. Notas et ad Sil. Ital. IV. 294. *Burm.*

Vs. 6. *intendit.* Anon. Nil. *extendit* non male, judicante Burm. quem vid. ad Petron. C. XLVI.

Vs. 8. Hunc versum tamquam spurium ejici jubet Bentlej. qui vncis inclusit, quod non recte *quis major* dicatur, pro *vter major*, et sententia ipsa sit sine neruis, sine venere. Sed et alibi Phaedrus *quis* pro *vter* dixit L. III F. XIII. 14. et L. IV. F. XXIII. 2. quae loca cum aliis Harius notauit. Cf. Heusinger. Itaque hunc versum ejicere, Burmannus opus periculi plenum recte judicat.

Vs. 9. *validius.* Heins. *valdius.* Vid. V. L. ad L. I. F. XIX. 8.

Vs. 10. *rupto jacuit.* Anonymus Nil. *rupta interiit*, pro quo Bentlej. conjiciebat: *rupto interiit corpore.* Perperam.

Vs. 6. *intendit cutem.* Burmannus explicat: inflando auxit et distendit. Plin. H. N. L. VIII. 35. de hystrice, *cum intendit cutem, aculei missiles.* Verbum *intendo* pro *inflo.* Walch. de Stylo Phaedri p. 76. ad Latinitatem rariorem refert.

Vs. 7. *majore nisu.* Virgiliana imitatione, qui Aen. III. 38. *tertia sed postquam majore hastilia nisu Aggredior.* Col. II. de R. R. 2. *Boues, cum ad arborem venerint fortiter retinere ac retardare, ne in radicem majore nisu vomis impactus colla commoueat.* Idem *facili nisu* dixit I. de R. R. 3. *Burmann.* — *Nisus*, Anstrengung.

Vs 8. *Quis*, vter. Vid. V. L. it. Axen. et Hoogstrat.

Vs. 9. *Nouissime*, tandem. De hoc vocabulo optimae notae v. Cellarii Cur. Post. p. 70. sq. et Walchii Diss. cit. p. 66. *validius.* Vid. ad L. I. F. XIX. 8. Nota varietatem et gradus in loquendi formulis V. 4. 7. 9. 10.

Vs. 10. *rupto jacuit corpore.*

Praeclare dictum, pro simplici, *rupta est.* Vid. ad L. I. F. XII. 2. *τὸ jacere* de iis vsurpari, qui violenta morte pereunt, multis docet Schefferus, quibus adde, quae Axenius *congessit*; it. Nep. Thras. 2. *neminem jacentem veste spoliauit.* Curt. L. V. 1. *jacentia totis campis cadauera*; cf. et L. I. F. XXVII. 9.

Hanc fabulam narrat Horatius II. Sat. III. 312. sqq. ad quem locum erudite disputat Burmannus ad Phaedrum. Tetigit etiam Martialis L. X. 79. de Torquato et Otacilio. Compara *Anonymum Nilantii* F. XXXIII. *Fontanium* L. I. F. III. *Anonymum Neveleti* F. XLI. *Romulum* L. II. F. XXI.

FABULA XXV.

CANIS ET CORCODILUS.

Consilia qui dant praua cautis hominibus,
Et perdunt operam, et deridentur turpiter.
Canes currentes bibere in Nilo flumine,

Vs. 3. *in Nilo.* Sic libri scripti. Sed Bentlej. cum Rittershus. *e Nilo*: quia Aelianus habeat, ἐκ τȣ̃ ποταμȣ̃ πίνȣσι, et Anonymus Nil. *Canes currendo bibunt ex Nilo flumine*: et mox, *currens ex Nilo bibere coepisset.* Lectionem *e Nilo* defendit etiam Harius, quia canes non sint, aut stent in Nilo, sed currentes ex Nilo bibant. Eamdem praeferunt Tollius, Ouvering. Cuninghamus. At vero Burmannus recte tuetur lectionem

---

Vs. 3. *in Nilo*, i. e. e Nilo. De vsu praepositionis *in* pro *ex* docte disputant firmantque exemplis Scheff. Gronov. et Burmann. Simili modo dixit Ammian. Marcell. XXVI. 4. *humanum sanguinem in ossibus capitum cauis bibentes auidius.* Senec. Agam. 878. *Merum in auro veteris Assaraci trahunt.* Id. Thyest. vs. 453. *venenum in auro bibitur.* Flor. L. III. C. 4. *bibere in ossibus capitum.* L. XXI. D. de Aur. Argent. *Argentum in quo bibi possit.* Vid. etiam Martial. L. VIII. 6. L. X. 49. L. XIV. 93. Graeci ἐν ἀργύρῳ, ἐν χρυσῷ, ἐν κέρατι πίνειν. Cf. Munker. ad Hygin. F. 274. et ἐν λαγύνῳ πίνειν. Anthol. II. C. 34. p. 233. Vid. Cuperi Obs. L. II. C. 8. Omitto alia, a viris doctis adducta. Huic formulae similis est locutio Gallorum *boire dans un verre, puiser dans une source.* Est igitur in aliis linguis non plane insolens, quod putat Burmannus. De Canibus in Nilo bibentibus v. Aelian. V. H. L. I. C. 4. et περὶ ζώων L. VI. 53. adde Plin. H. N. L. VIII. C. 40. Hinc jocus in Antonium apud Macrob. Saturn. I. C. II. *post Mutinensem fugam quaerentibus quid ageret Antonius, respondisse familiaris ejus ferebatur, quod canis in Aegypto: bibet et fugit.* Cf. Nevelet. et Bocharti Hieroz. p. 672. sq.

A Corcodilis ne rapiantur, traditum est.
Igitur cum currens bibere coepisset Canis,
Sic Corcodilus: Quam libet lambe otio,

Codd. MSS. *in Nilo.* Etiam hoc loco praeualeat MSS. auctoritas! Cf. Not. ad h. v.

Vs. 4. *Corcodilis.* In MS. Pith. est *Corcodrillus* Brotierio, at *Corcodrilus* Neveleto testibus in MS. Rem. *Corcodillus*: at Gudius attestatur, in hoc legi *Corcodilis.* Multae tamen editiones habent *crocodillis*, s. *Crocodilis.* Lectionem vero *Corcodilis* esse veram et rectam, erudite probat Gudius. Nam vulgatam *Crocodilis* versus ratio respuit, cum prima in *Crocodilus* natura sua breuis sit. Constanter enim Graeci scribunt Κροκόδειλος, non Κρωκόδειλος et Κροκὸδειλος promiscue, quod vult Faber, qui primam in *Crocodilus* producebat. „Testari possum, inquit Gudius, in optimis et septingentorum et amplius annorum membranis non tantum apud poëtas, iis in locis, vbi metri ratio id postulat, sed etiam in prosa apud oratores et philosophos reperiri *Corcodilus.* Neque his obstabit, quod belluae istius Niliacae nomen a Graecis Latini acceperint, qui Κροκόδειλος scripserint. Sic enim saepe vocabula, quae a Graecis habent Latini, immutarunt. Sic *tardus* a βραδὺς cet. Eodem modo Κάρτερος et Κράτερος. Non negandum vero est, poëtas, quoties prima foret corripienda, ad imitationem Graecorum scripsisse *Crocodilus.* Sic Hor. Epod. XII. 11. Postea vnice tandem obtinuit, vt scriberetur *Crocodilus.*"

Vs. 6. 7. De hoc loco vid. Excurs. XI.

Vs. 5. Hinc prouerbium: *tetigisse aliquid, vt canis Nilum,* seu, *vt Canis e Nilo*, de iis, qui primoribus labris rem attingunt, obiter aliquid faciunt et nimis festinant. Vid. Gronov. et Rittershus. coll. Salmas. Exerc. Plin. p. 314. b. G.

Vs. 6. *quam libet*, quantum libet. Cic. ad Div. VII. 15. *quam sint morosi, qui amant, vel ex hoc intelligi potest.* Id. Fin. V. 22. *quam cupiunt laudari.* Affert Scheff. locum Cic. pro Coel. *quam velit sit potens;* Gud. vero Ter. Hecyr. IV. IV. 12. *turbent, quam velint.* — *lambe otio*, lambe quiete, sine festinatione, in otio, seu vt Liv. L. XXVII. 2. *per otium.* Ter. teste Gudio, dixit, *otium ad potandum habere.* Sed Hein-

Noli vereri. At ille: Facerem mehercule,
Nisi esse scirem carnis te cupidum meae.

---

sius laudat Petron. Fragm. Tragur. *Phialam otio belle correxit. Lambere* de Canibus dixit Plin. H. N. L. VIII. 40. *Certum est canes juxta Nilum currentes lambere.* Solinus Cap. XV. *Aegyptii Canes e Nilo numquam nisi currentes lambitant, dum a Crocodilis insidias cauent.*

Vs. 7. *Noli.* Serio et vehementer negat. Cic. *noli putare.* *Scheff.* V. 6. 7. verte: *Trink so viel du willst, nimm dir Zeit dazu; fürchte nichts.*

Vide Anonymum Nilantii F. XXXI. Apud Romulum haec fabula deficit. Compara *Boulangeri* Fab. XIV. L. II. p. 69. *Le Chien et le Crocodile.*

FABULA XXVI.

VULPIS ET CICONIA.

Nulli nocendum; si quis vero laeserit,
Multandum simili jure, fabella admonet.
 Ad coenam Vulpis dicitur Ciconiam
Prior inuitasse, et illi in patena liquidam

Vs. 2. *multandum.* Heinsius legi jubet *mulcandum.* Perperam; quia, obseruante Burmanno, pulsatio, ictus et verbera hic longe absunt. Heinsio tamen obsequuntur Dipontin. Maittar. Hoogstratan. alii. Bentlejus edidit improbante tamen Hario, *mactandum simili vice*, quod Latine dici vix potest. De vtraque emendatione cf. Burm. *jure.* Cuninghamus: *more haec fabella admonet.*

Vs. 3. *Ad coenam vulpis.* In MSS. Pith. et Rem. est, *vulpis ad coenam.* Ita vulgo legitur; sed cum Brotier. Bipontin. Desbillon. edidi, *ad coenam vulpis.* metro postulante hunc verborum ordinem. Alii *vulpes ad coenam.* v. Brotier.

Vs. 4. *inuitasse.* Nescio, cur haec vox Burmanno suspecta videatur, qui mallet *vocasse*, propter *reuocasse* Vs. 7. At *inui-*

Vs. 1. 2. Hoc Promythium displicet Kohlio l. c. Pentad. I. L. 49. p. 118. vtpote Phaedri instituto non consentaneum, et priuatam lectori vindictam quasi licitam commendans. Cui sententiae fauet Versus vlt. item, quod neque apud Romulum neque Anonymum Nilantii vllum hujus Promythii exstet vestigium. v. Romuli L. II. F. XIV. Sed ideo non temere abjiciendi hi versus. *multandum simili jure.* Recte explicant, simili modo vindictam sumere, par pari referre. Capiendum enim *simile jus* pro jure talionis. Vid. Rittersh. et Santoroc. *multare* autem, quod proprie de poena pecuniaria vsurpatur, sumi solet de omni fere poena et malo, quo quis afficitur. Sic *damno*, *exsilio*, *morte*, *virgis* cet. *multare*, apud optimos scriptores occurrit. Sed *multare simili jure* vix alibi reperias. Quare ista locutio referenda ad singularia poëtae.

Vs. 4. *patena.* Antique, pro *patina.* Patenas, vnde *patella,*

Posuisse sorbitionem, quam nullo modo

tauit habent etiam Romulus et Anonymus Nil. et *inuitare ad coenam* dixit Cic. ad Div. XII. 4. et de Off. III. 58. — *et illi in patena liquidam.* Haec est lectio Heinsii et Burmanni. MSS. Pith. et Rem. habent, *et ei liquidam in patena*, teste Desbillonio. Sed Cl. Brotier. et Bentlej. in vtroque Codice inueniri scribunt, *et illi liquidam in patena ;* pro quo male Pithoeus emendauerit, *et ei.* Etiam Romulus, *et posuit* illi *in catino sorbitionem liquidam*; Anonymus Nil. *et posuit* illi *in scutella.* Qui ediderunt, *et ei liquidam in patena*, vt Nevel. Rittersh. Vrsin. vim fecerunt versui, quam remoturus Jac. Gronovius legit: *et ei in patena liquidam*; sed v. Burm. Desbillon. *et ei in patella liquidam*; quia *patella* poëtis longe vsitatior fuerit, quam *patena*, aut *patina.* Lallemant. Funcc. Brot. ediderunt: *et illi in patina liquidam* ; Bipontini: *et illi liquidam in patena. liquidam.* Bentl. conjicit parum probabili conjectura, *fictili*, quia *liquidam* produci non posse putabat. Sed v. Not. *patinam fictilem* habet ter quaterque Plinius, notante Bentlejo.

---

passim dixerunt Veteres. Citat Burmann. Veget. de Mulomed. I. 56. 1. vbi *patena*, pro alueo, in quo hordeum equis apponitur. Sic, teste Scheffero, apud Col. XII. 43. 5. e Cod. MS. nonnullae Editiones habent *patenarum*, pro *patinarum*, quod est in Edit. Gesneri. Frustra vero est Bentlejus, qui lagenam et patinam ambabus simul putat esse positas, quemadmodum egregie docet Burmannus. Nam si eodem tempore appositae fuissent, neutra habebat, quod quereretur, cum Vulpes ex patina, Ciconia ex lagena possent simul famem sedare. Sed totus fabulae ordo docet, Vulpem vocasse prius Ciconiam, nihilque illi posuisse, praeter sorbitionem liquidam in patena, vnde cum nihil posset gustare Ciconia, sed vacuo ventre discessisset, ille alio die reuocat ad coenam vulpem, cui ponit lagenam solam, plenam, intrito cibo.

Vs. 5. *posuisse*, pro apposuisse. Proprie de ferculis, vt L. I. F. XXVIII. 4. L. V. F. IV. 3. De vsu hujus verbi Burmannus laudat Heins. ad Ovid. L. I. A. A. 234. et Serv. ad Virg. Aen. I. 706. *sorbitionem liquidam.* cibus ad sorbendum, vt jusculum, praeparatus, *dünne Brühe.* Epitheton *liquidus* non culpandum. Vid. ad Prol. I. 7. et ad L. I. F. II. 14. Hac formula loquendi etiam vsus est Cato R. R.

Gustare esuriens potuerit Ciconia.
Quae Vulpem cum reuocasset, intrito cibo

CLVII. 13. Lege, quae hic congessit Axenius. Producenda vero prima in *liquidam*, quod fieri posse, Burm. probat auctoritate Virg. Aen. I. 432. et Lucretii, qui saepe primam hujus vocis longam facit, vt IV. 12. 53. *Crassaque conueniant liquidis et liquida crassis:* de quo v. Gifanii Ind. Lucret. et Heins. ad Ovid. Remed. 177. et Met. III. 486. coll. V. L. Eodem modo secunda syllaba in *sorbitionis* voce recte correpta est. Sic enim Persius Sat. IV. 2. teste Desbillonio.

Vs. 7. *reuocasset.* Verbum ad conuiuia pertinens, referendum ad *inuitasse* Vs. 4. Est vicissim vocare, qui nos vocauit. Addunt Romulus et Anonymus Nil. *post paucos dies.* Cic. pro Rosc. C. 18. *domum suam istum non fere quisquam vocabat; nec mirum, qui neque in vrbe viueret, neque reuocaturus esset.* Lactant. VI. 12. idem *deus praecepit, vt si quando coenam parauerimus, eos in conuictum adhibeamus, qui reuocare non possunt.* Graeci ἀντικαλεῖν. Luc. XIV. 12. it. ἀμοιβαῖα δεῖπνα. Plura dabunt Scheff. Axen. Rittersh. et Faber. *intrito cibo. Eingebrockte Speise.* Plene ac proprie, quod alias simpliciter *intritum* dicitur (ἐμβροχὴ, ἄρτος ἔνθρυπτος) fiebatque ex comminuto pane, macerato lacte, addito nonnumquam allio, caseo et similibus, vnde et *alliatum* et *moretum* vocabatur. Sic Donatus ad illud Terentii Phorm. II. II. 4. *tute hoc intriuisti*, vbi de moreto, seu alliato exponit: *proprie intrita dicitur hujusmodi cibus.* Varr. L. II. C. 9. n. 10. de R. R. de cibo canum agens: *nec non ita panem hordeaceum dandum, vt non potius eum in lacte des, intritum.* Vocem culinariam esse patet. *Scheff.* De eo vide Salmas. Exerc. Plin. 269. et ad Vopisc. Aurel. c. 46. (p. 551. Edit. Scriptor. H. A. T. II. L. B. 1671.) (item Gudium) vbi putat fuisse ex vino, vel posca, vel aqua, quibus intritus et friatus panis immiscebatur, et distingui a *moreto* et *alliato*, Graeceque dici ἐμβροχήν. Salmasium reprehendit Neapolis ad Ovid. Fast. IV. p. 178. qui defendit Donati ad Ter. Phorm. II. II. 4. interpretationem, quem vide. *Burm.* qui et alios laudat. Hanc vocem Anton. de *Rooy* reddidit Nemesiano Cyneg. 161. vbi pro vulgato, *Interdumque cibo Cererem cum lacte ministra*: legit, *Intritamque.* vid. Ej. Animadv. Crit. p. 224.

Plenam lagonam posuit: huic rostrum inserens
Satiatur ipsa, et torquet conuiuam fame.
Quae cum lagonae collum frustra lamberet,
Peregrinam sic locutam volucrem accepimus:

Vs. 8. *lagonam.* Sic libri scripti et Edit. Vet. ita legitur et in aliis vetustis Codd. v. Gud. et Brotier. Al. *lagenam*, vt Romulus et Anonymus Nilantii.

Vs. 9. *Satiatur ipsa et torquet.* Sic vulgo legitur. Cuninghamus: *se satiat.* Scioppius: *at torquet*, quod recepit Funccius. Heinsius τὸ *et* jubet omitti, cui obsecutus est Burmann. qui de particula *sed* eleganter omissa agit ad Quinctil. Declam. XIV. 6. Equidem cum Vrsin. Brot. Bipont. Desbillon. reposui vulgatum.

Vs. 10. *collum frustra lamberet.* Retinui lectionem librorum scriptorum. Sic ediderunt quoque Vrsin. Brotier. et Bipontini. Sed Nevelet. Burmann. Desbillonius, *frustra collum lamberet.*

Vs. 8. *Lagonam.* Genus vasis testacei (Petron. C. XXII. Mart. VI. 89.) non tam ad aquam, quam ad vinum et alias res, vt poma (Colum. XII. 45.) continendas adhiberi solitum. Hoc loco tamen forma lagonae ea concipienda est, quam oculis exhibet gemma in Gorlaei Dactyl. T. II. p. 512. et vnde patet collum fuisse angustum. v. Burmann ad Petron. C. XXII. p. 512. *Lagonam* reperiri in MSS. docent Rigalt. et Gud. Vt enim a Graeco νὺξ, Latinum *nox*, a μύλα, *mola*; ita a λαγύνος lagona factum. V. Faber. De aliis hujus vocis formis v. Gesneri Thes. L. L. it. Not. Gud. et Rigalt. nec non Indicem ad cl. Schneideri Scriptt. R. R. Addit Romulus lagenam fuisse *vitream.* Nam et vitreae erant, de quo v. Burm. ad Petron. l. c.

Vs. 9. *torquet.* Famis sensum acrem exprimit. Hinc eleganter vs. sq. *lambit collum lagonae.* cf. Tzschuck. Eodem modo dixit Martialis: *aut torsit lenta tristia fata fame.*, quem locum profert Axen. Plura dabit Broukhus. ad Prop. IV. IX. 21. *Conuiuam.* Vulpem.

Vs. 10. *Collum.* Plin. H. N. L. XXVIII. 11. *Lagenae collum* dixit, quod appellant Petron. C. 34. et Martial. XII. 32. 14. *amphorarum ceruices.*

Vs. 11. *Peregrinam volucrem.* Ciconiam *peregrinam* vocat, quia quotannis statis tempori-

Sua quisque exempla debet aequo animo pati.

---

bus peregre abire et reuerti solet. Vid. Plin. H. N. L. X. C. 23. *Zugvogel.* Cl. Sattler. *Wandervogel*; quales praeter ciconiam, sunt gruis, cothurnix, hirundo. Ciconia et Publio Syro apud Petron. C. 55. est *peregrina, hospita auis, exsul hiemis, titulus tepidi temporis.* Varro R. R. III. C. 5. n. 6. hoc genus auium *aduenas* appellat, quibus opponit *vernaculas volucres.* v. Rittershus. Delectari Phaedrum Varietate in appellandis animalibus, supra notaui ad L. I. F. I. 6.

Vs. 12. Recte hunc versum vertit Cl. Sattler. *Jeder lasse sich's gefallen, wenn man ihm mit gleichem Maasse misst.* Exemplum enim est, cum alter statuit in nos, quod ei priores fecimus. Senec. Ep. 81. *mala exempla recidunt in auctores: nec vlla miseratio contingit his, qui patiuntur injurias, quas posse fieri faciendo docuerunt.* Citant etiam L. II. Tit. II. D. qui inscribitur: *quod quisque in alterum statuerit, vt ipse eodem jure vtatur.* Publius Syrus haec ita expressit: *ab alio exspectes, alteri quod feceris.*

Haec fabula legitur apud *Anonymum Nilantii* F. LXIII. *Anonymum Neveleti* F. XXXIII. *Romulum* L. II. F. XIV. *Fontanium* L. I. F. XVIII. Cl. *Jakob* laudat Fabulam *Zachariae*: *der unvermuthete Ehesegen.* Siccitatem narrationis in hac fabula vituperat Jacob. in Obseruatt. ad Phaedri fabulas, huic libro praefixis. Vid. *Nachträge zu Sulzers Theorie.* T. VI. P. I. p. 77.

FABULA XXVII.

CANIS, ET THESAURUS, ET VULTURIUS.

Haec res auaris esse conueniens potest,
Et qui humiles nati, dici locupletes student.

Vs. 1. 2. Duos hos priores versus ineptos et spurios judicat Bentlejus. Namque inficete dici putat *haec res*, pro, *haec fabula*; eumdem his versibus patrem esse, qui et illis L. I. F. XIII. 13. Epimythii locum supplere vulturii verba V. 9—11. *o canis merito jaces* cet. Etiam Bipontini, dura certe sententia, vncis incluserunt hoc promythium, quod erudite tuetur Burmannus. Inter alia quaerit, cur non potius promythium praecedentis fabulae ejectum fuerit a Bentlejo, quam illud *mactandum simili vice* obtrusum, cum Ciconiae vox, *sua quisque exempla debet aequo animo pati*, egregie ejus vices implere possit. *conueniens*. Gebhard. Crepund. III. 10. obtrudit *continens*, sine vllo exemplo. Vid. Burm.

Vs. 1. 2. *res*. Capienda haec vox pro ipsa fabula et referenda ad singularia Phaedri. Alias vocat fabellam, narrationem, exemplum. Laudant L. I. F. XIII. 13. sed v. supra Excurs. VIII. ad L. I. F. XIII. 13. *conueniens esse potest*. Conuenit. Simili modo L. III. F. VII. 8. *praestare domino si par officium potes*, pro, praestas. L. I. F. XV. 6. *ne possent capi*, pro caperentur. Vide, quae de hac locutione, poëtis vsitata, notamus ad L. I. F. XV. 6. quibus adde Broukh. ad Prop. I. I. 15. et Tibull. I. XI. 31. Burmanno laudatum. Ovid. Trist. I. I. 6. dixit: *non est conueniens luctibus iste color*; quem locum affert Desbillon. post Burmannum, et qui probat Latinitatem hujus loquendi formulae, de qua dubitat Franc. *Hare*. Nam participia verbo substantiuo jungi, probant exempla in Misc. Obs. Vol. III. T. III. p. 395. Vide etiam Ovid. L. II. Amor. IV. 5. qui locus Burm. debetur. Construere autem solent *conuenire ad*, vel *in*; sed Phaedrus non raro vtitur datiuo. v. Prol. III. 7. L. IV. F. XIX. 7. L. V. F. VI. 7. Sic etiam alii. Cf. Burmann. *Et qui*, intellige, et *illis* qui. *hu-*

Humana effodiens ossa, thesaurum Canis
Inuenit, et violarat quia Manes Deos,

Vs. 3. *thesaurum.* Cod. Pith. *thensaurum*, de qua lectione v. Gud.

Vs. 4. *violarat.* Ita MS. Rem. Sic quoque antiquitus habuit MS. Pith. Sed recentiore manu emendatum est *violat,*

---

miles nati. Propter sequens *locupletes* intellige pauperes, non humili loco natos. Cf. Ephem. Gotting. ann. 1785. Partic. 164. Eodem modo infra L. III. F. VIII. *quod vir natus rem feminarum tetigerit.* *dici*, esse. Veteres enim nonnumquam verba *dici*, *vocari*, *appellari*, *incedere* vsurparunt pro *esse*. Ita et Graeci posuerunt καλεῖσθαι pro εἶναι. Laudat Cl. Hartman. Varr. de R. R. I. C. 7. Theocrit. Idyll. II. 125. Virg. Aen. I. 46. Cf. Lallemant. et quae supra notantur ad L. I. F. V. 7.

Vs. 3. *Canis effodiens ossa*, cibi gratia. Anonymus Nil. canem et vulturem humana ossa effodisse narrat. Vid. vs. 8. *thesaurum.* Sepulcris illatae sunt non vestes solum aliaque ornamenta, quae dilexerant homines; sed et aurum et magna plerumque numorum copia pro cujuslibet arbitrio condita est, adeo quidem, vt Romani lege sancirent tandem, ne cum mortuis sepelire pecuniam liceret; quemadmodum etiam ornamenta cum corporibus condi non oportere, sanxerunt leges. Istum morem aperte tangit Plautus Pseud. I. IV. 19. 20. *Ex hoc sepulcro vetere viginti minas Effodiam ego hodie, quas dem herili filio.* Huc etiam referendus locus *Philostrati* de Vita Apollonii Tyan. L. VII. 23. εἰ μὲν ἀφ' ὧν ȣ̓ θεμιτὸν πλȣτῶν, οἷον ληστείας, ἢ φαρμάκων — ἢ τάφȣς ἐκίνησας, ὅσοι τῶν πάλαι βασιλέων εἰσὶν, οἳ πολύχρυσοί τε καὶ θησαυρώδεις cet. vbi vid. Olearius. Factum hoc cum luxus, tum securitatis gratia. Quarum rerum cupiditate illecti qui sepulcra effodere, et eas inde clam tollere non verebantur, atque ita pacem Deorum Manium sollicitabant, τυμβώρυχοι dicti sunt. Hoc autem qui facerent, Sepulchri religionem violabant. Tale crimen in Cod. Theod. *proximum sacrilegio* dicitur. Vid. Kirchmann, de Fun. L. III. C. 24. et Gutherius de jure Manium L. II. C. 32.

Vs. 4. *violarat Manes Deos.* Sepulcra antiquitus Dis Manibus sacra, et thesauros, in iis

Injecta est illi diuitiarum cupiditas,
Poenas vt sanctae religioni penderet.

quod Burmannus conjicit scriptum fuisse, pro *violarat.* Pithoeus edidit *violauit*, quod habent multae Editiones. cf. Brotier. Schefferus conjicit, *at violauit*; Bipontini et Cl. Jördens ediderunt, *at violarat.*

---

abditos in Deorum Manium tutela fuisse, nota res. Varia autem est virorum doctorum de Dis Manibus disputatio. Equidem non ossa et cineres cum Gudio, Hoogstratano, Hartmano intellexerim; (V. Not. Gud. coll. Not. ad h. l. in Editione I. Phaedri P. I. p. 118.) neque etiam Deos inferos, quae est sententia Desbillonii; sed Genios defuncti hoc loco puto esse intelligendos. Nam qui viuorum hominum Genii, quos duos cum singulis hominibus nasci credebant, appellabantur, illi defunctorum dicebantur *Dii Manes.* Hinc Manes Deos violasse dicitur Canis, quia humana effoderat ossa, vtpote quae custodirent Manes. Cf. Perizonius ad Sanctii Min. C. XVI. p. m. 928. sq.

Vs. 5. *injecta est*, immissa est, intellige a Diis iratis et vltoribus. Cum emphasi dictum. Burmann. citat locum Cic. L. XI. Ep. 10. *quantam cupiditatem injiciat vaciuitas*, (Ita Graev. e vestigiis Codd. MSS.) *te non fugit.* Id. pro Mil. C. 31. de Clodio: *eadem ira deorum hanc ejus satellitibus injecit amentiam*, qui locus Hartmano debetur, quem vide. *diuitiarum cupiditas.* Virg. Aen. III. 57. dixit, *auri sacra fames*; Hor. I. Epp. XVIII. 23. *argenti sitis famesque*; Sallust. Catil. X. *pecuniae cupido.*

Vs. 6. *sanctae religioni poenas penderet.* Saepius noster voce *religionis* vtitur, sed plerumque alio sensu, de quo suo loco videbimus. Vid. e. c. L. IV. F. X. 4. Hoc loco idem est, quod res religiosa, i. e. locus religiosus, vel religione sanctus, seu sepulcrum. Namque vbique apud Phaedrum ejusmodi locutiones, quae vniuerse efferunt, quod ad suas formas referendum est. Dicitur autem vox *religio* de omnibus iis, quae religiose debent coli, custodiri et obseruari. Sic de jurejurando de judice, sacris, caerimoniis, cet. Atque etiam locis, fanis templis, sepulcris tribuitur *religio* a Cicerone, Tacito, ICtis, aliis, vt Lexica docent. Cic. Dom. 39. *Clodius ne, qui ex pontificis maximi*

Itaque aurum dum custodit, oblitus cibi,

---

domo religionem eripuit, is in meam intulit? quo loco religio de sanctitate loci vsurpatur. In L. II. C. de Relig. et sumpt. Fun. est: *sin autem voluntate tua mortuum aliquis in locum tuum intulerit*, religiosus *iste efficitur.* Cic. de Legg. II. C. 22. *tanta religio est sepulcrorum*, et mox: *priusquam in eos injecta gleba est, locus ille, vbi crematum est corpus, nihil habet religionis. Injecta gleba tum et illic humatus est, et gleba vocatur: ac tum denique multa* religiosa jura *complectitur.* Id. Inv. L. II. 1. *nonnulla pars propter fani religionem vsque ad nostram memoriam remansit.* Plura dabit de religione sepulcrorum Kirchmann. de Fun. Rom. C. 21. Idem docet l. c. Veteribus interdum et *sancta* et *sacra* sepulcra dicta esse. *Sanctitudinem* illis assignat Cic. de Rep. L. IV. apud Nonium. p. m. 174. Et Philipp. IX. C. 6. *Sepulcrorum sanctitas in ipso solo est, quod nulla vi moueri neque deleri potest, atque vt cetera exstinguuntur, sic sepulcra fiunt sanctiora vetustate.* Etiam Catullus VII. sepulcra *sacra* appellat: *Et Batti veteris sacrum sepulchrum.* De sanctitate sepulcrorum. Vid. quoque Meursius ad Lycophron. Cassandr. ad vs. 444. p. 68. Ed. Oxon. Itaque grande erat piaculum, violare religionem sepulcrorum, jure Manium et auctoritate legum stabilitam; ideo quod violatione sepulcri Manes ipsi laedi credebantur. Vid. Barth. Adv. XLIV. C. 14. coll. Dispontin. Hinc Cic. de Legg. II. C. 9. *Deorum Manium jura sancta sunto* et in Top. C. 23. aequitatis partem vnam facit sanctitatem, quam ad Deos Manes dicit pertinere. Cum igitur Canis, humana effodiens ossa, locum sanctum religione liberasset, poenas nunc pendit, hac fabula expressas. Cicero enim de Legg. II. 26. *poena est, si quis bustum violarit.* Itaque si quis cadauera in monimentis spoliasset, metalli poena, et si more latronum armatus id fecisset, capite plectebatur. V. L. III. §. 7. *aduersus* D. de sepulchro violat, quae poena posterioribus temporibus manus amputatio fuit. Ii, qui extraxissent, vel eruissent ossa, humilioris quidem fortunae, summo supplicio afficiebantur; honestiores in insulam deportabantur, aut damnabantur in metallum. De quibus pluribus disputat Gutherius l. c. L. III. C. 25. et L. II. C. 32. V. 6. vertere possis: *um für die Entweihung eines Heiligthums zu büſsen, zur Strafe der Entweihung eines Heiligthums.*

Fame est consumtus; quem stans Vulturius super
Fertur locutus: O Canis, merito jaces,
Qui concupisti subito regales opes,
Triuio conceptus, et educatus stercore.

Vs. 9. *locutus.* Heins. *jocatus.* Vid. L. II. V. 23. L. III. XX. 9.

Vs. 11. *et educatus.* Bentlej. quem sequitur Cuninghamus, rejicit τὸ *et*, quod habent libri scripti et editi. Etiam Anonymus Nil. *et in stercoribus educatus*, vt apud. Val. Max. IV. IV. 1. *in hac pecunia nutritus.* v. Burm.

Vs. 7. 8. *aurum dum custodit.* Virg. G. II. 507. *Condit opes alius, defossoque incubat auro.* Hartman. v. *Heyne* ad h. l. coll. Aen. VI. 610. *stans super* est pro *superstans*, vt in simili re Ovid. Ep. X. 123. *ossa superstabunt volucres inhumata marinae.* Vbi vide, quae notamus, et ad Val. Flacc. IV. 312. et infra L. II. F. I. 1. *Burmann — Vulturius.* Apte, quia ea loca frequentat. *Tzschuck.* De hac voce pro *vultur*, lege Dispontini Indicem et Gesneri Thes. h. v. Quia plures ea forma vsi sunt, non est, quod cum Walchio ad peculiares Phaedri dictiones referas. Anonymus Nil. *cui adstans vultur ait.*

Vs. 9. *Fertur locutus*, pro, locutus est. Saepius enim *fertur* cum infinitiuo pro tempore finito ponitur, vt solent poëtae. Ovid. Am. I. I. 3. *risisse Cupido dicitur*, pro, risit. Cf. Cl. *Degen.* Übersezzer-Litteratur der Römer. Abtheil. 2. p. 245 *jaces*, proprie de mortuis et iis, qui violenta morte pereunt. Vid. ad L. I. F. XXIV. 10. Curt. de Clito interfecto L. VIII. C. 2. *Alexander hastam ex corpore jacentis euulsam retorsit in semet.* Ita et Graecum Κεῖσθαι. Anacr. Od. IV. 9. 10. ὀλίγη δὲ κεισόμεσθα κόνις, ὀστέων λυθέντων, ad quem locum v. *Fischer.* Adde exempla, quae produxit Cl. Hartm. e. c. Bion. ἐπιτ. Ἀδων. 7. κεῖται καλὸς Ἄδωνις τυπείς, et Not. ad L. I. F. XXXI. 15.

Vs. 10. *regales.* Recte explicant Scheffer. et cl. Tzschuck. maximas, quales sunt regum. Burm. affert locum Justin. L. II. 14. *castra referta regalis opulentiae.* Adde Hor. L. I. Ep. XII. 6. *concupisti.*

Vs. 11. *Triuio*, pro, in triuio, vt L. I. F. XXVIII. 4. *nidoque posuit.* Non erat pro-

positum cani, effodere thesaurum; at cum invenisset, subito pecuniae cupiditate ardere coepit. Proprie notat, vbi tres viae concurrunt; deinde locum, vbi canes coëunt, et quo vilissima purgamenta abjici solebant. Tibull. I. El. V. 56. *post agat hanc triuiis aspera turba canum.* Petron. C. CXXXIV. *quod purgamentum nocte calcasti in triuio.* Citat Dispontin. Casaubon. L. VI. Animadvers. in Athenaeum C. 16. Eleganter autem Phaedrus prouerbialem locutionem hic de Cane proprie vsurpat, quod jam olim notauerat doctissimus de *Schirach.* Ceterum nota Oppositionem efficacem in *regales opes, et triuio c. e. o. st.* Cf. Interpp. *educatus* cum referri potest ad sordes, in quibus educantur canes, tum ad stercus, quo pascuntur. Hinc Schefferus explicauit *nutritus*; nec male. Nam L. IV. F. XVII. 7. dixit, *dum naribus escam scrutantur in stercore*, de Canibus. Adde L. IV. F. XVII. 5. *fimoque turpi maximam explerent famem.* Martial. L. I. 84. *non miror merdas si libet esse cani. stercore.* Graece σκύβαλον, quod dictum esse volunt quasi κυσίβαλον, quod canibus projicitur. Cf. *Suidas* et *Etymologicon* magnum.

Haec fabula non vnam ob caussam taxata est a Cl. *Jacobs.* in Obseruatt. in Phaedri fabulas, ad quas ablegamus lectores. Compara *Anonymum Nilantii* F. XXXII. *Lichtwehr.* L. IV. F. V.

FABULA XXVIII.

VULPIS ET AQUILA. *)

Quamuis sublimes debent humiles metuere,
Vindicta docili quia patet solertiae.

Vs. 2. *solertiae.* MSS. Pith. et Rem. *solertiâ.* Sic Nevel. Vrsin. Sed jam olim Prasch. conjecit', *solertiae.*

---

*) Tollius censet, hanc fabulam expressam esse in numo argenteo Papii Celsi III. Viri, apud Anton. *Agostini* Dial. V. Ital. p. 168. Edit. Rom. 1736. f. in quo conspicitur Caput Junonis Lanuuinae, caprina pelle tectum, addita inscriptione: *LVciVS PapiVS CelsVS* III *Vir*, cum typo Lupae et aquilae. Iste numus familiaris quoque expressus est in Thes. Morell. T. I. vbi vid. *gens Papia*; coll. T. II. p. 306. sq. At vero in hocce numo non vulpis, sed Lupa expressa est. Respicit autem non fabulam Phaedri, sed Mythum, quem narrat Dionys. Halicarn. Ant. Rom. L. I. p. 48. de Lanuuio. Videant quorum interest libros citatos.

Vs. 1. *Quamuis.* Potest hic positum esse pro, *valde, admodum.* Catull. XII. *quamuis sordida res et inuenusta est.* Plaut. Menechm. II. II. 43. *quamuis ridiculus est, vbi vxor non adest:* licet viri docti non improbent ellipsin τῦ *tamen*, quamuis sint sublimes, tamen debent humiles metuere. Ita Anonym. Nil. *quamuis sublimes sint opibus, tamen debent humiles metuere.* Sed nescio, annon melius sit, explicare, quantumuis. Cic. pro Rosc. Am. 16. *quasi vero mihi difficile sit, quamuis multos nominatim proferre*; etsi non displiceat Cl. Tzschuckii *sublimes adeo.*

Vs. 2. Sensus: quia homines callidi facile inueniunt occasionem vindictae. *Solertia* h. l. capienda pro dolo, calliditate, et idiotismo sollemni, pro callidis. Cic. L. I. Off. 10. *in omni re fugienda est talis solertia.* Sed verbum *patet* apte exprimit facilitatem quamdam, de quo v. Burm. qui laudat Liv. L. XXIV. C. 37. Justin. II 4. et XXII. 5. *Schlaue List bahnt sich den Weg zur Rache leicht. Sattler.* Sed male vertit Cl. Jördens. Cf. A. L. Z. 1791. III. 460.

Vulpinos catulos Aquila quondam sustulit,
Nidoque posuit pullis, escam vt carperent.
Hanc persecuta mater orare incipit,
Ne tantum miserae luctum importaret sibi.

Vs. 4. In Editt. Philipp. Lallem. Brotier. Bipont. Müchler. hic versus ita exhibetur: *Nidoque imposuit, pulli escam vt carperent*, inuitis libris scriptis. Quare cum Desbillonio vulgatum retineo. Bentlej. *Nidoque posuit, pullis escam vt conderet*; sed v. Burm. Cuninghamus legi jubet: *Nidoque posuit escam, vt pulli carperent.* — *Posuit.* Heinsius malebat *apposuit*, et *in nidum apposuit* habet Anon. Nil. sed nil mutandum, judicante Burmanno. Nam dapes aeque bene *positae* et *appositae* dicuntur. Vid. Not. —

Vs. 5. *persecuta.* Romulus Divion. *prosecuta.*

Vs. 6. Ita hic versus legitur in MSS. Pith. et Rem. et Ed. Vet. *Philippus*, quem sequitur Lallemant. Frustra emendauit, *tantum miserae luctuum importet* S. v. Brot. Cuninghamus: *ne tantum luctus importet.* s.

Vs. 3. 4 *catulos.* Proprie de fetu canum, vt L. I. F. XIX. 7. deinde dicitur de omni fetu animalium, vt h. l. L. II. IV. 24. *sustulit.* Proprie de raptu auium, quia secum tollunt in sublime. Notandus hic locus Virg. Aen. IX 563. sq. Ita L. II. F. VI. 4. *aquila in sublime sustulit testudinem.* Cf. Scheff. *Nido*, in nido. Vid. fab. praec. vs. 11. *posuit*, apposuit sc. catulos. Vsurpatur de dapibus. Sic L. V. F. IV. 3. L. I. F. XXVI. 5. 8. *escam vt carperent*, vt eos comederent. Est verbum *carpere* proprium animalibus, quae pascuntur. Cic. de N. D. II. 47. *alia animalia sugunt, alia carpunt, alia vorant, alia mandunt.* Cui loco adde locum Ovid. quem Burm. affert III. Amor. V. 27. Sed hic *carpere* est, per partes diuidere, discerpere; quod est fortius, quam si simpliciter dixisset, ederent. Ovid. L. III. A. A. 755. *carpe cibos digitis.* De vario vsu hujus verbi v. Lambin. ad Hor. I. Od. XI. 8. quem Burm. laudat.

Vs. 5. *persecuta.* Notat sollicitudinem et festinationem. Ter. Phor. III. III. 18. *quoquo hinc asportabitur terrarum, certum est persequi.* Scheff. *incipit.* De hac formula, Phaedro valde familiari, v. ad L. I. F. II. 8.

Vs. 6. *luctum importaret*, inferret, seu afferret, *Herzeleid*

Contemsit illa, tuta quippe ipso loco.
Ab arâ Vulpis rapuit ardentem facem,
Totamque flammis arborem circumdedit,
Hosti dolorem damno miscens sanguinis.

Vs. 8. *Ab ara Vulpis.* Sic edidi cum recentioribus Brotier. Bipont. Desbillon. Vulgo legitur, *Vulpes ab ara. ardentem.* Heinsius *ardenti*; sed *ardentem* probum. Etiam Rom. Div. habet, *faculam ardentem*; et Virg. Aen. V. 637. *visa dare ardentes faces.* —

Vs. 10. Varietatem lectionis ad h. v. vid. in Excurs. XII.

---

machen. Cicero, qui delectatur hac locutione, apud alios rarius occurrente, dixit, *importare aegritudines*, *calamitatem*, *mala*, *sollicitudines*, *incommodum* cet. Cf. Gud. et Gesner. in Thes. L. L.

Vs. 7. *tuta ipso loco.* Graeca fabula habet: ἐφ' ὑψηλοῦ δένδρου τὴν καλιὰν ἐπήξατο. *contemsit illa* sc. preces vulpis.

Vs. 8. *Ab ara.* In Graeca Aesopi fabula narratur, quosdam in agro capram sacrificasse. Hinc ara. *ardentem facem.* Non esse otiosum Epitheton (quod putabat Scioppius) recte ostenderunt viri docti (Faber, Prasch. Gud.) quia faces tantum sunt trunci et rami, ex arboribus recisi, qui pice, aut alia materia solent inungi, vt flammam concipere possint (vel picei generis sunt). Et ita Hygin. F. 122. *truncum ardentem ex ara sustulit.* Jul. Obseq. C. LXX. *Lauinii fax ardens in caelo visa*, vbi vide Notas Schefferi et plurima exempla apud Axen. (Gud.) et Hoogstratan. *Burmann.* Ovid. Amor. III. IX. 8. *fert puer Veneris sine luce facem. Tzschuck.* Compara Virg. Aen. XII. 298. His facibus, sine frustis picei ligni exstruebatur vulgo et alebatur ignis, tam in aris deorum, quam in priuatorum focis.

Vs. 10. Versus obscurus et dubiae interpretationis! Accedo Desbillonio, qui ita interpretatur: hosti caussam dolendi parans, ipso etiam sanguinis, siue catulorum suorum damno. Comburi enim non poterat arbor a vulpe, ita vt ipsius catuli non simul flammis consumerentur. *Miscens* dictum pro, *miscere volens*: de quo v. *Sanctii* Min. L. I. C. XV. vbi v. Perizon. coll. Burm. Not. ad Val. Flacc. IV. 59. *Sanguis* poni pro stirpe, prole, nota res. Ovid. de Philomela Re-

Aquila vt periclo mortis eriperet suos,

---

med. 60. *Quae socii* damno sanguinis *vlta virum est*, quem locum debeo Bentlejo. Vid. etiam allegata a Rigalt. Axenio, Hoogstratano. *Miscere*, pro, parare, creare, translatum est a potionibus, quae miscendo a veteribus praeparabantur, siue essent venenatae, siue potus in conuiuiis; sicut apud Cic. de Fin. L. II. 5. dicitur, *qui alteri misceat mulsum*, et Ovid. Met. L. X. 160. *qui nunc quoque pocula miscet.* v. Scheff. et L. I. F. XIV. 8. Sic *miscere mala, seditiones, bella* cet. pro, parare, concitare dici, Lexica docent. Sed objicit Burmannus, duram esse metaphoram, a poculis sumtam; verbo *miscere* hoc sensu non addi solere datiuum, vt in illis *miscere vinum, mulsum alteri*, sed simpliciter *miscere* et *turbare*, vt *miscere ciuitatem* L. I. F. II. et *dolor et gaudium miscet vitam* L. IV. F. XVI. 10. At ego non video, quare ad hanc analogiam dici non possit *miscere dolorem hosti*; nam in illis, quae Burmannus vrget, si non in omnibus, certe in nonnullis, facile subintelligitur datiuus, cui paratur. Ita in loco Ciceronis Cat. IV. 3. *Ego magnum in rep. versari furorem, et noua quaedam misceri, et concitari mala, jam pridem videbam*, facile suppleri potest *reipublicae*, vel *bonis, bene animatis*. Sed in loco Tusc. Qu. L. IV. C. 36. *major mihi moles, majus miscendum malum*, liquido apparet, istam molem, istud majus malum a Thyeste suis ipsius natis miscendum, i. e. parandum esse. Non pauci tamen interpretes τὸ *sanguinis* intelligunt de pullis aquilae; nec sic male. Alii denique propriam verbi *miscere* significationem, pro conjungere, malunt retinere, rescribentes *hostis*, pro *hosti*, hoc sensu: damno catulorum suorum addit dolorem hostis, e damno communi oriundum. v. *Lange* in Proll. ad Phaedr. p. 23. Cui interpretationi fauere videtur locus Fl. Vopisc. Aurel. quem Gud. affert, *dolorem miscentes beneficiis et officiis*. In quorum tamen sententiam non discedit Tzschuckius, v. D. notans ad vocem *miscens* haec: „remotum videtur. Damnum enim doloris caussa, ideoque dolor illius effectum, quae non commode miscentur. Forte quia vulpis suos simul perdidit, et sic communem jacturam intulit, hoc verbo vsus est.“ Cf. Exc. XII.

Vs. 11. *suos*, pullos.

Incolumes natos supplex Vulpi tradidit.

Vs. 12. *incolumes.* Cod. Pith. et Anon. Nil. *incolomes.* Gudius conjicit *inuolucres*, quia in Aesopi fabula ἀπτῆνες; sed ibi sermo est de pullis aquilae, non vulpis. *tradidit.* Haec est lectio MSS. et Editt. fere omnium. Sed *reddidit* habent Anonymus Nil. qui vs. 11. et 12. fere expressit integros, et Romulus Divion. Hinc Philipp. Lallem. et Brot. dederunt *reddidit*, quibus obsecuti sunt Bipontini; praeferre etiam videtur Cl. Tzschuck. At Desbillonius vulgatum retinet et laudat.

Vs. 12. *natos.* De auibus et bestiis, vt Phaedrus passim. Vid. ad L. I. F. XXIV. 4. Solita varietate dicit Vs. 3. *catulos*; vs. 4. *pullos*; h. l. *natos.*

Compara *Aesopi* Fab. I. qui paullo aliter narrat; *Anonymum Nilantii* Fab. XIV. *Camerarii* Fab. I. *Aquila* et *Vulpes*; *Gellerti* L. I. Fab. quae inscripta est; *das Pferd* und *die Bremse.* Adde *Romulum* L. II. F. VIII. et *Anonymum Neveleti* F. XIII. Hanc fabulam esse elegantiorem et aptius inuentam graeca Aesopi fabula pulchre ostendit. *Jacobs.* in Obseruatt. in Phaedri fabulas; vide *Nachträge zu Sulzers Theorie.* T. VI. P. I. p. 54.

FABULA XXIX.

ASINUS IRRIDENS APRUM.

Plerumque stulti risum dum captant leuem,
Graui destringunt alios contumeliâ,
Et sibi nociuum concitant periculum.

Vs. 2. *destringunt.* Guyet. Funcc. Cl. Tzschuckius mallent *distringunt.* Vid. ad IV. VII. 1.

Vs. 3. *nociuum.* Cuninghamus satis ingeniose: *Et s. inopinum c. p.* Burmannus conjicit *nociturum*; Bentlejus *vicissim.* Putabat enim, *nociuum* esse Epitheton iners et ineptum. Sed Phaedrus more veterum passim adhibet Epitheta, quae superflua videri possint. Ita L. II. F. IV. *scelesta malitia* L. I. F. XXX. 9. *secreta latibula.* Cf. *Jortini* Tracts philological cet. Vol. II. p. 297. et Not. Deinde *vicissim* Burmanno otiosum videtur, cum *alios* et *sibi* id satis indicent.

Vs. 1 — 3. *risum captant leuem.* Captare risum, est, aucupari, totum in eo esse, vt risum moueamus, vel concitemus. Burmannus explicat τὸ *leuem*, non satis decentem. Nos diceremus *leichtfertig, leichtsinnig.* Male Schefferus interpretatur, exiguus, paruus, sed v. Burm. *Risum captare* dixit Cic. Tusc. II. C. 7. *Epicurus ea dicit, vt mihi quidem captare risus videatur.* Contextus fabulae docet, haec esse intelligenda de stultis, qui facetiis et jocis, sale non conditis, efficere student, vt leuis risus oriatur. Apte Gallici interpretes *Lallemant.* et *Gail* h. v. reddiderunt: *les sots en voulant plaisanter, cherchant à plaisanter.* — *Destringunt*, afficiunt. Verbum balneorum est, et idem quod strigili radere. Plin. III. Ep. 5. *dum destringitur tergiturque, audiebat aliquid.* Hinc ad frictiones transfertur, quae fiunt acrimonia verborum, (*durchhecheln*). Sic infra L. IV. F. VII. 1. *Tu qui scripta destringis mea,* et Ovid. II. Trist. 563. *non ego mordaci destrinxi carmine quemquam.* Cf. Scheff. et Gesner. in Thes. L. L. *Contumelia.* Lenior injuria. Non potero rem melius declarare, quam si ponam quaedam Senec. de Const. Sap. C. 4. *diuidamus*

Asellus Apro cum fuisset obuius,
Salue, inquit, Frater. Ille indignans repudiat

Vs. 4. Hunc versum integrum retinuit Anonymus Nilantii. —

---

injuriam a contumelia. Prior illa natura grauior est, haec leuior, et tantum delicatis grauis, qua non laeduntur, sed offenduntur. Et C. 10. *contumelia est minor injuria, quam queri magis, quam exsequi possumus, quam leges quoque nulla dignam vindicta putauerunt. — Ille me hodie non admisit, cum alios admitteret; sermonem meum auersatus est; aut palam risit, et non in medio me lecto, sed imo collocauit.* Cf. tamen Burm. ad L. V. III. 5. Vid. ad L. I. F. II. 21. Contumeliam grauiorem injuria videri hominibus, multis comprobauit exemplis summus Gesnerus. *Patior facile injuriam, si est vacua a contumelia*, Pacuv. apud Non. p. 430. Edit. Sedauens. 1614 8. vs. 3. verte: *sie fügen andern kränkende Beleidigungen zu. nociuum*, nocens, noxium. Bentlej. de Latinitate hujus vocis dubitat, substituens *vicissim.* Sed Harius, praeter Plinium, Hist. N. XX. 2. ext. Ovidium quoque ea vsum esse docet, Remed. 45. Labente tamen Latinitate, qua Phaedrus scripsisse putandus est, adjectiua hac forma frequentius vsurpari coepta sunt. Et apud Phaedrum passim occurrunt. Sic L. III. F. III. 10. *insitiuus.* Petron. C. XXXIII. *absentiuus.* v. Burm. *concitant sibi periculum*, se adducunt in periculum. Hoc Promythium non immerito sub censuram vocat Cl. *Jacobs* in Obseruatt. ad Phaedri fabulas, vide *Nachträge zu Sulzers Theorie.* T. VI. P. I. p. 69.

Vs. 5. *Salue Frater.* Haec verba in ore asini, dici non potest, quantum habeant jucunditatis. Simili modo vulpis ad coruum Fontanii: *eh! bon jour Monsieur le Corbeau! indignans.* Indignatur, se tam familiariter appellari ab eo, quem contemnebat. Vid. L. I. F. XXIV. 9. L. IV. F. XV. 2. *repudiat officium*, ironice dictum; *er bedankt sich vor ein solch Compliment.* Apulejus L. VII. Met. ab initio: *sic enim mutuae* salutationis officium *indicabat.* Pulchre hanc vocem illustrauit Dispontin. cui adde Fabri Notas. Vid. et priorem Phaedri Editionem ad h. l. Alio sensu hac voce Phaedrus vsus est Prol. III. 5. Cl. Gail: *rejette avec indignation une telle civilité*; sed Lallemant. *rejetta le Compliment.* Cl. Sattler. *verschmäht den Grufs.*

Officium, et quaerit, cur sic mentiri velit?
Asinus demisso pene: Similem si negas
Tibi me esse, certe simile est hoc rostro tuo.
Aper cum vellet facere generosum impetum,

Vs. 7. 8. *demisso pene.* In MSS. Pith. et Rem. *dimisso pene.* Sic Rigalt. in Edit. I. Nevel. Sed in Cod. Pith. recenti manu male emendatum erat *pede.* Hinc Pithoeus emendauit *dimissis pedibus.* v. Brot. Anon. Nil. *extenso* pede *ostendit vngulam*, et mox, *hic rostro tuo similis.* Nonnullae editiones habent *demissis pedibus*, vt Rittersh. Vrsin. *similem si.* Ita MSS. Pith. et Rem. sed Pithoeus edidit *si similem*, quod defendit Burmann. At recte retinetur lectio Codd. quam probat Gud. et quam sequuntur Nevel. Bentlej. Cuningham. Brot. Bipont. In locum vs. 7. et 8. Desbillonius substituit hos: *Garrire Asellus institit nihilominus, Rostrumque aprugnum derisit procaciter.* Omisit etiam istos versus pudentior Anonymus Nevel. v. F. XI.

Vs. 9. Anon. Nil. *aper cum vellet se facere generosum impetu.*

Vs. 6. 7. *mentiri velit*, eleganter dictum pro, cur sic mentiatur? Haec increpationem innuunt, vt L. III. F. VI. 2. obseruante Scheffero ad h. l. et de Re Vehic. L. I. C. 17. p. 223. Simili modo Plin. L. IX. Ep. 17. *vis tu remittere aliquid ex rugis?* vbi vim habet admonendi. Vid. Gesner. ad h. l. τὸ *velit* igitur neque abundat, neque destinatum animi consilium indicat, quod vult Prasch. Blandius tamen esse, quam si diceret, cur sic mentiatur, notat Passerat. ad Prop. II. El. 2. in fin. teste Burmanno. Cf. Gud. qui laudat praeter alia Val. Max. L. VII. C. 3. 6. *ne cum vniuersa Romanorum acie confligere vellent.*

Vs. 7. *demisso pene.* Ex interpretatione Schefferi *demittere* est, promittere, exsertum scil. Affert Burm. locum Veget. Art. Vet. II. C. 53. vbi de jumentis: *corpus calebit, venae etiam extabunt, natura submissa erit.* Cic. ad Div. IX. Ep. 22. *hodie* penis *in obscenis est.*

Vs. 8. *Hoc*, i. e. penis, δεικτικῶς capiendum. Vid. ad L. I. F. I. 6. *rostro.* Vid. Scheffer. Sunt enim obscena haec et insulsa.

Vs. 9. *generosum*, dignum genere et ortu, fortem. Cl. Sattler. *edel.* τῷ *generosus* op-

Repressit iram; Et: Facilis vindicta est mihi;
Sed inquinari nolo ignauo sanguine.

Vs. 10. *Et facilis.* Cuperus L. II. Obs. C. 20. scribendum putat, *en facilis.* Etiam Heinsius libro suo adscripsit *en*; improbantibus Scheffero et Perizonio ad Sanctii Minerv. L. IV. C. V. p. m. 752. de Ellips. quos vide; coll. Burm.

---

ponitur V. 11. *ignauus.* Oppianus I. Cyneg. v. 364. aprum vocat *μέγ' ἔξοχον ἐν θήρεσιν*; Plinius vero H. N L. XI. C. 40. sues dixit *generosas*, quas opponit *vulgaribus.*

Vs. 10. *repressit iram*, cohibuit. Ter. Adelph. V. III. 8. *reprime iracundiam.* v. Hoogstratan. *et* subaudi, dixit. Vid. L. IV. F. XXIII. 10. *Facilis est vindicta mihi.* Verte: *Es wäre mir etwas leichtes, mich an dir zu rächen.*

Vs. 11. *Ignauo sanguine.* Exquisitius et poëticae rationi accommodatius, quam *ignaui sanguine.* Ignauus est, imbellis, inualidus. De hac loquendi formula v. Wopkensius in Misc. Obs. Nov. T. X. p. 88.

Hanc fabulam narrant *Anonymus Nilantii* F. XII. *Anonymus Neveleti* F. XI. *Romulus* L. I. F. XI. Compara etiam *Hagedornii* Fab. *der Löwe* und *der Esel.* L. I. p. m. 46. *Gleimii* L. I. F. 4. *Camerar.* p. m. 190.

FABULA XXX.

RANAE METUENTES TAURORUM PROELIA.

Humiles laborant, vbi potentes dissident.
Rana, in palude pugnam Taurorum intuens,

Vs. 2. *in palude.* Bentlej. cui obsequitur Cuninghamus, *e palude*; qua emendatione non erat opus. Nam si legatur *in palude*, inde non potest colligi, quod metuit Bentlejus, ne quisquam suspicetur, pugnam taurorum *in palude* fuisse. Immo vero rana intueri poterat *in palude* pugnam, quae pugnabatur in terra, haud procul a stagno, in quo erat rana. Neque tamen lectionem *e palude* puto esse ineptam. Nam *ex* pro *in* tunc inprimis poni solet, si in loco aliquo ita fiat aliquid, vt simul alius locus respiciatur. Nep. Paus. IV. *locum fecerunt sub terra, ex quo posset audiri, si quis loqueretur cum Argilio.*

Vs. 1. *Humiles*, ciues, s. potentibus subditi. Vid. L. I. F. XXVIII. 1. *laborant*, affliguntur, periculo obnoxii sunt. Vid. Burmann. ad Petron. C. XV. coll. vs. 9. 10. Accommodate hic laudant Interpretes locum Hor. L. I. Ep. II. 14. *Quicquid delirant Reges, plectuntur Achiui. Potentes.* Compara L. I. F. XXIV. 1. L. III. F. V. 6. L. II. F. VI. 1. L. I. F. V. 1.

Vs. 2. *pugnam taurorum.* Docte de hac re disputat Erasmus in Adagio: *Abiit et taurus in siluam*, ἔβα καὶ ταῦρος ἀν' ὕλαν, p. m. 39. vbi vide. Tauri nimirum nonnumquam a vaccarum armentis secedebant, et aut reliquis aggregabantur tauris, aut solitarii per nemora vagabantur, nullo feminarum desiderio tacti. Eum secessum eumque vaccarum neglectum peculiari verbo vocabant ἀτιμαγελεῖν. Hunc animantis morem simulque vocem ipsam ei tributam rei, demonstrat Aristoteles L. VI. C. 224. Hist. Anim. vbi vid. Scaliger. At cum tempus coitus adesset, tum demum taurus incipiebat communibus cum vaccis pascuis vti, neque ei conueniebat cum reliquis taurorum armentis, sed cum iis de vaccis certabat, quod non solum in tauris accidere, sed in feris ferme omnibus testatur Aristoteles l. c. Non

Heu, quanta nobis instat pernicies! ait.
Interrogata ab aliâ, cur hoc diceret,
De principatu cum decertarent gregis,

Vs. 5. 6. In MSS. legitur: *De principatu cum illi certarent gregis, Longeque ab illis degerent vitam boues.* (Sic ediderunt Nevel. Scheff. Vrsin.) Nicol. Heinsius remouet a primo versu *illi*, et legi vult *decertarent*. Quam quidem emendationem omnes prope Editiones nunc exhibent. Sed per vocem *boues*, quae

---

pauca Burmann. et Gronov. commemorant loca, obuia ap. poëtas de hac pugna taurorum et regno saltuum. e. g. Apollon. Rhod. II. 88. ad quem loc. Brunck. V. C. laudat Ovid. IX. Met. 42. sqq. Stat. II. Theb. 323. VI. 861. Virg. III. G. 220. sqq. XII. A. 716. sqq. Quibus adde pulchram descriptionem ejusmodi pugnae ap. Oppian. in Cyneg. L. II. vs. 43 — 82. vbi v. Commentar. Rittershus. p. 51. sqq. Victi tauri in siluam ac sola loca sese proripiebant, vbi recuperabant vires, quem admodum Rittershus. docuit ad Oppian; loc. cit.

Vs. 5. *principatu gregis.* Schefferus interpretatur dominatum, seu regnum (*Oberherrschaft*) in gregem, improbante Gudio, cui *principatus gregis* est regnum nemoris (V. 8.) i. e. vaccarum illius gregis, in nemore pascentium; quae interpretatio nescio an multum a Schefferiana differat. Vid. ad L. I. F. XV. 1. Alio sensu *principatus* capitur, cum sermo est de iis, qui principatum obtinent in ciuitate libera. Vid. Nep. Aristid. 1. quae significatio ab hoc loco est aliena. Hinc male vertit Santoroc. *Vorzug bey der Heerde.* Taurus autem dicitur *princeps gregis*, vt apud Virg. Ecl. VII. 7. *vir gregis ipse caper*, praeeunte Theocrito, VIII. 49. *gregis. Greges* minorum pecudum; *armenta* majorum. Sic Virg. G. III. 236. sq. Sed *gregem* de majoribus quoque animalibus dici, praeter hunc Phaedri locum, alia sunt, quae probent. Ita, vt omittam alia, Varr. R. R. II. 5. *tauros in gregem redigo.* Et alio loco huj. Cap. *qui gregem armentorum emere vult.* Et Virg. Ecl. VI. 55. de iuuenco, *in magno sequitur grege*, vbi v. Servius. *decertarent*, i. e. decretoria pugna certarent. Cic. de Off. I. C. 12. *cum de imperio decertatur, belloque gloria quaeritur.* Conuenit hoc verbum, de quo v. Burm. furori et rabiei pugnantium taurorum.

Longeque ab illis degerent vitam boues:
Est statio separata, ac diuersum genus;
Sed pulsus regno nemoris qui profugerit,

subsequitur, cum vaccae debeant intelligi: et vox *illi* tauros significet, qui de earum grege gubernando certabant, nihil in primo versu, vbi vox *illi* necessaria esse videtur, mutari debuit. At neque vox *illis* subsistere in altero versu potest, quia orationem prorsus inuenustam efficiat, et sensum etiam perturbet. *Uluis* ergo reposuimus; quam vocem cum librarius parum intelligeret, mutare in *illis* facile potuerit. Uluae autem, quae sunt herbae palustres, ranarum stationem optime designant. *Desbillonius.* Haec conjectura Censori erudito in A. L. Z. ann. 1786. V. 476. facilis videtur et apta, etsi contendat, per *boues* non vaccas, sed omnino armenta (*Rinder*) esse intelligendas. Equidem adquiesco in vulgato.

Vs. 7. *statio separata.* Vid. Excurs. XIII.

Vs. 6. *Vitam degerent.* Vid. L. I. F. III. 2.

Vs. 7. *Est statio separata.* Sunt verba alterius ranae, quae hunc habent sensum: tauri quidem (subaudienda enim particula *quidem* vt L. II. F. I. 11. 12.) loco a nobis diuerso ac secreto viuunt; illi viuunt in nemoribus et campis, nos in aqua latemus, vs. 9. sed cet. Dixit autem *statio* pro sedibus, i. e. pascuis, quibus boues degunt, vt Virg. L. IV. G. 8. *principio sedes apibus, statioque petendae*, qui locus debetur Gudio; cf. L. I. F. III. 13. vbi v. V. L. et L. I. F. VI. 8 Sic *statio equorum* apud Pallad. I. 21. de stabulis, teste Burmanno, *genus.* Simili modo L. I. F. XXXI. 6. columbas vocat *genus inerme*, et L. I. F. III. 10. de graculo, *redire moerens coepit ad proprium genus.* L. I. vero F. II. 15. *pauidum genus*, de ranis.

Vs. 8. *regno nemoris.* Ita *armenti reges* dixit Statius L. XI. Theb. 28. qui locus debetur Burmanno. Praeterea laudant Interpretes Virg. III. G. 228. *regnis excessit auitis*, de tauro victo; Aen. L. XII. 718. sq. *mussantque iuuencae, quis nemori imperitet, quem tota armenta sequantur*, vt taceam de aliis. Compara etiam loca supra ad vs. 2. citata et F. XXXI. 7. sqq.

Paludis in secreta veniet latibula,
Et procultatas obteret duro pede:
Caput ita ad nostrum furor illorum pertinet.

Vs. 11. Bentlej. et Harius legunt: *ita caput ad nostrum furor illorum pertinet*, numeris melioribus, vt putant, sed v. Burm.

Vs. 9. *secreta latibula.* Sattler: *des Sumpfes Winkel.* Abundare videtur *secreta*, i. e. disjuncta, solitaria. Inest enim in τῷ *latibula*, fere vt *liquida sorbitio* L. I. F. XXVI. 4. 5. Sed vid. V. L. ad L. I. F. XXIX. 13. Cl. Tzschuck. tamen vult, poëtam intendere voluisse notionem. *Latibula* de feris et bestiis, vt L. II. F. VIII. 1.

Vs. 10. Ornate et graphice, pro, proculcabit nos ranas. Est lucida descriptio periculi ex re ducta (Vs. 1.) quo et pertinet *furor* vs. sq. cf. Tzsch. Cl. *Gail* in singulis verbis videt elegantiam! Lege, lector, et judica! Burmannus laudat Ovidii L. XII. Met. 374. *pedibusque virum proculcat equinis.* Vid. ad L. I. F. XXIV. 10. Cl. Sattler: *wird mit harten Fus zermalmen all.* Hor. II. Sat. III. 313. haec ita expressit: *ranae pullis vituli pede pressis*; at Lucret. L. I. 80. *Relligio pedibus subjecta vicissim obteritur*, vbi Havercampus laudat hunc Phaedri locum.

Vs. 11. *Ita.* De eleganti hujus particulae vsu, pro, hac ratione, hoc modo, hac conditione, hoc tempore. Vid. Ernesti Rhet. p. 148. Respicit autem ad interrogationem V. 4. sqq. quare et quomodo ipsis tantum malum possit imminere, vt jam Scheffer. notauit. *pertinet.* Hujus verbi elegantiam, pro, eo vsque se porrigit, pertingit, recte obseruant Scheff. et Burm. nempe quia sermo est de capite et antecessit, *longeque ab illis degerent.* Apte Burm. affert locum Liv. L. I. C. 10. *ad quos ejus injuriae pars pertinebat.* Proprio sensu legitur apud Cic. N. D. II. 55. *venae in omnes partes corporis pertinent.* Sic alibi saepe. *Caput* pro vita et salute. Sic L. I. F. XIV. 15. et III. III. 7. Sensus: a pugna taurorum nostra pendet vita. Cl. Jördens: *so gilt allerdings ihre Wuth unserm Leben.*

Hanc fabulam neque Anonymus Nilantii, neque Romulus habent. Compara *Gleim.* F. XVII. *Fontan.* L. II. F. 4.

FABULA XXXI.

MILÜUS ET COLUMBA.

Qui se committit homini tutandum improbo,
Auxilia dum requirit, exitium inuenit.

Vs. 2. *Auxilia.* Ita vulgo legitur. Bentlej. *auxilium*, fultus auctoritate Anonymi Nilantii, qui habet: *auxilium cum quaerit, exitium inuenit*, vt respondeat τῷ *exitium.* Quam lectionem confirmat Romulus cum Divion. tum Vlmens. vbi haec: *qui se tutandum dederit homini improbo, perdit male auxilium, dum quaerit.* Neque etiam mouet me Burmannus, statuens, *auxilia* praestare, quia non ad vnum miluum, sed ad omnes improbos referendum sit. Puto enim, aeque bene dici posse *auxilium*, etiamsi ad omnes improbos, non ad vnum, referatur. Sic Cic. pro Rabir. C. II. *Ab Ioue O. M. ceterisque Diis Deabusque immortalibus, quorum ope et auxilio multo magis haec respublica, quam ratione nominum et consilio gubernatur, pacem ac veniam peto.* Ex quo loco luculenter apparet, *auxilio* hic ad multos, non ad vnum, referri; neque tamen Cicero dicit, quorum *auxiliis*: vt omittam alia. Itaque *auxilium* recte placere potest, quod praeter Bentlejum dederunt Cuninghamus et Brotier. Nihilo vero secius retineo vulgatum.

Vs. 1. Hoc Promythium non immerito carpit *Jacobs* V. D. cf. Ej. Obseruatt. in Phaedri fabulas. Tum demum aptum esset consilio fabulae, si columbae auxilium milui aduersus alium hostem implorauissent. *committit*, fidei alterius se tradit. Eodem sensu legitur L. I. F. XIV. 16. et L. II. F. VIII. 7. Vid. quoque ad L. I. F. VIII. 8. *improbo.* Vario sensu a Phaedro hoc Epitheton vsurpari, quo magnopere delectatur, jam aliquoties vidimus. Hoc loco est *prauus.* Cl. Sattler. *Wer einem Bösen sich zum Schutze anvertraut.* Cl. Jördens. *Wer sich dem Schutz des Bösewichts vertraut.*

Vs. 2. *Auxilia dum requirit.* Ita dixit pro, auxilium. *exitium inuenit.* Haec locutio occurrit, sed alio sensu, apud Sallust. Cat. C. LV *ita ille patricius — dignum moribus factisque suis exitium vitae inuenit*; namque optimi quique MSS. ap. Grut.

Columbae saepe cum fugissent Milüum,
Et celeritate pennae vitassent necem,

Vs. 3. 4. *fugissent — vitassent.* Bentlej. edidit, *effugissent — euitassent.* Dicit enim: „non omnes qui fugiunt, etiam effugiunt." et mox: „saepe vitat, qui euitare non potest." Sed quae columbae Vs. 3 miluum fugisse dicuntur, eaedem vitabant, i. e. euitabant necem Vs. 4. Probaui enim in Notis, τὸ *vitare* etiam significare *euitare.* Compara longam Burmanni ad h. l. disputationem, qui fuse tuetur suam hujus loci interpretationem, et de vsu verborum *fugere*, *effugere*, *vitare*, multis disputat; coll. Not. ad vs. 3. 4. *Evitassent* conjiciunt quoque Heinsius, Tollius, Cuninghamus, alii. Anonymus Nilantii haec ita expressit: *cum semper fugerent et celeritate pennarum mutassent necem*, e permutatione verborum *vitare* et *mutare* sollemni.

Vs. 3. 4. *fugissent — vitassent.* Haec duo verba Burmannus idem h. l. notare existimat, quod *effugissent* et *euitassent*, per poëtarum nempe licentiam, verba, quae idem fere notant, variandi. At ista variandi licentia a Phaedri succincta breuitate longe abest. Hinc intelligo *fugissent* de ipso conatu effugiendi; *vitassent* vero explico de effectu, pro, euitassent, effugissent. Fugere igitur miluum est, *vor dem Geyer fliehen.* Sed qui fugit, non semper euadit; propterea addit Phaedrus, *vitassent necem*, *sie waren dem Tode entgangen.* Senec. Ep. V. *ferae pericula, quae vident*, fugiunt, *cum* effugere *securae sunt.* Et de Tranquill. An. C. II. cum attulisset illud Lucretii, *Hoc se quisque modo semper fugit*, addit; *sed quid prodest, si non* effugit? Et Ovid. I. Met. 506. *Sic aquilam penna fugiunt trepidante columbae*, in quo *penna* pro *pennis* ponitur, vt *celeritate pennae* Vs. 4. Hisce in locis, quae produxit Burmannus, *fugere* de conatu fugiendi capitur; *vitare* vero, quod aliis in locis est, conari effugere, vt L. I. F. XIX. 1. 2. *vitare insidias*; II. IV. 22. *aper rapinam vitans*, h. l. significat, euitare, effugere. Sall. Bell. Jug. C. 76. *proditionem timebat*, *quam* vitare *posse celeritate putabat.* Atqui columbae, quae fugerant milüum, et celeritate pennae vitauerant necem, postea ei se credere poterant. Non satis accurate Interpretes cum Germanorum, tum Gallorum, haec vertisse mihi videntur. *necem.* De omni genere mortis, etiam

Consilium raptor vertit ad fallaciam,
Et genus inerme tali decepit dolo:

Vs. 6. *genus inerme.* Apud Anonymum Nil. legitur, *genus incertum*, vnde nonnulli fecerunt *inermum.* Sed v. Burman. τὸ *incertum*, judicante eodem viro docto, posset explicari, *incertum salutis*, et quid ageret dubium, vt deinde tutum et securum, non sollicitum aeuum ducerent. Ovid. III. Tr. III. 4. *incertusque meae paene salutis eram.* Nil tamen mutandum censet.

---

de naturali Ovidius, Justinus, alii posuere. Vid. Burm. ad L. I. F. I. 14. sed Phaedrus fere semper hocce vocabulo mortem violentam indicat. Cf. L. I. F. I. 14. I. XXII. 1. I. II. 25. Sic alibi. *miluum.* Trisyllabon. v. Wasius de Senar. p. 134. In MSS. vetustissimis hanc vocem scriptam vel *miluum* vel *milvum*, numquam vero *miluium*, testantur, qui ea inspexerunt, vt Heinsius et Burm. ad Ovid. Am. II. VI. 34. Lambin. et Gruter. ad Plaut. Aul. II. IV. 40. Gud. Voss. Tollius in Not. ad Phaedr. Vid. P. III. Edit. nostrae p. 153. Obseruat etiam Tan. Faber, a voce *miluus* factum esse *milvina* sc. fames, quod apud Plaut. Menaech. I. III. 29. legitur; alioqui dicendum fuisse *milviena*, quemadmodum a voce *lanius*, factum est *laniena.* Contra pugnat Borrich. Cogit. de L. L. p. 163. quem citat Gesner. in Thes. L. L. vbi vide. Atque etiam nonnulli Phaedri Editores habent *milvium.*

Vs. 5. 6. *raptor.* Eleganter. Vid. ad L. I. F. I. 4. *consilium vertit ad fallaciam.* Recte explicat Burmannus, cum vidisset, se vi non posse capere columbas, intendit animum ad fallaciam; *er dachte, sann auf eine List.* Accommodate autem affert loc. Livii L. II. C. 11. *Porsena primo conatu repulsus, consiliis ab oppugnanda vrbe ad obsidendam versis*; vt taceam de reliquis. Schefferus ad h. l. *Vertit*, inquit, non est *mutat*; sic enim scribendum fuisset *in fallaciam*; sed eo conuertit, intendit: quam differentiam valde laudat Burm. Sed cum Liv. L. XXV. 16. dicat, *toto animo a patiendo exspectandoque euentu in impetum atque iram verso*; et L. XL. 5. *totus in Persea versus*: vides, verbum *vertere*, quoties idem est, quod *conuertere*, s. intendere, etiam construi solere cum praepositione *in.* Vsitatius tamen hoc sensu est, *conuertere.* Justin. L. XXIV. 6. *animum ad deorum immortalium templa conuertit.* Id. L.

Quare sollicitum potius aeuum ducitis,
Quam regem me creatis icto foedere,
Qui vos ab omni tutas praestem injuriâ?
Illae credentes, tradunt sese Milüo:
Qui, regnum adeptus, coepit vesci singulas,
Et exercere imperium saeuis vnguibus.

Vs. 8. Sic edidi e MSS. Pith. Rem. et Edit. Vet. quam lectionem, quae sana est, plurimi recte secuti sunt. Ita Nevel. Vrsin. Scheff. Funcc. e recentioribus Lallem. Brot. Bip. Desbillon. Didot. Burmannus, cui, ne littera *m* concurreret, transpositione opus esse videbatur, dedit: *quam me creatis icto regem foedere.* Sed et sic littera *m* concurrit. Praeterea criticorum est, emendare textum, non auctorem. In Cod. Pithoei recentiore manu frustra emendatum erat, *juncto foedere.* v. Brot.

XXI. 1. *tunc ad destinatum facinus conuersus.* v. Burmann. Versum 5. Just. L. XXXVIII. 1. ita expressit: *consilia ad insidias transfert.* *genus inerme.* Columbas pulchre sic appellat. Vid. ad F. XXX. 7. *inerme.* Apte. Arma enim desunt columbis contra rapaces aves. De armis vero hoc sensu egimus ad Val. Flacc. VII. 597. Ita Plin. L. VIII. 32. Ceruos *amissis cornibus inermes* vocat. *Burm.* Vid. Gruneri Obs. ad Phaedr. p. 20.

Vs. 7. Quare vitam agitis sollicitam? Hor. L. I. Ep. XVIII. 93. *percontabere doctos, qua ratione queas* traducere *leniter* aeuum.

Vs. 8. *icto foedere.* Icere, ferire foedus veteres dixerunt, pro, facere. Ratio inde orta, quod inter ceteras ineundi foederis caerimonias etiam porca diis caedebatur. Liv. L. I. C. 24. Virg. Aen. VIII. 641. Cf. Dispontin.

Vs. 9. *omni injuria.* Vid. ad L. I. F. II. 21.

Vs. 10. *credentes.* Absolute hic positum, pro, *credulae,* vt L. III. F. X. *periculosum est, credere et non credere.* Burm.

Vs. 11. *coepit vesci.* Vid. ad L. I. F. II. 8. Verbum *vesci* cum accusatiuo apud quosdam reperitur. Plin. L. X. 58. *Aues nonnullae vescuntur ea, quae rapuere pedibus.* Id. L. VIII. 50. *si caprinum jecur vescantur.* De Constr. hujus verbi Burmann. laudat Brouckhus. ad Tibull. II. El. V. 63. sq. v. etiam Voss. de Constr. C. 22. et Walchii Diss. de stylo Phaedri p. 76. *singulas*, vnam post alteram. Vid. ad L. I. F. II. 25.

Vs. 12. *saeuis.* Nota ornatum Epitheti. L. I. F. XII. 11. dixit *saeui morsus.* Vid. ad L. I. F. II. 10. et ad L. II. F. III. 1. vbi v. V. L. Cl. Sattler: *blut'ge Klauen. exercere imperium.* Plin. H. N. L. X. 21. *exercere regnum*, de gallis.

Tunc de reliqüis vna: Merito plectimur.

Vs. 13. *Tunc de reliqüis vna.* Sic MSS. Pith. et Rem. neque aliter Pith. Rittershus. Nevelet. alii tum temporis edidere, quibus et ego libenter obsecutus sum. Sed Rigaltius, falso putans, vitium inesse metro, contra fidem Codd. MSS. primus transposuit, *de reliquis tunc vna*, *vt reliquis* esset trisyllabon, prima syllaba producta. Perperam. Non enim videbat, *reliqüis* quatuor esse syllabarum. Sic enim apud veteres semper efferebatur haec vox: id quod adeo obseruatum veteribus poëtis, vt, obseruante Bentlejo, aurea aetate nemo trisyllabo eo vsus fuerit. Quam enim vocem si Heroicum, aut Elegiacum carmen admisisset, aurei aeui poëtae sine dubio ab obuia voce non abstinuissent. Postea τρισύλλαβον factum facile admittebatur. Vid. Martial. IV. 42. Iuuenal. V. 153. quae loca Bentlejus memorat. Deinde Phaedrus in aliis locis quadrisyllabum semper facit. Sic L. III. F. IV. 2. *inter reliqüas merces.* L. IV. F. XXIV. 12. *cum reliqüum posceret.* Inspice quoque loca, quae Bentlej. et Desbillon. producunt e Lucretio, Terentio et Plauto. Quae docent omnia, nil esse mutandum, et infeliciter Neveletum atque etiam Heinsium ad L. III. F. IV. 2. conjecisse, *de relictis*, improbantibus Gudio et Burmanno. Merito autem mirum videri possit, plurimos Criticos Rigaltium esse secutos, inter quos Desbillonius; etsi hic dicat in Addend. ad Not. p. XLVII. „Rigaltium forte non satis prudenter cum aliis fere omnibus Criticis secuti sumus.“ Praeter jam nominatos, *tunc de reliqüis* ediderunt: Vrsinus, Bentlej. Cuninghamus, Wasius in Senar. p. 136. Salmasius, qui scribi vult, *tunc de relicuis*, Didot. Etiam Burmannus fauet huic lectioni, etsi ediderit, *de reliquis tunc*, quod etiam Bipontini retinent. De hoc loco conf. Not. Gudii, Bentleji et Burmanni.

Vs. 13. *de reliqüis vna.* Simili modo L. III. F. XIX. 7. *quidam e turba garrulus*: et L. III. F. IX. 5. *e populo nescio quis.* *Merito plectimur*, merito, quia credulitate et imprudentia sumus calamitatis nostrae auctores. L. I. F. XXII. 9. dixit, *merito jaces.* L. III. F. VI. 10. *hac derideri fabula merito potest*, Burmannus affert locum Suet. Vesp XII. *merito se plecti.* Cic. II. de Off. 8. *jure igitur plectimur*, et Nep. Att. 11. *cauitne qua in re jure plecteretur.* Vertere possis: *Uns geschieht schon recht.*

Compara *Romuli* L. II. F. II. *Aphthonii* F. XXI. *Anonymi Neveleti* F. XXII. Omnes aliter rem narrant, ac Phaedrus. Sed *Anonymus Nil.* (v. F. XXII.) accurate instat Phaedri vestigiis, saepius ipsa poëtae verba retinens. Adde *Romuli* Nil. F. XIX. Inventionem fabulae, vtpote parum probabilem, reprehendit V. Cl. *Jacobs* in Obseruatt. in Phaedri fabulas; vide *Nachträge zu Sulzers Theorie* T. VI. P. I. p. 58. et cf. *Boulangeri* Fabulam, *le Milan et les Pigeons*, L. II. F. II. p. 40.

PHAEDRI

AUGUSTI LIBERTI

FABULARUM AESOPIARUM

LIBER SECUNDUS.

PHAEDRI

FABULARUM AESOPIARUM

LIBER SECUNDUS.



J. Catel del.

Ex alticinctis unus Atriensibus,
Cui tunica ab humeris linteo Pelusio
Erat destricta cet.

Phaedr. II. V. 11. sqq.

P H A E D R I

AUGUSTI LIBERTI

FABULARUM AESOPIARUM

LIBER SECUNDUS. *)

AUCTOR. **)

Exemplis continetur Aesopi genus,
Nec aliud quidquam per fabellas quaeritur,

*) Cod. Pithoei haec ita expressit: *Phaedri Augusti Lib. secundus incipit.* v. Gud.

**) *Auctor.* Sie MSS. Pith. Rem. et Edit. vet. Nonnulli omittunt τὸ *auctor.*

Vs. 1. Varietatem Lectionis v. in Exc. XIV. ad h. v.

Vs. 1 — 4. Dabimus hujus loci interpretationem, quae Burmannum habet auctorem, et quam vnice putamus veram. Genus scribendi, quo vsus est Aesopus, continetur, continet se intra sola exempla, i. e. fabulas fictas, nec alius ipsi, et qui ejus exemplo hoc scribendi genus secuti sunt, finis propositus, (Vs. 2.) quam vt corrigatur error mortalium, et acuat se diligens industria. Recte nempe putat Burmannus, in hac Praefatione Phaedrum sibi munire viam, qua se defendat contra eos, qui culpare vellent, quod, cum in praefatione L. I. professus esset, se polire tantum materiam, repertam ab Aesopo, nunc tamen quaedam sit immixturus, non ex fabulosa antiquitate, sed quae memoria facta erant sua, (veras historias) de quibus mox Vs. 9. 10. Objicere ergo poterant inuidi, non dare illum fabulas Aesopias, sed narrare historias etiam veras. Vid. e. c. L. II. F. V. His occurrit fatendo, Aesopi quidem genus solis absolui fabulis, contineri illis, non egredi

Quam corrigatur error vt mortalium,

---

fines illos, auctori propositos, sed cum earum finis sit, corrigere errorem mortalium, nihil debere lectorem interesse, an fabulas, an facta legat, dummodo finem Aesopi et propositum servent, aurem capiant, et suauitate et varietate delectent aeque verae historiae ac fabulae lectores; eo magis, quod nec longo ambitu narret ea, quae acciderint, sed breuitate eas faciat fabulis similes: se ergo seruaturum dicit morem Aesopi; sed si libido ei venerit, aliquid de suo interponendi, vt aequi bonique consulat lector, rogat. Alii aliter; de quo videndus Excurs. XIV. ad vs. 1. De singulis nunc videbimus. *Exemplis.* Exempla sunt fabulae fictae, vt L. I. F. III. 3. L. II. F. I. 11. IV. III. 6. L. III. F. X. vbi cum ostendere vellet, periculosum esse, *credere* et *non credere*, et vtriusque exemplum ex fabulosa historia de Hippolyto et Cassandra breuiter exposuisset, mox addit V. 7. 8. *sed fabulosa ne vetustate eleuem, Narrabo tibi, memoria quod factum est mea.* Ita Cicero III. de Off. 9. cum retulisset fabulam Gygis, addit: *haec est vis hujus annuli et hujus exempli.* Vid. Burm. *Aesopi genus*, hac voce, quae absolute posita, immerito offendit interpretes, intelligit genus scribendi Aesopi, quo ille vsus est, i. e. fabulas fictas; quae interpretatio firmatur Vs. 2. Pulchre hanc locutionem explicauit Desbillonius. Cic. L. II. de Or. C. 21. memorat *genus Crassi magnificum atque praeclarum*, quod genus dicendi esse, ex orationis contextu facile intelligitur. Phaedrus autem cum Prol. L. I. et fabulis L. I. III. 3. quodnam sit genus, in quo se exerceret Aesopus, satis ostendisset, nunc poterat id leviter indicare Sed et Prol. L. IV. 13. de hoc eodem genere loquens, verba etiam paulo minus significantia adhibet, dum se vsum esse dicit *vetusto genere.* Nam Aesopi est vetustum illud, scribendi quidem genus. Vid. infra ad l. c. *continetur.* Omne Aesopi scribendi genus versatur in explicandis exemplis, s. fabulis fictis, et his quasi finibus continetur. Vid. Desbillon. in Addend. ad Not. p. XLVII. *nec aliud quidquam,* Vid. Phaedr. IV. XI. 15. Cic. ad Div. XI. 2. *nec quidquam aliud libertate communi quaesisse corrigatur error,* vt vitia et peccata hominum emendentur; quo sensu Cic. Tusc. V, 27. *mentes imbutas prauitatis erroribus* dixit. *acuat sese diligens industria.* Intelligit industriam

Acuatque sese diligens industria.
Quicunque fuerit ergo narrantis jocus,

Vs. 5. *narrantis jocus.* MSS. Pith. Rem. et Ed. Vet. *narrandi locus.* Sic Nevelet Rigalt. Ed. 2. Meurs. Ursin. e recentioribus vero Maittar. Brotier. Bipont. Desbillon. Sed *narrandi locus* est ansa, occasio (*Veranlassung*) narrandi, quod dicitur, vt *locus gaudendi*, *locus resecandae libidinis* apud Ciceronem, non ipsum narrationis argumentum, *le sujet de la fable*, quemadmodum interpretatur Brotier. Si probari posset, vocem *locus* hoc significare posse, libentissime lectionem Codicum sequerer, quam viri docti rejiciunt, quia sequitur *capiat aurem*, quod de *joco* recte, de loco perperam dicitur. Vid. Burm. et Tzschuck. Itaque jam olim Rittershusius conjiciebat *jocus*. Cum Aesopi logorum a Platone fiat mentio, Guyeto legendum videtur, *narrandus logus.* Alii, vt Tollius, *narranti locus;* Sanadon. Philipp. Lallemant. *quodcunque fuerit ergo narrandi genus*; Bentlejus, cui paret Cuninghamus, *narrandus jocus.* Optime illi, qui vel legunt, *quicunque fuerit narrantis jocus*, vt Graev. quem vid. ad Cic. XVI. ad Div. 21. coll. Burm. Syllog. Epp. T. IV. p. 585. 42. 195. Heinsius; v. Syll. Epp. T. IV. p. 44. Hogstratan. Funcc. Walchius; vel *narranti jocus*, vt Burmann. Sic jam olim conjecerat Gudius. In Cod. Rem.

---

in inuestigando fabulae sensu adhibendam. *Industria* et *diligentia* quomodo differant, docet Cic. Verr. I. 6. „quo in negotio *industriam* meam celeritas reditionis, *diligentiam* multitudo litterarum et testium declaravit.“ *Diligens* igitur non est otiosum, quod male putabat Jortinus l. c. cum non omnis industria sit diligens. Vid. etiam ad L. I. Prol. 7. Itaque hunc versum vertere possis: *damit der sorgfältige Fleifs (in Aufsuchung des Sinnes, Deutung der Fabel) geschärft werde.* Oertel: *den regen Geist der Menschen im Denken zu üben.* V. 3. 4. comparabis cum Prol. I, 3. 4. Aliter cepit Pauflerus; de quo consules *Supplend.* et *Emendand.* ad h. l.

Vs. 5. Sensus satis apparet ex iis, quae supra diximus: qualiscunque fuerit jocus, sive fabula ficta, ex Aesopio genere, sive historia vera, in fabulae modum, ex inuentione Phaedri narrata, debet re, non auctoris nomine commendari. Cf. Burm. *jocus.* Vid. ad Proleg. I. 7.

Dum capiat aurem, et seruet propositum suum,
Recommendatur, non auctoris nomine.
Equidem omni cura morem seruabo senis,

enim, in eadem voce, *i* saepe mutatur in *l*. Ita L. I. F. 21. *ignauis etiam locus est*, vbi aperte scribendum, *jocus*.

Vs. 7. Heinsius et Bentlejus rescribi jubent *commendetur*, quod praefert etiam Graev. Vid. Burm. Syllog. Epp. T. IV. p. 585. Hanc emendationem amplectuntur Philipp. Lallemant. Brotier. sine vlla necessitate, obseruante Burmanno; est enim oratio confidentis et affirmantis. Refragantur etiam libri scripti et editi.

Vs. 6. *Dum*. Dummodo. Vid. ad L. I. F. XV. 10. *capiat aurem*. teneat, oblectet, suauitatis sensu e fabulis. *seruet propositum suum*, in proposito maneat idemque assequatur; dixerat enim, scopum fabularum esse, *corrigatur error vt mortalium* (V. 3). Gerike: *wenn er ergötzt und seinem Zweck entspricht*.

Vs. 7. *Re*, elegantia narrationis, quae capit aurem, ipso argumento fabulae et salubritate praeceptorum, ad vitam moresque pertinentium, *commendatur*, non auctoritate scribentis, *auctoris nomine*.

Vs. 8. Equidem seruabo *morem*, consuetudinem, *senis*, Aesopi, quem etiam L. III. III. 14. appellat *naris emunctae senem*, praecepta vitae fabellis fictis tradendi; ita quidem, vt materiam, ab eo repertam, versibus senariis polire pergam. *Oertelius* intelligit modum narrandi, ab Aesopo in fabulis tradendis adhibitum (*Manier*). Desbillonius ad vocem *senis*; „Aesopum hic agnosce, non annis quidem grauem, sed apologis suis, et ipsa etiam antiquitate nobilem. Sic Hor. L. II. Sat. I. 34. *senem* vocat Lucilium poëtam, qui tamen annos tantum XLVI natus de vita decessit.“ Frequenter de magistris et philosophis, et aetatis et honoris caussa, usurpari, docte probauit Schefferus. Sic Cic. de Am. 1. *a patre ita eram deductus ad Scaevolam, vt a senis latere numquam discederem*. Nep. Ep. II. Lysiam Tarentinum vocat tristem et seuerum *senem*. Eodem modo Chiron a Statio Achill. II. 382. dicitur *senior Thessalus*; Phidias ab eodem Silv. I. I. 102. *senior Atticus*, et sic alii saepe. Sattler. *Zwar will ich meinem Alten bleiben gern getreu*.

Sed si libuerit aliquid interponere,
Dictorum sensus vt delectet varietas,
Bonas in partes, Lector, accipias velim,

Vs. 9-11. Vid. Excurs. XIV. ad hosce versus.

Vs. 9-11. De hoc loco lege fusam et eruditam Burmanni disputationem. Sensus: Si commodum visum fuerit, inserere aliquid ex iis fabulis, quas ipse inuenero, i. e. quae continent veras historias, vt F. V. h. l. L. III. F. X. L. IV. F. V. XXI. XXIV. L. V. F. I. V. VII. quo forte etiam referendae fabulae, quae nondum reperiuntur in Graecis: eam potissimum ob caussam, vt varietas eorum, quae dicuntur, i. e. fabularum, sensus lectorum delectet; bonas in partes, Lector, accipias velim. Nescio enim, an simul respiciat, quod vult Schirachius Clav. P. I. p. 100, scribens: „modeste sic vocat quoque artificiosam suam narrandi rationem atque elegantiorem; non enim ita planus esse ac Aesopus in narrando esse voluit, sed paullulum poliuit. Hinc orta est dictorum quaedam varietas, atque elegantia placens.“ *libuerit.* Vid. ad L. I. F. III. 1. Nep. Pel. V. *Hoc loco libet interponere. aliquid.* Burmannus docet, istud pronomen non semper requirere genitiuum aut substantiui, aut adjectiui, aut sibi adjunctum adjectiuum eodem casu. Ita Ter. And. II. I. 16. *interea fiet aliquid.* Cic. Tusc. III. 18 fin. *si vero aliquid etiam* sc. fiet, s. profeceris. Huc quoque referenda formula frequens, *est aliquid*, vt Ovid. III. Ep. 131. *sensus delectet*, subaudi, lectorum. Heinsius Ep. XXI. ad Scheffer. pro *animis* capit, vt apud Virg. Ecl. III, 54. *sensibus haec imis reponas*; sed Burmannus pro omni facultate animi, qua per corporis ministerium et membra, vt aures (V. 6), oculos, cet. vel voluptatem, vel dolorem et similia sentimus; quo sensu Cic. de Or. III. 7. dixit: *delectare sensum.* Equidem τὸ sensus verterem. *Empfindung*; *um durch Abwechselung dem Leser eine angenehme Empfindung zu machen.* Nec male vertitur *Geschmack*; consistit enim gustus in sensu pulcri. Hinc Sattler. *um den Geschmack der Leser durch Abwechselung zu befriedigen.* Neque etiam displicet Gerike: *damit Abwechselung so Ohr als Herz vergnüge. Bonas in partes accipias.* Cic. ad Att. XI. 7. fin. *quod rogas, vt in bonam partem accipiam.* Compara L. III. F. VIII. 8.

Ita, si rependet illam breuitas gratiam:
Cuius verbosa ne sit commendatio,
Attende, cur negare cupidis debeas;
Modestis etiam offerre, quod non petierint.

Vs. 12. 13. Varietatem Lectionis v. in Exc. XIV. ad h. l.

Vs. 12. Ex interpretatione Burmanni sensus versus hic est: *ita*, ea lege, conditione benigne interpreteris, lector, *si breuitas* historiae narrandae *rependet*, compensabit, *illam gratiam*, nimirum quod tam beneuolus sis, vt ea, quae sum interpositurus, bonam in partem accipias. *rependet.* male sumit hoc verbum Praschius, pro *afferre gratiam*, et num eo, quo cepimus, sensu Latinum sit, dubitat. Sed Burmannus optime vindicat Latinitatem verbi. Vid. e. c. Ouid. Met. II. 693 sq. *neu gratia facto nulla rependatur. ita.* Vid. ad L. I. F. XXX. 11. Secundum hanc interpretationem hic versus verti potest: *unter der Bedingung, wenn ich diese Gefälligkeit durch Kürze im Erzählen erwiedere.* Gerike: *die Kürze selbst wird dir dafür Vergeltung seyn.* Paullo aliter hunc locum explicauit Lindnerus, V. C. de quo videndus Excurs. XIV. ad vs. 12. 13. fin.

Vs. 13-15. Quam ipsam breuitatem ne commendem verbosius, attende cet. Versus 14 et 15 ab hoc prologo non separandi, quod male fecerunt Neuelet. Vrsin. Büchner. Faber, Gronov. Schirach. Referendi, quod attinet ad sensum, ad fabulam sequentem. Vid. Ephem. Gotting. litter. ann. 1780. Zug. p. 44. Itaque τὸ *cupidis*, quod explicat cl. Tzschucke, immodestis, qui cupidius efflagitant, refer ad F. I. 2. 4. *modestis* vero ad vs. 4. 5. ejus fabulae. Aliter Lallemant. Optime Lindnerus, V. C. *Begehrlich*, cupidi; modesti, *Bloede. cur negare debeas*, intellige, quod petierint.

FABULA I.

JUVENCUS, LEO ET PRAEDATOR.

Super juuencum stabat dejectum Leo.
Praedator interuenit, partem postulans:

Vs. 1. Bentlej. more suo emendat, *juuencum, vt stabat,* quod rejicit Burm. ob soni insuauitatem et duritiam elisionis, *cum, vt.* Cuninghamus: *S. j. dum stat.*

Vs. 2. Heinsius: *Praedo interuenit postulans partem lupus,* quia supra L. I. 1. *Latro.* dictus lupus. Improbat Burmannus, cum de lupo hic agi nullum sit indicium.

Vs. 1. *Super juuencum stabat* dixit, vt Cic. Fin. II. 18. *adsidere super aspidem. Stare* superbi victoris esse, notat cl. Tschucke, praeeunte Scheffero. Ideo et tali habitu victores vulgo depinguntur. v. Barth. Adv. VIII. 13. et XVIII. 2. *dejectum.* Proprie hoc verbum vsurpant de victis et oppressis in venatione et bello. Laudant Interpretes Mart. I, 61. *non nisi dejecta pascitur ille fera*; Curt. VIII. 1. *ille, IV millibus ferarum dejectis, in eodem saltu epulatus est*; Nep. Thras. III. *Hoc dejecto Pausanias Atticis venit auxilio.* Adde Virg. A. XI. 580. *album dejecit olorem.*

Vs. 2. *Praedator.* Intelligit Burmannus venatorem. Ouid. enim Met. XII. 306. *Abas praedator aprorum. Praedari et praeda,* pro eo, quod venatione captum est; Virg. A. I, 214. vid. ad L. I. V. 11. „venator vero ille, pergit Burmannus, forte excitauerat juuencum; (nam de fero in siluis, vt supra I. 30. capiendum est), et fugientem secutus erat; vnde jure sibi partem videbatur poscere; juris autem color praetendebatur forte a venatore, quod ipse taurum hunc persecutus erat, et forte vulnerauerat; leo vero, in juuencum fugientem incidens, eum dejecerat.“ Sed neque hac, neque L. I. fab. 30. feras puto esse intelligendas; deinde verba, *nisi soleres per te sumere, et improbum rejecit,* melius respondere videntur latroni et direptori, quam venatori. Addit cl. Tzschucke: „*viator* mox me mouet, vt *latronem* explicem;“ sed Desbillonius: si Phaedrus voluisset,

Darem, inquit, nisi soleres per te sumere:
Et improbum rejecit. Forte innoxius
Viator est deductus in eundem locum,
Feroque viso retulit retro pedem.

---

vt venator hic intelligeretur, procul dubio *venatorem* dixisset, cum lex metrica vocem hanc perinde atque alteram sineret adhiberi. Buchnero praedator est, qui capturam ferarum exercet impermissam; *Walddieb. partem postulans.* Quaerunt interpretes, quo jure postulauerit partem juuenci. Sed ejusmodi quaestiones in praedatore videntur superfluae, in quo juris colorem non est, quod valde vrgeas. Hinc frustra Freinshemius, praedatorem *inuenti titulo* postulasse partem.

Vs. 3. *per te. Per* saepe est sine alterius ope. Cic. Brut. 25. *Q. Pompejus summos honores, homo per se cognitus, sine vlla commendatione majorum, est adeptus.* Hunc versum verte: *wenn du nicht gewohnt wärest, selber zu nehmen.* Plura dabit Tursellin. p. 862.

Vs. 4. *improbum*, praedatorem impudentem, audacem. Vid. ad L. I. XXII, 9. *rejecit.* Nota delectum verbi, quod non tam contemtum, quam impetum et minas indicat. Vide priorem Phaedri editionem P. I. p. 148. Praeclare Sattler. *Fort mit dir!* Laudant interpretes Ouid. Met. IX. 51. *petentem*; Ter. Phorm. IV, IV, 5. *nam si altera illa magis instabit, forsitan nos rejiciet.* Vid. etiam ad L. I. F. I, 9. *innoxius* active, qui nocet nemini, vt recte Scheffer. Huic opponitur praedator. Burmannus apte memorat locum Curtii L. III, XI. 4. *tela innoxia in humum cadebant.* Plin. H. N. VIII, 31. *innoxii morsus.*

Vs. 5. *deductus.* Peruenit. Eleganter de eo, qui non consulto in aliquid incidit. (Vs. 4.) *forte.* Cf. Scheffer. et Schirach in Clav. P. I. p. 92, it. L. III. F. XIII, 3.

Vs. 6. *Fero.* Vid. ad L. I. F. XII, 9. *retulit retro pedem. Tritt zurück!* De hoc pleonasmo, qui apud veteres poëtas non infrequens est, v. *Jani* A. P. p. 235. et quos laudat Rittershus. Schefferus putat, hunc Phaedri locum esse imitationem Virgilianam Aen. L. IX. v. 798. *retro vestigia Turnus refert.* At etiam Ouid. dixit, *turbatum viso retulit angue pedem*, teste Heinsio. Adde Gronouii Notas.

Cui placidus ille: Non est, quod timeas, ait.
Et, quae debetur pars tuae modestiae,
Audacter tolle. Tunc diuiso tergore,
Siluas petiuit, homini vt accessum daret.

Vs. 7. *quod.* MSS. Pith. et Rem. *quid*, sed Pithoeus correxit *quod.* Brotier. recepit lectionem librorum scriptorum.

Vs. 8. *Et quae.* Heinsio placet *en quae*, probantibus Meursio, Ouveringio, Freinshemio; Schefferus mallet *at quae*; Guyet. *est quae debetur.*

Vs. 9. *tergore.* Guyetus *corpore*, reprehensus a Cupero L. II. Obs. 20. Virgil. I. Aen. 210 sq. *Burmann.*

Vs. 7. *non est quod timeas. Fürchte nichts*; pro, non est quidquam, propter quod. Ellipticum genus, optimis scriptoribus familiare, de quo vid. Vorstius de Constr. 19. *Scheff.* Graeca imitatione οὐκ ἔστιν ὅπως. Mart. XII, 38. *non est quod timeas, Candide.* Ter. Andr. II. VI. 17. *est quod succenseat tibi.* Heaut. I. II. 1. *nihil est quod vereare. Clinia*, et IV. VI. 6. *nihil est, illic quod moremur diutius.* Pro variis rebus, de quibus agitur, subintelligi debent caussa, ratio, facultas, animus, casus, et similia. *Burmann.*

Vs. 8. Latinissimus versus, pro, tolle audacter, i. e. sine timore, (V. 7.) partem, quae debetur tuae modestiae, seu, qua dignus es ob modestiam. Dixit *tolle*, vt Cicero *tollere simulacra ex delubris* et Mart. VI. 30. 2. *sume, tolle, dono. modestiae tuae.* More Phaedri, pro, tibi modesto. De viatore omnia verba modestiam produnt, pulchre obseruante Burmanno. Viator erat *innoxius*; *deducitur*, non sponte, sed casu et ita via ferente, *in eumdem locum; refert pedem*, leone viso, reuerentia leonis. Viatorem *placide* alloquitur leo, et partem illi recedens relinquit. Contra improbus praedator, *partem postulans*, rejicitur vi quadam et minis, cf. Burm. Mirifice delectant contraria, juxta se posita.

Vs. 9. *diuiso tergore.* Diuisit juuencum. *Tergus* enim neque de pelle, neque de tergo, sed de toto juuenci corpore capiendum. Bene Sattler. *er zertheilte* (Gerike, *zerlegte*) *den Stier.*

Vs. 10. *vt accessum daret.* Quo liberius et sine metu accedere posset viator.

Exemplum egregium prorsus et laudabile;
Verum est auiditas diues, et pauper pudor.

Vs. 12. Bentlej. *verum hodie auiditas diues est, pauper pudor. Laudabile* post *egregium* frigere videtur Bothio, cui totum epimythium suspectum est. Hinc hos versus vncis inclusit. At confer *Supplenda* ad L. I. F. XXI. 1. 2, quae exstant ad calcem Vol. I.

Vs. 11. Hunc versum Sattlerus ita expressit: *Dies Beispiel ist zwar schön und Lobes werth.*

Vs. 12. *verum.* Sunt, qui vertant, *allein leider.* Claud. Faber: *cependant nous voyons tous les jours*; Albinus: mais *en ce tems. Est auiditas diues* cet. Sine dubio commune dictum, quod ad sua tempora retulit Phaedrus, vt saepe alibi. Idem dicunt illa Martialis V. 81. Bip. *Semper eris pauper, si pauper es Aemiliane, Duntur opes nulli nunc nisi diuitibus*, et idem, quod L. V. F. IV. 9. *qui rapuere diuitias, habent.* Burmann. Sensus: at hocce tempore auidi sunt diuites, verecundi et modesti pauperes. Vid. ad L. I. F. III. 16. Hujus sententiae veritatem confirmat locus Curtii L. IV. 1. vbi de Abdolonymo: *caussa ei paupertatis sicut plerisque probitas erat*, quem laudat Desbillonius. Adde interpretationem vernaculam Oertelii: *So edel und lobenswürdig diese Handlung des Löwen ist*: so *wahr ist es auch, dass Habsüchtige oft Alles, Bescheidene Nichts haben.*

FABULA II.

ANUS DILIGENS VIRUM MEDIAE AETATIS, ITEM PUELLA.

A feminis vtcumque spoliari viros,
Ament, amentur, nempe exemplis discimus.

Vs. 1. *vtcunque.* Suspicabatur Rittershus. Phaedrum scripsisse *vtrinque*, i. e. vtroque casu. *spoliari.* In Codd. MSS. inveniri *exspoliari*, testatur Gudius. At hujus lectionis, quod mirum videri possit, neque a Neveleto, neque a Rigaltio et Brotierio, qui Codicem Pith. denuo contulit, video factam esse mentionem. Placet tamen Burmanno *exspoliari*, cum hoc verbum meretrici aptius conueniat; ait enim esse, ita spoliare, vt nihil fere reliqui sit; et ita conuenire fini fabulae, quae funditus evulsos capillos narret.

Vs. 2. *exemplis discimus.* Bentlej. *exemplo hoc discimus*; qua lectione perit elegantia Phaedri. Vid. Not.

Vs. 1. *vtcunque*, quocunque modo, siue ament, siue amentur. Cic. Or. 17. *perfectus orator vtcunque se affectum videri volet.* Plaut. Bacch. IV. IV. 13. *vtcunque res sit.* Non inepte cl. Oertel vertit, *auf jeden Fall.* *spoliari.* Verbum solemne in hac re. Vid. Rigalt. et Gud. Has artes pulchre describit Martial. L. XI. 50. Adde Leonhard. ad h. l.

Vs. 2. *ament*, *amentur.* Notanda particulae *sive* — *sive* omissio, vt ap. Hor. L. II. I. Sat. 59. 60. *nempe.* singularis quaedam vis inest huic particulae, quam male jungunt nonnulli cum *amentur.* Ironiae, vel sarcasmi indicium esse, recte putat Burmannus, vt dicat Phaedrus, cum hoc sit quotidianum, viros a feminis exspoliari, nec quisquam, qui quotidie hoc accidere videt, ignorare debeat, quasi hoc non sufficeret, exemplis, i. e. fabulis hoc etiam discere debemus. Cum enim fabularum vsus sit, vt ea, quae vel ignorant homines, vel quae per praecepta deberent discere, quasi videant et tangant manu per exempla, vix opus esset hoc docere per

Aetatis mediae quemdam mulier non rudis
Tenebat, annos celans elegantia:

Vs. 3. 4. Vid. Excurs. XV. ad hos versus.

---

fabulas, quia vsus quotidianus satis superque monstrat. Quae interpretatio si admittatur, non opus est emendatione Bentleji. Vid. V. L. Schirachio interprete Clav. P. I. p. 238. *nempe*, consensum magis in eo, quod jam dictum est, declarat, hoc sensu: hoc sane certum est, quid enim? exemplis comperimus et vsu. Sic fere Scheffer. Cl. Tzschuck. explicat *vtique*, ita vt ironiae inseruiat. Non pauci hanc particulam prorsus neglexerunt. *exemplis*. Vid. ad Prol. II. 1.

Vs. 3. 4. *quemdam aetatis mediae*. Aetatem intelligit, mediam inter juvenilem et senilem. Laudant Burmann. et Scheffer. Ouid. XII. M. 464. *huic aetas inter juvenemque senemque*. Col. I. de R. R. de villico, *mediae sit aetatis*. Plaut. Aul. II. I. 37. *media est mulieris aetas*. *mulier non rudis*. Honesta meritricis circumscriptio, quae longo vsu artes meretricias probe callebat. Sic Helena apud Ouid. XVII. Ep. 141. *sum rudis ad Veneris furtum:* et ita II. Amor. IV. 18. *rudis* dicitur simplex puella. *Burm. tenebat*. In sua potestate habebat, vinculis amoris obstrictum sibi tenebat. Eleganter et proprie hoc verbum de amantibus et meretriciis amoribus vsurpari, docte et fuse ostendit Gudius. Notentur loca, Burmanno et Gudio laudata. Quinctil. Decl. CCCLVII. *cum videret nequissimae mulieris illecebris maritum teneri;* Catull. LXIV. 28. *tene Thetis tenuit pulcherrima Neptunine*. Virg. Ecl. I 32. *dum me Galatea tenebat*. Dubium esse non potest, vtrum τὸ *aetatis mediae* ad *quemdam* referendum sit, an ad *mulier*; (Satler. *ein schlaues Weib von mittlern Jahren*) cum vox *anus* (Vs. 10.) doceat, de viro esse intelligendum. *annos celans elegantia;* comtu et cura corporis, cultu atque ornatu exquisitiori celare studens senectutem, s. aetatem ingravescentem. Praeclare h. l. illustrauit Burmann. *Elegantes* nempe apud Romanos antiquitus dicebantur, qui nimis lecto amoenoque cultu victuque essent. Vid. Gell. N. A. L. XI. c. 2. Col. de R. R. VII. 2. *Tum etiam casei lactisque abundantia non solum agrestes saturat, sed etiam elegantium mensas jucundis et numerosis dapibus onerat*. Et ita hic *elegantia* pro cultu et ornatu exquisitiori ponitur. Hunc Phaedri locum

Animosque ejusdem pulchra juvenis ceperat.
Ambae, videri dum volunt illi pares,

Vs. 5. *animos.* Sic bene MS. Rem. et Editt. Vett. In Cod. Pith. est *animus.* Sanadon et Philipp. conjiciunt *animum. Schw.* Meursius post Vs. 4. asteriscos posuit, quasi lacuna esset et deesset aliquid, et idem suspicatur Faber. Sed licet viri docti ex orationis contextu ostenderint, recte omnia cohaerere; tamen Christoph. Hauptius, Rector Scholae Grimmens. in supplemento fabularum Phaedri, quod jussit inseri Misc. Lips. T. I. p. 258. talem versum neque necessarium, neque admodum elegantem interjecit, *A talibus fieri vt celeberrime solet;* quales versus centum locis inserere liceret, et cui similem etiam obtrudit hujus libri epilogo. *Burmann.*

Ouid. II. Art. 677. ita expressit, loquens de aetate provectis jam mulieribus: *illae munditiis annorum damna rependunt, Et faciunt cura, ne videantur anus.* *Annus* vero, vox, alibi de aetate (*Lebenszeit*) obvia, Prop. IV. V. 67. *rugis integer annus,* h. l. vt docet orationis contextus, capiendum pro senectute. Adducit Burm. locum Propertii III. XXIII. 11. *at te celatis aetas gravis vrgeat annis.* Adde quae notantur in Excurs. XV. ad h. l.

Vs. 5. *animosque.* Alias de pluribus dicitur; sed Burmannus probat, de vno etiam homine dici a scriptoribus. Ouid. II. Met. 39. *et hunc animis errorem detrahe nostris;* Trist. V. I. 23. *Quod superest animos ad publica carmina flexi.* Ita alibi; non igitur opus est, emendare *animum. pulchra juvenis.* Scheferus haec divisim accipit *pulchra et juvenis,* sed tunc addenda esset copula, vt multis exemplis vir doctus ostendit in Act. Lips. 1716. p. 455. ad Ouid. Ep. VII. 121. *Bella tument: bellis peregrina et femina tentor* vt et Ep. XIV. 55. *femina sum et virgo;* conjunctim ergo accipienda *pulchra juvenis.* Et Vossium etiam errasse, cum significatione, non structura commune esse crediderit (L. I. de Anal. c. 15.) ostendit Muncker. ad Hygin. F. CLXXXII. Sic Ouid. I. Art. 64. *Sive cupis juvenem, juvenes tibi mille patebunt.* Plin. VII. H. N. 26. *Cornelia enim juvenis est.* Claudian. Praef. L. II. in Eutrop. 23. *Amica, juvenis.* Burmann.

Vs. 6. *Videri volunt pares,* aetate, specie. Ouid. VII. Met. 514. *par aetate juventus* et III. ex Pont. II. 69. *Par fuit his*

Capillos homini legere coepere inuicem.
Cum se putaret fingi cura mulierum,

Vs. 8. *Cum.* Ursinus edidit *qui*, post Neveletum; Toll. conjicit *qui cum*, ita vt τὸ *se* subintelligatur. *Fingi.* MSS. Pith. Rem. et Edit. Vet. *pingi*, quod ortum esse videtur a prima littera praecedentis verbi *putaret*; sed jam olim Scioppius et Heinsius legi jubebant *fingi*; nec displicet Scheffero, etsi ediderit *pingi*. Monet enim Heinsius, hominem *pingi* non potuisse, nisi velimus, vnam mulierem illi canos pinxisse pro nigris capillis. Non pauci tamen, qui *pingi* legunt, vt Nevelet. Ursin. Rittersh. Faber. Rigalt. Gronov. Maittar. itidem explicant *ornari*; qua significatione per translationem passim legitur. Sic Plaut. Stich. II. III. 30. *pingere humum.* Plura dabunt Lexica. Brotierius quoque Desbillon. et cl. *Bothe* receperunt *pingi*, quod etiam tuetur Gruter. ad Martial. VII. 83. teste Hoogstratano. Plurimis tamen, vt Burmanno, Gud. Bentlej. Lallem. Bipontinis placuit *fingi*, quibus ego accedo; cum ex notis intelligi possit, de cura capillorum *fingere* dici, quod vsitatius esse videtur, quam *pingere*.

---

aetas et amor, quae loca debentur Burmanno.

Vs. 7. *homini*, i. e. ei. Sic L. II. V. 19. sic Cicero, Ter. alii saepe. Aliter Schefferus, cui cum commiseratione infortunii dici videtur, vt L. III. III. 13. Hoc sensu si quis capere velit, *homo* verti debet, *der arme Mann*. *legere*, evellere. Proprie et eleganter hic, quia seligebant vna canos, altera nigros (singulatim) evellendos, quomodo *flores legi* Virgilio dicuntur. Ovid. Art. II. 666. *albentes jam legit illa comas*, vbi vide Heinsium. *Scheff.* Exempla non pauca, quae hujus vocabuli vim probent, congessit Gronov. *fingi*, ornari sc. quoad capillos. Virg. Aen. IV. 148. *mollique fluentem fronde premit crinem fingens.* Ovid. A. A. I. 306. *quid fingis inepta comas?* Burmannus affert locum Tibull. I. II. 92. *Et manibus canas fingere velle comas.* Plura dabit Tollius in Not. ad Phaedr. vid. P. III. p. 155. Ed. Hal. *cura.* Haec vox proprie de cultu capillorum vsurpatur. Tibull. I. VIII. 45. *Tollere tunc cura est albos a stirpe capillos.* Vid. Gronovii L. I. Obs. 23. Broukhus. ad Prop. III. XII. 28. et Bentlej. ad Hor. I. Ep. I. 94.

Calvus repente factus est: nam funditus
Canos puella, nigros anus evellerat.

Vs. 9. 10. *funditus evellerat.* Prop. III. Eleg vlt. 33. *vellere tum cupies albos a stirpe capillos* Burmann. Ad hoc plumbeis vtebantur pectinibus, teste Freinshemio. Evellebant autem canos ornatus caussa, quod docet historia Juliae, evelli sibi canos curantis, cui supervenit Augustus, quam narrat Macrobius, teste Rittershusio. *canos — nigros.* De crinibus coloratis haec non sunt intelligenda, quod volunt nonnulli: id quod docet fabula graeca; quia vocatur ἀνὴρ μεσοπόλιος, semicanus; Ignatius vero F. 24. ἐρωμένας δύ' εἶχεν ἀνὴρ μιξότριξ. Neque obstat, quod mediae aetatis vir canos habeat; nonnulli enim mature habere solent.

Compara *Fontanii* L. I. F. XVII. *Aesop.* F. 165. apud Nevelet. F. 162. ap. Hauptmann. p. 122. *Ignatii*, vulgo *Gabriae* F. XXIV. ap. Nevelet. p. 367.

FABULA III.

HOMO ET CANIS. *)

Laceratus quidam morsu vehementis canis,
Tinctum cruore panem misit malefico,

*) In MS. Rem. Pith. et Edit. Vet. titulus hujus fabulae est: *Aesopus ad quemdam de successu improborum.* vid. Brotier. Sic edidit Ursinus post Neveletum.

Vs. 1. *vehementis.* Rittershus. Heinsius ad marginem, et Gronov. ad Senec. Consol. ad Marc. C. V. legi jubent *vehementi*, quod, notante Burmanno, defendi potest, quia poëtae saepe epitheta, personis aut animalibus propria, dant eorum armis, aut rebus, quibus vtuntur. Ita L. I. F. XXI. 12. *Saevis vnguibus.* L. I. F. XII. 11. *morsus saevi*; L. I. F. XXI. 7. *infestis cornibus.* Quia tamen aeque recte et proprie *vehemens* dicitur canis, praefert vulgatum. Vid. Not.

Vs. 2. *misit.* MSS. Pith. Rem. et Edit. Vet. *immisit*, forte ex littera praecedentis vocis *panem.* Lectionem Codd. retinent Rittershus. Ursin. Scheffer. Nevelet. Rigalt. Ed. 1. Walch. Bothe, alii, atque etiam Gud. defendi posse putat, vt sit compositum pro simplici. Sed viri docti, praeeuntibus Gudio et Gronovio, recte tuentur *misit*, quo Phaedrus in eadem re aliquoties vtitur. Vid. Not.

Vs. 1. 2. Sensus: Quidam morsu canis, ira concitati, vulneratus, frustum panis, cruore tinctum, bestiae, quae morsu laeserat, objecit. *Laceratus morsu.* Vid. L. I. F. XII. 11. *vehementis.* Vehemens est ira concitatus, seu *acer*, vt. L. III. F. VII, 18. Nam *vehemens* et *acer* saepe junguntur. Cic. pro Caecin. 10. *qui cum ita vehemens acerque venisset*; Idem II. de Orat. 43. *potest inflammari animus judicis acri et vehementi quadam incitatione*, qui locus Burmanno debetur. Apte quoque Schefferus memorat locum Horatii L. II. Ep. II. 28. sq. *post hoc vehemens lupus, et sibi et hosti iratus pariter, jejunis dentibus acer.* Plura suppeditabit Burmann. Rigaltius *vehementem* canem interpretatur rabiosum. Praeterea notandum, *ve-*

Audierat esse quod remedium vulneris.
Tunc sic Aesopus: Noli coram pluribus
Hoc facere canibus, ne nos vivos devorent,
Cum scierint, esse tale culpae praemium.
Successus improborum plures allicit.

Vs. 6. Bentlejus molliores numeros fore pronuntiat, si legatur, *cum tale scierint.* Sed docet Burmannus, nihil inde molle accedere numeris, cui longe mollius videtur, *cum scierint.* Solet enim saepissime versum a dactylo incipere Phaedrus, et bis in hac brevissima fabula, praeter hunc versum Bentlejum sequitur Cuninghamus.

---

hemens h. l. esse dissyllabum. *misit.* Vid. ad L. I. Fab. XXIII. 5. coll. L. III. F. II. 6. *malefico.* proprie de cane, qui malum fecit. L. II. F. VI. 2. *consiliator maleficus.* Varro III. R. R. 16. apem dixit *minime maleficam, quod nullius opus vellicans facit deterius.* v. Scheffer. Male quidam jungunt *cruore malefico.*

Vs. 3. *remedium,* superstitiosum scilicet.

Vs. 6. *tale.* Vid. L. III. F. IX. 6. *culpae,* dativus, si a verbo; genitivus, si a substantivo regitur, quae sola est caussa et ratio diversi casus tenenda, et prolixiores disputationes componit. *Tzschucke.*

Vs. 7. Graecus haec ita expressit: *ὀι πονηροὶ τῶν ἀνθρώπων ἐυεργετούμενοι μᾶλλον ἀδικεῖν παροξύνονται.* Sensus: improbi cum vident, quod maleficia sequantur praemia, plures alii ad mala alteri inferenda invitantur. Accommodate Burmannus laudat locum Livii L. XXII. C. 12. *quae pessima ars nimis prosperis successibus crevit.*

Compara *Aesopi* fabulam XXV. p. 109. apud Neveletum; Fab. XYV. in Edit. Hauptm. p. 21. *Lessingii* L. II. F. 20.

FABULA IV.

AQUILA, FELES, APER.

Aquila in sublimi quercu nidum fecerat:
Feles cavernam nacta in media pepererat:
Sus nemoricultrix fetum ad imam posuerat.

Vs. 1. *sublimi.* Bentlej. *suprema*; nam felem, quae in media quercu, in sublimi fuisse nihilo minus. Sed *sublimi* eodem sensu dici potest (Vid. Notas et exempla in Not. Burm.) et est magis poëticum. Cf. Ephem. Gotting. 1780. *Zug.* p. 45. *sublimi* etiam contra Bentlejum tuetur cl. *Bothe.* Cuningham. *suprema*, e conjectura.

Vs. 2. *nacta.* Cod. Pith. *nancta.* Ita Neveletus.

Vs. 3. *nemoricultrix.* Libri scripti et Edit. vet. Nevel. Rigalt. 2. *nemoris cultrix*, quos sequuntur alii; pro quo Rittershus. legendum proposuit *nemoricultrix*, quam conjecturam Faber, Gud. Prasch. Bentlej. Burmann. aliique permulti recte receperunt, Desbillonio tamen magis apposite dictum videtur *sus nemoris cultrix*, cum vnum nemus hic intelligi debeat; *nemoricultrix* vero cultricem nemorum innuat. Cui paret Brotier. Sed haec dicta puto subtilius, quam verius, nec sine probatione admittenda. Atque etiam Phaedrus eodem jure dicere potuit *nemoricultrix*, quo Catullus *aper*, *nemorivagus*, et *cerva silvicultrix.* Vid. Not. et Gesner. in Th. L. L. V. *nemoricultrix.* Walchius tamen et Leonhard. tuentur vulgatum *nemoris cultrix* e Virg. Aen. XI. 557. *nemorum cultrix Latonia virgo.*

Va. 1—3. *in sublimi quercu,* in cacumine quercus. Sic enim haec capienda esse, docent sequentia, *in media*, *ad imum*, i. e. imam aboris partem, *ganz unten.* L. III. F. XIII. 1. dixit *in alta quercu*, et L. I. F. XIII. 4. *celsa residens arbore.* Praeter alia Burmannus affert locum Virg. IX. Aen. 681. *consurgunt geminae quercus, intonsaque caelo Attollunt capita et sublimi vertice nutant.* *cavernam.* Vs. 17. *cavum*, vbi vide. *Sus*

Tum fortuitum feles contubernium
Fraude et scelesta sic euertit malitia:

Vs. 4. *fortuitum.* Faber *fortunatum*, indignante Burmanno, cum sensus sit: forte ita acciderat, vt contubernales essent tres diuersi generis bestiae; neque fortunatum fuisse, ex ipsa fabula apparet.

Vs. 5. *euertit.* Lallemant. et Brotier *avertit.*

---

nemoricultrix. Vox poëtica, quae alibi non reperitur, *Waldbewohnerin*; mox dixit *aprum insidiosum*; V. 9. sed V. 12. *setosam suem.* Nota variationem ejusdem rei. Est autem *nemoricultrix* more Graecorum composita vox, quibus ὀρικτίτης (a κτίζω), ὀρείοικος et ὀρειονόμος, de quibus vid. Vechneri Hellenolexiam, ab Heusingero editam, et Burmann. ad h. l. Est vt *pietaticultrix* apud Petron. C. 55. et *cerva silvicultrix*, et *aper nemorivagus* Catulli Ep. LXIII. 72. Ad quam analogiam Phaedrus forte formauit *nemoricultrix*, quemadmodum Prop. L. III. XI. 34. Bip. dixit *viros silvicolas*, teste Burmanno. Cf. Not. Rittershusii, Heinsii et Hoogstratani. *Fetum posuerat*, deposuerat, vt L. I. XIX. 4. coll. L. I. XVIII. 5. et L. I. II. 19. Merito autem offendit aures ter repetitus sonus in *fecerat*, *pepererat*, *posuerat*, vt jam olim notaui. Idem sensit cl. Tschucke, qui tamen sic vult excusari: nisi idem ter factum voluit sic declarare." Contrá delectat triplex variati ejusdem sententiae et rei, in *nidum fecerat*, *pepererat*, *fetum posuerat*, quam recte notat Tzschuckius.

Vs. 4. *fortuitum contubernium.* Contubernium est tabernaculi societas (*Zeltkameradschaft*), estque proprie militum. Deinde est cohabitatio extra militiam, vt hoc loco; vt sensus sit, forte ita acciderat, vt tres diuersi generis bestiae vna habitarent et quasi contubernales essent. Non inepte vertere possis: *diese durch Zufall entstandene Nachbarschaft.* Cl. Tzschucke, *vicinia sedis.* In *fortuitum* autem penultima reducenda, vt apud Hor. II. Od. XV. 17. Sic *gratuitus.* De quantitate hujus vocis et Rittershus. Heusinger. Burmann. Eamdem corripuere Stat. Theb. VII. 449. Manil. I. 482. teste Desbillonio.

Vs. 5. *scelesta malitia.* Epitheton *scelesta* abundare videtur Jortino in *Tracts philological and critical* Vol. II. p. 297. malitiae notionem tamen recte credi potest augere. *euertit.*

Ad nidum scandit volucris: Pernicies, ait,
Tibi paratur, forsan et miserae mihi.
Nam fodere terram quod vides quotidie,
Aprum insidiosum, quercum vult euertere,

Vs. 6. *scandit.* Heinsius *escendit*, e conjectura, de qua vid. Burmann. ad L. IV. F. XXI. 9. Cuninghamus edidit: *Ad volucris scandit nidum et pernicies ait.*

Vs. 8. *quotidie.* Bentlej. *cotidie.* Praeiverant Nevelet. et Ursinus. *quod.* Sic libri scripti Pith. Rem. et edit. vet. At Brotier edidit; *Nam fodere terram quem vides quotidie, Aper insidiosus q. v. e.* Sic quoque olim Lallemant. Sed poterat locus Terentii, Scheffero memoratus, Brotierium docere, invitis libris ita legere non esse opus: *Sane quod tibi nunc vir videatur esse hic, nebulo magnus est.*

Vs. 9. *aprum insidiosum.* Bentlejus distinguit post *aprum*, legens deinde: *insidiosus quercum vult euertere.* Sed judicante Burmanno, idem sensus exoritur, si non languidior. Cuninghamus suspicatur, Phaedrum scripsisse, *aprum insidiose* q. v. e.

Apte hoc verbo vtitur, quia sedes aquilae et apri, i. e. quercus peti dicuntur.

Vs. 6. *scandit.* vid. Vs. 1. *volucris*, aquilae.

Vs. 7. *pernicies tibi paratur.* Donat. ad Ter. Andr. IV. I. 52. et IV. II. 7. notat, *parari* et *apparari* cum dativo, perniciem et cladem significare, vt apud Virg. II. A. 132. *mihi sacra parari.* vid. ad Petron. c. XX. *Burmann. miserae.* infaustae, infelici, quomodo saepe vsurpatur ab optimis. Eleganter hoc addit per fictionem metus, et ad commouendam miserationem in aquila. *Scheffer.*

Vs. 8. *fodere*, sc. rostrò; *wühlen*, *umwühlen.* *quotidie.* Produxit secundam syllabam, vt L. III. F. VIII. 14. et L. III. Ep. 10. (al. IV. Ep. 10.) Quae exempla carpit Scioppius, secundam in *quotidie* male produci statuens, hanc ob caussam recte notatus a Fabro et Desbillonio. Nam eadem syllaba, apud Terentium et Publ. Syrum obuia, semper producitur. Cf. Fabri et Desbillonii Notae.

Vs. 9. *aprum insidiosum.* Sus eadem illa est, quam Phaedrus Vs. 3. *nemoricultricem*, et Vs. 12. *setosam* vocat. Aper videlicet aeque feminam potest ac marem significare. Epicoena autem vocantur ejusmodi

Vt nostram in plano facile progeniem opprimat.
Terrore offuso et perturbatis sensibus,
Derepit ad cubile setosae suis;

Vs. 11. *offuso.* MSS. Pith. Rem. veteresque Editiones, vt Rigalt. 2. Nevelet. multaeque aliae *effuso.* Sed jam Rittershus. et Meursius conjiciebant, legendum esse *offuso*, frustra repugnante Scioppio, qui volebat *effuso.* Rittershusii conjecturam deinde omnes fere Critici admiserunt. *Effundere* enim et *offundere* in Codd. MSS. saepe permutantur, id quod docet Burmannus in Not. ad h. l. laudans quoque Cuperi II. Obs. 6. Adde Not. Tollii ad h. l. in P. III. Phaedri; Drakenb. ad Sil. X. 366. et Gronov. Obs. IV. c. 21. coll. Gesneri Thes. L. L. h. v. Harius sine necessitate legit: *terrore offuso huic et p. s.* quod non sine caussa Burmannus rejecit, cum manifestum sit, haec respicere aquilam, et transitum sequenti demum versu fieri ad suem. Cuninghamus conjicit, *Terrore huic offuso.*

Vs. 12. *derepit.* Male tuentur Meursius et Schefferus *direpit*, i. e. inde repit ab aquila; quod receperunt Nevelet. Rigalt. Ed. 2. Danet. Desbillon. At Rittershus. Christoph. Colerus, quibus assentiunt Heins. Guyet. Gud. Burm. recte defendunt *derepit.* Sic *degredi*, pro descendere, est apud Sallust.

---

nomina. Eodem modo Virg. Aen. II. 356. lupos feminas vocat raptores Lupos. Perizon. ad Sanit. Minerv. L. I. C. 7. p. 68. *Desbillon.* Idem notauit Schefferus, laudans Plin. H. N. IX. 13. vbi de vitulo loquens, marino, *hic parit in terra*, et L. IX. C. 51. *mus marinus parit ova.* Aprum hunc *suem hispidum* vocat L. V. F. X. 4. De animalium genere epicoeno lege Burm. ad Val. Flacc. VI. 70. et 347. et Not. Hoogstrat. *euertere.* Proprie. *über den Haufen werfen*, *umstürzen.*

Vs. 11. *terrore offuso*, intellige aquilae, quae hoc versu manifesto respicitur. *Offundere terrorem* est, terrere; terroris vero magnitudinem indicant sequentia, *perturbatis sensibus*, quae verba idem exprimunt, quod oratione vernacula dicitur, *es vergieng ihm hören und sehen.* Liv. L. XXVIII. C. 29. *offusus terror oculis auribusque*, quem locum Scheffer. laudat. Idem Liv. L. X. c. 5. *incompositis subitum pavorem offundit.* Compara infra Vs. 16.

Vs. 12. *derepit.* Deorsum re-

Magno, inquit, in periclo sunt nati tui.
Nam simul exieris pastum cum tenero grege,
Aquila est parata, rapere porcellos tibi.
Hunc quoque timore postquam compleuit locum,
Dolosa tuto condidit sese cavo:

Liv. Tac. teste Rittershusio. In MS. Gud. i. e. Pith. erat *diripit.* Vid. Lambin ad Hor. L. I. Od. IX, 23.

Vs. 17. *tuto.* MS. Gud. *toto.* Ita Rigalt. Ed. 1. Ursin. et Hario, improbante Burmanno. Vix enim recte dici posse censet *toto cavo se condidit*, pro totum se condidit cavo: mox etiam sequitur *toto die.* Denique accommodate dixit *tuto*, cum felis sciens, nullum periculum instare, vt contubernalibus persuadere volebat, *tuto* cavo *se* conderet. Heinsius et Bentlej. *noto*, vt L. I. F. IX. 9. *exitus noti*; Nevelet. *tota.* At Rigalt. Ed. 2. edidit *tuto.*

---

pit. Plin. H. N. VIII. 36. *ingrediuntur et bipedes*; *arborem aversi derepunt*, teste Burmanno. *cubile.* Proprie; Gerike, *Lagerstatt.* Vid. ad L. I. F. XIX. 9. *setosae.* Epitheton ornans. Virg. Ecl. VII. 29. *setosi caput apri.*

Vs. 14. *simul*, simulac, vt L. III. X. 29. et III. XVI. 16. Sic Cicero II. ad Att. 20. *simul quid certi erit*, *scribam ad te.* cf. Tursell. p. m. 1241. Sic alii passim. Citat Burmann. Gronov. ad Liv. VI. 1. et Crenii Animaduers. philol. T. IX. p. 68.

Vs. 15. *porcellos.* Gerike: *Frischlinge.*

Vs. 16. *locum.* Cubile suis intelligit. Ita Cicero in Orat. *plangore et lamentatione complere forum* dixit. *Scheffer.*

Vs. 17. *tuto.* Tuta se condidit cavo. Nota poëticam rationem epitheti *tuto.* v. L. I. F. XXIX. 11. *cavo.* Vs. 2. dixit *caverna.* Sic, teste Burmanno, Gell. XV. 16. de Milone, *in cavernam arboris immissis digitis.* H. l. vim habet substantivi, vt L. IV. F. VI. 3. *artos cavos*, et L. III. F. XVI. 17. *egressa e cavo.* Dicunt *cavos* et *cava.* Liv. XXIV. 34. *per quae cava.* Plin. H. N. II. 97. *cava terrae.* Proprie cavum est locus cavatus; hoc loco cavus arboris vel cavus ramus debet intelligi, vt L. III. XVI. 17. cf. Burmann. *condidit.* vid. L. II. F. VIII. 4.

Inde evagata noctu suspenso pede,
Vbi esca se repleuit et prolem suam,
Pavorem simulans prospicit toto die.
Ruinam metuens aquila ramis desidet:
Aper rapinam vitans non prodit foras.
Quid multa? inedia sunt consumti cum suis,
Felique et catulis largam praebuerunt dapem.

Vs. 21. *ruinam.* Heinsius *ruinae.*

Vs. 23. 24. Bentlejus corrigit: *inedia sic consumti cum suis Feli atque catulis l. p. d.* Non sine caussa enim quaerit: cur catulis tantum ac non matri quoque? neutram tamen lectionem in textum recepit. At Burmannus, illepida particula *sic*, quam intrudit Bentlejus, repudiata, recte tuetur *sunt*, laudans L. III. F. III. 12. 13. Anglus Anonymus legendum esse monuit *felique et catulis*, invito Burmanno. Quae emendatio vero cum non paucis proba videatur, vt Desbillonio, Brotierio, Cu-

---

Vs. 18. *'suspenso.* Recte Schefferus, leni, tacito, ut ambulans non posset audiri. Nota delectum epitheti. Ter. Phorm. V. VI. 28. *suspenso gradu placide ire porrexi.* Santorec. citat locum Quinctil. Decl. I. *suspenso gradu ponere certa vestigia.* Plura dabit Rittersh. Adde obseruationem Tzschuckii V. D. „calliditatis et doli notatio, quam etiam adjuvant *noctu et prospicit toto die.*

Vs. 19. *ubi.* De vsu hujus particulae, pro postquam conf. Tursell. p. 1314.

Vs. 20. *psospicit*, velut et ipsa non auderet egredi, et obseruaret molitiones scrophae. *Scheffer.* Vid. ad L. I. XVII. 8.

Vs. 21. *ruinam*, casum arboris (Vs. 8—10.). *desidet*, otiosa sedet. Hoc sensu occurrit apud Sueton. Caes. 4. *vastante regiones proximas Mithridate, ne desidere — videretur, ab Rhodo — transiit in Asiam.* Vid. Torrentius ad h. l. quem Burm. laudat. Ter. Hec. V. III. 2. *frustra vbi totum desedi diem.* Innuit autem ignauiam ex pavore, notante jamjam *Scheffero.* Cf Graev. in Lect. Hesiod. c. 12.

Vs. 22. *vitans*, qui conabatur effugere. Vid. ad L. I. F. XXXI. 3. 4.

Vs. 23. *quid multa?* Vid. L. III. III. 12. formula, cum rem in pauca conferimus.

Vs. 24. *catulis.* Mire variat

Quantum homo bilinguis saepe concinnet mali,
Documentum habere stulta credulitas potest.

ninghamo, Bipontinis, aliis; non dubitaui eam praeferri lectioni Codd. MSS. *felisque catulis largam praebuerunt dapem*, quam recipit Burmannus. Non sine caussa enim Desbillonius; „non soli catuli, sed ipsa quoque feles praeda frui tam opima debuit.“ Objicit tamen Burmannus quaedam, non penitus contemnenda.

Vs. 26. Heinsius et Bentlejus conjiciunt, *documentum habere hoc*, (vel *hinc*). *stulta credulitas potest.* Cui lectioni Bentlejus non multum tribuisse videtur, cum non receperit. Cuninghamus legendum proponit: *Documentum hinc capere st. c. p.*

---

eamdem rem! *fetus* (Vs. 3.); *progenies* (vs. 10); *nati*, *tener grex* (Vs. 13. 14.); *porcelli* (Vs. 15.); *proles* (Vs. 19.); *catuli* (Vs. 24.). *dapem.* Vid. L. II. F. VI. 15. *praebuerunt.* Penultimam corripit, vt L. IV. F. V. 2.

Vs. 25. *bilinguis*, fallax, qui aliter loquitur, ac sentit, *Zweizüngler*; Gerike, *Doppelzüngler.* Suspicatur Schefferus, Phaedro praeivisse Virg. L. I. Aen. 665. *Tyriosque bilingues*, vbi Servius *bilingues* explicat, fallaces. Sic Plaut. Pers. II. IV. 28. jungit *bilinguis* et *scelestus.* Graeci δίγλοσσος; Hesych. διχόθυμος. *concinnet.* fingendo et commiscendo inferat (anstifte). Desbillon. Cum hoc verbum a cura crinium, qui in cinnos componuntur, aut aliis rebus, quae permixtione aliarum rerum adornantur, sit desumtum, hic malum multa arte et dolo paratum notat. Ita *concinnare vinum* Catonem dixisse, observat Plin. XIV. 20. quod est varie condire. Ita *spoliatum crinibus vultum concinnare.* Petronio C. CXIII. est, fictitiis comis ornare. *Concinnare ingenium.* Senec. Ep. VII. et *concinnare corpus.* Ep. XXX. *Burmann.* Festo auctore *concinnare* est, apte componere.

Vs. 26. *stulta credulitas.* More suo, pro, stulte creduli.

FABULA V.

CAESAR AD ATRIENSEM*).

Est ardelionum quaedam Romae natio,
Trepide concursans, occupata in otio,

Vs. 1. *ardelionum.* Cod. Pith. *ardalionum*, teste Neveleto. Etiam Salmas. notauit *ardulionum*, a veteri ἄρδαλος, ἀρδαλύων. Vid. Gud. Nonio auctore dicti sint ab *ardendo*, quod pro festinando vsurparunt veteres; de quo Schefferus consulendus.

---

*) E titulo hujus narrationis, qui est in MSS. Pith. et Rem. *item Caesar ad Atriensem*, Brotierio conjici posse videtur, aliud Tiberii Caesaris dictum, quod cum aliis hujus libri fabulis aetatem non tulerit, a Phaedro in praecedentibus fuisse narratum. Inter seruos domus Augustae memoratur Antiochus, Liuiae *Atriensis*, in *Bianchini* Camera ed Inscrizioni sepulchrali de' Liberti, servi ed Ufficiali della Casa di Augusto p. 41. quem laudat Brotier.

Vs. 1—6. Cum pulcra hac ardelionum descriptione compara, quae scribit Seneca de Tranq. An. c. 12. „circumcidenda est concursatio, qualis est magnae parti hominum, domos et theatra et fora perrantium. Alienis se negotiis offerunt, semper aliquid agentibus similes. Horum si aliquem, exeuntem domo, interrogaueris: quo tu? quid cogitas? respondebit tibi: non mehercule scio, sed aliquos videbo; aliquid agam. Sine proposito vagantur, quaerentes negotia; nec quae destinauerunt, agunt, sed in quae incurrunt cet.“ Cui loco adde Sidon. L. V. Ep. 20. Graecis dicuntur πολυπράγμονες. Martial. II. VII. 8. *Nil bene cum facias, facis attamen omnia belle: Vis dicam qui sis? magnus es ardelio. natio.* Pro genere hominum. Ita Cic. in Pis. 23. *officiosissima natio Candidatorum*; Id. pro Sext. C. 44. *natio optimatium* et alio loco *natio Epicureorum.* Desbillonius citat locum Juuenal. III. 100. *natio comoeda est.* Non raro in malam accipitur partem, etsi vox per se neque bonos, neque malos significet, sed pro adjectis nominibus: de quo lege

Gratis anhelans, multa agendo nihil agens,
Sibi molesta et aliis odiosissima:
Hanc emendare, si tamen possum, volo
Vera fabella: pretium est operae attendere.
Caesar Tiberius cum petens Neapolim
In Misenensem villam venisset suam

Vs. 8. *Misenensem.* Gudius testatur, in libris scriptis inueniri *Miseniensem.* Ita Gruterus p. 132. 6. *Mediolaniensem.* Cod. Pith. habet *Misniense*, auctore Neveleto, qui edidit *Misnensem.* In eodem tamen Codice Pith. legi *Misenensi*, testis est Heinsius, qui legendum proponit, *in Miseniensi ad* Burmannum.

Vs. 2. *trepide.* exquisite, pro, festinanter; *eilfertig*, propter negotiorum multitudinem. Vsum vocis *trepidus*, pro festinus, egregie illustrauit *Wakefield.* ad Lucret. III. 846. vbi praeter Virg. Aen. VIII. 4. 5. et loca alia, hunc quoque Phaedri locum laudat. Male Schefferus; cum dubitatione et incertitudine caussae et propositi. *concursans*, huc et illuc cursitans. Sattler. *rennt herum.* Si auctor Bell. Afr. LXXXI. *ipse pedibus circum milites concursans.* Pulchre haec interpretatur Seneca, loca supra cit. *gratis*, sine mercede, praemio, et sponte. Sattler. *keuchend um nichts.* Secunda syllaba producenda. Scheffer. et Hoogstratan. male explicant, frustra *anhelans.* Recte Schefferus: occupatum denotari qui ob discursiones crebras spiritum aegre, vel crebro et raptim ducit. Notanda elegantia et vis verbi. *Multa agendo nihil agens.* Oxymoron. Nihil agit, qui inutilia agit. Sattler. *im geschäftigen Müssiggang.* Compara L. IV. F. XXII. 4. *sibi molesta.* Laudat Desbillonius Sen. Ep. 98. *Istos satageos et sibi molestos describam tibi.* *si tamen.* Nota elegantem hujus particulae, correctioni seruientis, vsum; *wenn anders.* Plin. L. I. Ep. 2. *nisi tamen auribus nostris bibliopolae blandiuntur.* Col. II. 13. *si tamen vacet arboribus* (ager). Sic alibi. *Vera fabella.* Vide ad Prol. I. 7. Tales narrrationes veras his fabellis immiscuit plures. Vid. ad Prol. II. 9 — 11. Ceterum totus hic locus est ex ornatissimis Phaedri.

Vs. 8. *in Misenensem villam.* De hac villa consulendus Excurs. XVI. ad h. Vers.

Quae monte summo posita Luculli manu,
Prospectat Siculum, et despicit Tuscum mare;

villam venisset suam, laudans Plin. XVIII. 6. Quae scripturae varietas in eodem Codice saepius a nobis obseruata est. At *Miseniensem* videtur esse a manu prima.

Vs. 9. *Luculli.* MS. *Lucili*, Gud.

Vs. 10. Varietatem Lectionis suppeditabit Excurs. XVI. ad hunc versum.

Vs. 9. *monte summo*, in summo montis jugo, vt L. II. F. IV. 1. *in sublimi quercu.* Cf. Excurs. cit. Schefferus laudat Virg. L. IV. Aen. 168. *summo ulularunt vertice Nymphae. posita.* De iis qui aedificant. Affert Schefferus locum Varronis R. R. I. 12. *danda opera, vt potissimum sub radicibus montis syluestris villam ponas.* Sic domum, vrbem, templa, balnearia *ponere* dicunt veteres. Vid. Cerda ad Virg. VIII. Aen. 67. quem Burm. laudat.

Vs. 10. Mare Siculum est pars maris mediterranei, quae versus insulam Siciliam patet; mare Tuscum, seu inferum, quod Etruriae, Latii et Campaniae littora alluit. Non enim tam stricte mare Tuscum capiendum est, vt cum Burmanno, cui parent alii, mare Siculum a promontorio Miseno incepisse putem. Burmannus, obsecutus lectioni vulgatae, *prospectat Siculum et prospicit Tuscum mare*, ita positam fuisse villam putat, vt ex ipsa fronte prospectus esset simul in Tuscum a dextra, in Siculum a sinistra. Docet autem, *prospectare* et *prospicere* proprie esse, de longo et summo loco desuper inspicere, quae verba, vt et *spectare, adspectare* et alia his cognata frequentissime de situ montium, vrbium, aedium occurrere, fuse et docte probat. Sed inepta videtur Bentlejo lectio vulgata, cum *prospectat* et *prospicit* sensu non differant. Recte etiam displicere possunt haec duo verba in eodem versu. Cum igitur in libris scriptis sit *perspicit*, hoc mutat Bentlejus in *despicit*, vt significetur, villam, monte positam, Siculum mare e longinquo prospectare, Tuscum e propinquo *despicere*, siue desuper spectare. Cui quidem conjecturae fauent loca, a Bentlejo adducta, Virg. Aen. I. 420. Collem *qui plurimus vrbi Imminet aduersasque* adspectat desuper *arces.* Sil. XII. 487. *Qua moenibus instat* Collis *et e tumulis subjectam* despicit *vrbem.*

Ex alticinctis vnus Atriensibus,

Vs. 11. *alticinctis.* Sunt qui hanc vocem raram diuisim scribant *alte cinctis*, vt Salmasius, fauente etiam hic metro. Sic apud Senec. Ep. 92. extr. Gloss. Stephani ἀνεσταλμένος *alticinctus*; at vero Heins. ad hunc Phaedri locum conjicit *altecinctis*, quod placet Schirachio, l. c. P. I. p. 27. In MS. Gudii erat, *alti cinctus*. Vid. Ferrar. de re Vest. III. 7. et cl. Tzschucke ad h. l.

Despicit jam olim conjiciebat Guyetus, (qui et legi posse deputabat *praespicit*, i. e. prope se spectat, quod nulli placuit). Hanc etiam conjecturam probat Cuninghamus eamdemque reliquis praefert Censor eruditus in Ephem. Götting. ann. 1780. Zug. p. 45. Atque etiam nuper recepit cl. *Bothe*. Adde Schulzii Obseruatt. ad Phaedr. p. 63. et Drakenb. ad Sil. VI. 185. Alii alia tentarunt, de quibus v. Exc. XVI. ad vs. 10.

Vs. 11 — 13. *Ex alticinctis* cet. Atrienses, quod vel e loco Ciceronis Parad. V. 2. luculenter apparet, ad lautioris familiae partem pertinebant, quippe qui in atrio supellectilem curarent, et hospitibus clientibusque, in atrio dominos praestolantibus, picturas, statuas, et quae alia artis opera ibi exposita essent, docte diserteque commonstrarent. (Vid. Columell XII. 3. 9. et Petron. C. 29. p. 108. Burm. et qui diligenter haec enotauit *Pignorius* de Seruis p. 221. sq. ed. Patav.) Ex hoc ipso atriensium officio satis declarari posse arbitror, seruis junioribus, delicatulis, ad ministeria ejusmodi obeunda scite compositis et exornatis, has *atrii curandi* (sic in Inscriptt.) partes demandatas fuisse. Atque hoc ipsum innuit lepidissimus fabellarum scriptor vocabulo *alticinctus*, quod non tantum ad alacritatem et expeditam in officiis persequendis celeritatem, sed ad cultum etiam venustiorem delicatioremque spectasse, docte jam demonstrauit Oct. Ferrarius de Re Vestiaria, et probat locus insignis Senecae de Breuit. Vit. C. 12. vbi de ostentatione diuitum: „cum videam, quam sollicite argentum ordinent, quam diligenter exoletorum suorum *tunicas succingant*.“ Nullum enim dubium est, hunc tunicam altius cingendi ritum ad impuras inprimis libidines, quibus tota tunc temporis paedagogia et cirratorum puerorum greges inseruirent, excitandas irritandasque inprimis valuisse. Conferat, si quis dubitet, locum

Cui tunica ab humeris linteo Pelusio
Erat destricta, cirris dependentibus,

Vs. 13. *destricta.* Desbillonius post Gronouium *districta.*

---

disertum Petronii C. 21. p. 69. „Cinaedas superuenit, myrtea subornatus gausapilia, *cinguloque succinctus.*" Porro autem ex iis, quae adjicit Phaedrus, facile colligas, quomodo comparatus fuerit speciosus iste puerorum delicatiorum vestitus. Tunica fuit, tenuissima, *linteo Pelusio* confecta, siue gossypium intelligas (quod linteis, ὀθονίοις saepissime indicasse veteres, nunc satis constat, et probauit Forsterus de *bysso veterum*), siue linum, in tenuissima fila diductum. Nam ad tenuissima lintea, in quibus *minimum firmitatis, plurimum lucri*, diserte Pelusiacum refert Plinius XIX. S. 2. 3. Sic, cum vnica tantum tunica, eaque tenuissima indutus esset seruus, pellucebat corpus, cujus singula membra vt eo magis eminerent, *destricta* erat tunica, i. e. manibus, tunicam destringentibus, laeuigata (sermone vernaculo diceremus: *glattgestrichen*), vt nil sinuosum et in plicas corrugatum appareret. Saepe enim corrugatas fuisse plicis, scite compositis, ex monimentis veteribus satis constat. Adi, si lubet, figuram seruuli, dominae quam ad manus abluendas ministranti, in picturis Vasculorum Graecorum Tischbeinianis T. II. n. 58. (praefixam Libro II. Fabularum Phaedri.) Atque sic factum esse puto, vt toruli pectoris et teretes lumborum commissurae per tunicam, cingulo arctius constrictam, magis conspicerentur. Comparasse juuabit statuam Musei Pio - Clementini puellae, tunica ejusmodi succinctae, Tom. III. quam saltatricem in stadio decurrentem esse putat *Viscontius.* Tunica ejusmodi alte cincta vsque ad genua prominebat. In ora, seu limbo *dependebant cirri*, i. e. fimbriae, filamenta, ornatus caussa addita. Nam vt hodie fasciae, quibus mulierculae nostrae gaudent, ita texi solent, vt in ora nonnihil subteminis relinquatur, quod cirrorum assutorum instar oram extremam claudit; sic in textrinis Aegyptiis tuniculas istas ita textas esse existimo, vt fimbriae ex ora infima dependerent. Vidit hoc et cum Martialis et Ovidii linteis et mantelibus villosis pulchre comparauit doctissimus Fastorum interpres Neapolis ad IV. 933. Sed rem totam conficit locus

Perambulante laeta Domino viridia

Vs. 14. *laeta viridia.* Codices vt MS. Pith. et antiquae Editt. exhibent hunc versum vno pede longiorem: *Perambulante laeta domino viridiaria.* Hinc Heinsius reponit: *p. l. d. viridia.* *Viridia* pro viridariis Latine dici, pluribus exemplis adstrui potest. Sic Vitruv. L. VI. 6. Vid. Heinsii Ep. ad Scheff. 79. in Burm. Syll. Epp. T. V. p. 87. 59. Heinsium deinde secuti sunt alii, vt Vrsin. Freinshem. Buchner. Salmas. ad marginem, et ad Capitol. p. 268. Scheffer. Brotier. Bipont. *Viridia* etiam tuetur Burmann. doctissime contra Jac. Gronov. disputans, qui strenue defendebat *viridaria* in Emendatt. in Phaedr. p. 145. Jam olim autem Pithoeus emendauerat: *P. l. d. viridaria*, sed nec sic constat metri ratio. Vid. Brotier. At commodius et Phaedro dignius videbatur Desbillonio, si *do-*

Arriani in Periplo maris Erythraei, T. I. p. 14. Geogr. min. Huds. vbi de mercibus Aegyptiacis sermo est. Diserte ibi commemorantur λεντία (lintea) καὶ δικρόσσια. Κροσσοὶ enim, vt Salmasius pluribus docuit, commune omnium fimbriarum vocabulum, et δίκροσσον ad Aegyptiaca amicula refert Pollux VII. 73. Vocabantur ejusmodi tunicae χιτῶνες σίνδονες. Vide Hesych. s. v. σινδὼς. *Boettiger.* Alii hunc locum explicant aliter, de quo videndus Exc. XVI. ad vs. 11—13.

Vs. 14. *laeta viridia.* Viridia apud veteres ponuntur pro herbis, arboribus, plantis cet. (*Gartengewächse, grüne Kräuter*). At hic loca sunt, ad ambulandum idonea, virentibus herbis, floribus, plantis, arboribus atque arbustis consita.

Vs. 18. enim praecurrit *alium in xystum.* *Viridia et viridaria* dixere veteres (*grüne Gänge, Alleen*; Sattler. *Heckengänge*; Oertel. *grüne Lustgänge.*) Vid. Plin. V. Ep. 6. 40. Vitruv. V. 9. med. VI. 6. Senec. Ep. 86. post init. coll. Heinsii Ep. 73. ad Scheff. in Burm. Syll. Epp. T. V. p. 82. Viridaria interdum capienda pro hortis (*Lustgärten*), quales habebant in praediis et villis. Pandect. VII. I. 13. med. *praedium viridaria habens.* Hisce in viridariis alebant Romani speciosas volucres, teste Suet. Tib. 60. *militem praetorianum ob subreptum in viridario pauonem capite* puniuit. v. Brotier. Ista viridia, seu viridaria eleganter dicuntur *laeta*, vt *laetae segetes*, *laeti agri*, *flores.* Epitheton ornans.

Alveolo coepit ligneo conspergere
Humum aestuantem, come officium jactitans:

mino et *per* invicem transferret, ac *viridiaria*, quae vox latina non sit, mutaret in *viridaria* sic: *domino ambulante laeta per viridaria*, quae emendatio non videtur necessaria Censori docto in A. L. Z. 1786. V. 476. Faber, qui male delet *laeta*, quod vocabulum hic aptissimum est, legit *viridiaria*. Sic quoque legitur in Editt. Rigaltii; quo efficiuntur septem pedes in versu senario. Pro *laeta* substituit Gudius *alta*, sed *laeta* est elegantius et magis poëticum. Vid. Notas. Lege etiam a Burmanno notata.

Vs. 15. *conspergere*. Nevelet. Vrsin. *conspargere*; sic erat in MS. Gud.

Vs. 16. *come officium jactitans*. De hoc loco vexato vid. Excurs. XVI. ad h. v.

Vs. 15. 16. *alueolo*. De vario alueolorum in supellectile rustica vsu v. Cato de R. R. C. XI. XII. cl. Oertel. reddit *Gieskanne*; equidem nollem cum Scheffero appellare *Throg*. *conspergere humum aestuantem*. Conspergebatur humus *aestuans*, i. e. ex nimio calore solis, puluere concitato, ardens, vel ad mitigandum aestum, vel ad sedandum puluerem (V. 18.) Sic scribit Suetonius (Cal. 43.) Caligulam a propinquarum vrbium plebe exegisse, *verri sibi vias et conspergi propter puluerem*. Plaut. Stich. II. II. 30. *consperge ante aedes*. Justin. L. II. 1. de Aegypto, *quae etiam nunc torrenti solis calore exaestuet*. Haec excerpsi e Schefferi et Burmanni Notis. *come officium jactitans*. De ardelione officioso optime. Vult videri, obtrudit se. *Tzschucke*. Non sine veri specie Burmannus conjicit, spargendi munus non pertinuisse ad alticinctos atrienses, sed viliores seruos, quod pateat ex Cicer. Parad. V. C. 2. adeo hoc officium dici potuisse *come*, quod vltro, in spem gratiae, ad minus honestum ministerium se demiserit, in quo mirifice sibi placebat Atriensis. Equidem verterem: *er wufste sich mit dieser Artigkeit viel*; *er that sich auf diese Galanterie viel zu gute*. Eodem sensu Phaedrus verbum *jactare* vsurpauit L. I. F. XI. 1. XXII. 12. *Come officium* autem, teste Scheffero, dixerunt Manil. L. V. 635. *velocesque dabit sub tali tempore partus*, *Come per officium vigi-*

Sed deridetur. Inde notis flexibus
Praecurrit alium in xystum, sedans puluerem.

Vs. 18. *alium.* Meursius, quem sequitur Funccius *illum;* vt intelligat Tiberium. Sed *alium* est in Vet. Cod. quo vsus est Rigalt. Vide etiam notas.

---

lantia membra ferentes. Sic edidit Scaliger e Cod. Gemblac. alii legunt *omne officium*; v. Bentlej. Martial. L. I. Ep. 91. *Come sed officium circa te semper obibat.* Ita enim ibi legit Scaliger, probante Scriuerio, vbi tamen Bipontini habent *omne officium.* Justin. V. 2. *Alcibiades ad Tissaphernem profugit, cui se* officii comitate *et obsequendi gratia insinuauit,* quem locum Burmannus intelligit de comitate superioris erga inferiorem. Vides, de Latinitate τῦ *come officium* vix esse dubitandum. At cum τὸ *come* seruili officio non bene conueniat, ad singularia Phaedri referendum esse arbitror. Glossae veteres: *comis,* κόσμιος. Hinc Rigaltius et Hoogstratanus explicant *come officium,* officii elegantiam et munditiam. Tzschuckio *comis* est, benignus. Alii aliter. Non male Albinus: *faisant parade de ce beau service.*

Vs. 17. *notis flexibus.* Vid. L. I. IX 5. I. XI. 9. Sic alibi. *Flexus* non inepte vertunt *Seitenwege.* Schefferus explicat, compendia viarum.

Vs. 18. *alium in xystum.* Xystus est ambulatio subdialis ante porticum, consita arboribus, et floribus odoratis, plantis atque viridibus vestita, in quam atriensis praecurrit, *sedans*, i. e. sedaturus puluerem. Dicit autem *alium*, quia jam Tiberius vnum perambulauerat (Vs. 14.) sed ibi forte nondum Caesaris in se conuerterat oculos. *Plin.* Ep. II. 17. ante cryptoporticum *xystus violis odoratus.* Id. L. V. Ep. 6. *ante porticum* xystus *concisus in plurimas species, distinctusque buxo.* Atque etiam *Ernesti* in Clav. Cic. *xystum* interpretatur ambulationem sub dio, addens, esse ante porticum, ibique simul esse sedilia, signa et flores. Signa Gymnasii xystique Cicero memorat ad Att. I. 8. sedilia Academ. IV. 3. extr. flores atque viridia Plin. locis paulo ante cit. Aliter Graeci, qui Vitruuio auctore V. 11. porticum *xystum* dicunt, quod athletae per hiberna tempora in tectis stadiis exercentur. Latini contra eodem teste IV. 5. hypaethras ambulationes *xystos* appellant, quas Graeci

Agnoscit hominem Caesar, remque intelligit.

περιδρόμυς. Idem V. 9. *media vero spatia, quae erunt sub diuo inter porticus, adornanda viridibus videntur.* His placet subjungere interpretationem vernaculam loci Vitruv. L. V. C. 11. auctore cl. *Rodio*, quem vid. T. I. p. 270. „Neben den Xysten und den doppelten Säulengängen aber mache man offene Spatziergänge, welche die Griechen *paradromides*, wir Römer aber *Xysti* nennen, damit im Winter bei heiterm Wetter die Athleten aus den Xysten sich dahin begeben und darin üben können." Quibus addenda nota in *Vocabulario* ad h. l. „*Xystum* V. 11. ist *porticus stadiata*, bedecktes stadium, breiter Säulengang, wo sich die Athleten im Winter üben. Im Griechischen ist dies Wort sowohl Masculinum, als Neutrum. Nicht also im Lateinischen. In der verworrenen Stelle des Vitruv kann nicht der Buchstab, sondern blofs der Sinn entscheiden. *Xysti* V. 11. VI. 10. so viel als Paradromides, hypaethrae ambulationes. Oben offener Spatziergang. Vergl. Plin. II. ep. 17." Ceterum *Krubsacius*, architectus, qui in libello, edito Lips. 1760. descripsit et delineauit Plinii Laurentinum p. 54. sq. *xystum* Gallico vocabulo *Terrasse*, vernaculo vero, primum a Sturmio adhibito, *Gartenaltan* vocandum censet. Idem in descriptione Pliniani Tusculani edita 1763. p. 33 — 36. multis suam opinionem confirmauit. Quem sequitur Interpres Plinii E. A. *Schmid*, V. Cl. qui locum, supra memoratum, L. II. Ep. 17. reddit: *vor der Halle liegt eine von Violen duftende Terrasse.* Quae vox an commode ita verti possit, de eo peritiores judicent. De xystis videndus *Philander* ad Vitruv. L. V. C. 11. *Salmas.* ad Tertull. de Pall. p. 230. sq. Ed. Par. et quos laudat *Zeune* ad Xenoph. Oecon. C. XI. 15.

Vs. 19. *hominem.* Simpliciter capi potest, pro *illum*, vt L. II. F. II. 7. vbi vide, et L. IV. F. XXI. 24. eumdem nempe, quem jam viderat humum alueolo conspergentem. Scheffero haec vox contemtum indicare videtur, recte improbante Burmanno, qui laudat Manut. ad Cic. I. Verr. 26. et I. ad Fam. 2. Scheffero assentit cl. Tzschucke, notans: per contemtum; melius, quam *eum* Sattler. *Tiber bemerkt den Kerl.* Mea quidem sententia atriensis commiseratione potius, quam contemtu dignus erat. *remque intelligit*, i. e. ne-

Id vt putauit esse nescio quid boni:
Heus! inquit Dominus. Ille enimuero adsilit,

Vs. 20. *Id vt putauit*; *Id*, quod deest in MSS. Pith. et Rem. suppleuit Pithoeus. Rigalt. in Ed. 2. vs. 21. praeponit versui 20 legitque, *Et id.* Sed in editione postrema Vs. 20. 22. 24. satis temere omisit. Simili modo quoque Vs. 20. omissus a Praschio. Burmannus conjicit *inde*, i. e. ex vultu Caesaris et sermone cum comitibus, *vt putauit*. Heinsius, Ep. XIX. ad Scheffer. h. v. de Tiberio intelligens, legit: *Id vt putauit esse nescio quid doli*, i. e. vt putauit Tiberius, fieri callido consilio, vt libertatem consequeretur; quam ineptam sedulitatem commodo sensu *dolum* dici posse negat Burmannus. Desbillonius et Brotier. *is vt putauit*, e conjectura; nam *is* non magis in Codd. MSS. est, quam *id*, hoc sensu: vbi atriensis persuasum habere visus est, nuntiari sibi aliquid boni. *Id* enim Desbillonio sensum auctoris perturbare videtur, quod ego non video. Nam sensum commodum habet haec vocula. Vid. Not. et in verbo *putauit* facile *is*, vel *homo*, vel *atriensis* potest subintelligi. Cum etiam *id vt* receptum sit, non audeo quidquam mutare. Bipontini: *remque intelligit ita*, *vt putauit is esse nescio quid boni.*

---

gotiosam, sed inanem operam venditantis in spem magnae mercedis. *Gronov.*

Vs. 20. *id vt putauit.* Referendum ad *agnoscit hominem* et *rem intelligit* (V. 19.) Intellexit autem atriensis e vultu Tiberii, et sermone cum comitibus, aut quoque denique modo, Caesarem se agnouisse, et spem inde muneris conceperat. confer Burmann. Compellauit eum praeterea Caesar. Verte: *Der Mensch dachte Wunder*, *was das gutes zu bedeuten hätte.*

Vs. 21. *Dominus.* Vid. Exc. XVI. ad vs. 14. 21. 23. *enimuero.* Vis hujus particulae notanda. Alias vehementius affirmat, aut negat. Plaut. Amph. II. II. 126. sq. *Tun' te abiisse hodie hinc negas? nego enimuero*, quo loco enimuero est, *freylich*, *ganz gewiſs*. Sed h. l. celeritatem et festinationem adjuuare videtur, bene obseruante cl. Tzschuckio. Praeclare igitur Lallemant. vertit: *l'autre ne fit qu'un saut.* Sattler. *sogleich sprang er herbey*. Tzsch. *nun dann*, nescio, an satis bene.

Donationis alacer certae gaudio.
Tum sic jocata est tanti majestas Ducis:

Vs. 22. *alacer certae.* Sic habent omnes Codd. MSS. et Editt. at Gudius legi jubet: *donationis, alapae certe gaudio,* i. e. sperans se, si non pecuniam, certe, i. e. ad minimum, manumissionem consecuturum. Sed recte Harius vidit, hoc absonum esse: majus enim beneficium erat manumissio donatione: quare debuisset inuerso ordine dixisse, *alapae, donationis certe gaudio*; sed tunc perit acuta emendandi ratio, ex repetitione syllabae *cer* in vocibus junctis *alacer certae. Burmann.* qui doctissime probat contra Gudium, concursum syllabarum, quas littera canina quasi efferare videtur, non valere ad mutandum hunc versum. Gudii emendationem, quam etiam Hoogstratan. approbat, recte rejicit Desbillonius, Praef. Disp. III. p. XXXI. eodem vsus argumento, quo Burmannus. Cuninghamus conjicit *alacris.* Hunc versum Rigalt. Fab. Prasch. alii perperam omiserunt, id quod merito queritur Burmannus.

Vs. 23. *jocata est.* Sic optime MSS. Pith. et Rem. Male emendauit Pithoeus *locuta est.* Ita Nevelet. et probat Gudius. Sed Rigaltius recte reposuit *jocata est.* v. Brotier. *tanti.* MSS. Pith. Rem. et Edit. Vet. *tanta.* Sed viri docti praeferunt *tanti,* quia *jocata* praecedit et rectius *majestas* interponitur τοῖς *tanti Ducis.* Vid. Burm. Displicet tamen Brotierio. Etiam Desbillonius recepit *tanta.*

Vs. 22. *alacer gaudio.* Sollemnis et familiaris locutio. Curt. X. 5. *ad exspoliandum corpus, qui vulnerauerat, alacer gaudio accurrit:* et aequalis Phaedro Val. Max. VIII. XIV. 5. *alacer gaudio abiit*; et *alacrem* et *laetum* conjungit Cic. Verr. I. 6. ita vt credam, vix hic aliquid mutandum. *Burmann.* qui et alios laudat. Cf. V. L. *donationis gaudio.* Eodem modo dixit *gaudium donationis,* quo Florus L. III. C. II. *victoriae gaudium,* i. e. gaudium victoriae caussa.

Vs. 23. *jocata est.* Jocus consistit in ambiguitate vocum *alapa.* et *venire,* (Vs. 25.) quae salem habet. Vid. Scheffer. et Schirach. Clav. P. I. p. 13. Aliter Grunerus, sed perperam. Harius quaerit jocum in figura, quae dicitur παρὰ προσδοκίαν, cum ex prioribus verbis speratur, aliquid secuturum, sed posteriora contrarium significant. Ergo legit, *Tu multum*

Non multum egisti, et opera nequidquam perît;

Vs. 24. Rigalt. et Faber h. v. omittunt. Quibus assentit Kohl. Comment. crit. p. 122. scribens: multo concinnius atque argutius sine penultimo hoc versu clauditur. Equidem Kohlium recte statuere putauerim; etsi versum abjicere non audeam. *Non multum.* Neveletus: *nec multum.* *nequidquam.* In MS. Pith. est *nequiquam.* Sic legi volunt Sciopp. Gud. Giphan. in Ind. Lucret. *perît.* Al. *periit*, quod vt dissyllabum legendum.

---

egisti, *et opera* — sperabat, vel exspectabat, Tiberium dicturum, *et opera gratissima est*, cum ille praeter spem adjiciat, *nequicquam perit.* Quod merito rejicit Burmannus. *majestas Ducis*, pro ipso Duce. Romanorum Imperatores *Duces* esse vocatos, vidimus in Exc. XVI. ad vs. 14. 21. 23. Dixit autem Phaedrus more suo *majestatem Ducis*, vt dixit *gemuit corui stupor* et permulta alia. Prope accedere videtur illud Hor. L. II. Ep. I. 258. *Sed neque paruum carmen majestas recipit tua*, et locus Tibulli, Burmanno laudatus, I. II. 11. *Et mala si qua tibi dixit dementia nostra.* Quibus adde locum Hor. quem idem adducit Burmannus IV. Od. X. 2. *insperata pluma venit tuae superbiae*; maxime quae notamus ad L. I. F. III. 16. Ita Graeci. Eurip. Hec. vs. 293. τὸ δ' ἀξίωμα, κἂν κακῶς λέγῃ, τὸ σὸν πείσει. vbi vir doctus Misc. Obs. T. II. p. 52. male emendat λέγῃς, adstipulantibus Musgrauio et Brunkio λέγῃς etiam legit cl. *Porsonus*: recte propter ea notatus a Wakefieldio, in Diatr. ad Eurip. Hec. vs. 293. probante censore docto in A. L. Z. ann. 1800. Partic. 92. Vulgata enim lectio λέγῃ est exquisitior et rationi poëticae accommodatior. Cf. etiam *Ammon.* V. D. ad Euripid. l. c. Labente quidem in humilitatem et adulationem saeculo, formulae, quae tituli locum obtinent, *mea paruitas* Valerio Maximo, *mea mediocritas* Vellejo, *nostra infirmitas* Quintiliano et aliis frequenter vsitari coeptae sunt: ita quoque *tua clementia*, *excellentia*, *majestas* coepit postea frequentari, vt erudite monstrat Burmannus, laudans Barthii Adv. L. XXIII. 9. et viros doctos ad Val. Max. Praef. Sed vix credibile, jam tempore Phaedri talem formam inueni coeptam esse. Bene etiam monet Walchius, formulam loquendi, *majestas tanti ducis jocata est*, esse Latinam,

Multo majoris alapae mecum veneunt.

Vs. 25. In Codice Pithoei legitur: *Multo majores alapae mecum venerunt.* v. Gud. Atque etiam Raderus ad Martial. II. 6. legit *majores*, teste Burmanno. Rigaltius quoque *majoris* archaïsmum putat esse, pro, *majores. mecum.* Heumannus N. B. P. XXVII. p. 609. conjicit: *multo majoris alapae herorum veneunt*; cum *mecum* non satis recte explicari possit *apud me.* Hoc sensu enim potius dixisset *alapae meae.* Sed v. Not. Heinsius legebat, *mi cum veneant*; *mi* pro *mihi* ipse habet Phaedrus L. III. F. XVIII. 9. *venire* cum tertio casu vsurpauit Cato de R. R. C. 144. *aut cui olea venierit*; sed tamen Codici suo adscripsit, posse retineri *mecum.* Vid. Ej. Ep. 98. ad Scheffer. in Syll. Epp. T. V. p. 104. coll. Ep. XXI. p. 33.

---

nec cum illis, *mansuetudo tua, sanctitas tua* posse comparari; etsi ad rariores pertineat (in poësi tamen vsitatiores, quam in prosa). Albinus, Gallicus interpres, reddidit, *cette haute majesté*; eam ob caussam notatus a Burmanno; cum Phaedro ea non fuerit mens. Sattler. *dann hat des Kaisers Majestät in Scherz gesagt.* Equidem verterem: *da sagte der erhabene Kayser scherzend.*

Vs. 24. 25. Burmannus ita hos versus interpretatur: Tu, qui videris multum egisse, (vt ardeliones in initio fabulae dicuntur *multa agendo nihil agere*) reuera nihil egisti, et opera illa, conspergendae humo insumpta, quam tu pro alio subis, nec pro officio debes, perdita tibi est; sperasti, me liberalitate aliqua, aut forte manumissione donaturum te, sed non tam vili pro opera vendere libertates soleo, seu vt expressit Desbillonius, manumissio apud me majoris, s. majori pretio venditur. *opera nequidquam perit*, frustra adhibita est, irrita est. Cic. etsi alio sensu, Ep. ad Brut. 16. ante med. *nequicquam perierit ille. majoris* est genitiuus, omisso substantiuo *pretii. Minoris venire* dixit Val. Max. III. VII. 10. teste Burmann. Cic. L. III. Off. C. 12. *vendo meum non pluris, quam ceteri, fortasse etiam minoris. alapae.* Sollemnis seruos manumittendi modus erat manumissio per vindictam. Dominus, qui per vindictam seruum suum a seruitute liberari volebat, seruo, antea in gyrum acto, alapam infligebat. Ad hanc manumissionis sollemnitatem respicit poëta. Isidor. Orig. IX. 4. *apud veteres, quando manumittebant, alapa percussos circum-*

agebant et liberos confirmabant. Vid. Rader. ad Martial. II. 6. Sigon. de Judiciis L. I. C. 13. cl. *Schmid* de Jurisprudent. Phaedr. p. 5. Burm. ad Petron. C. 38. et quae notat Desbillonius in Addend. p. L. Ceterum non erat, quod hinc, ceu actione indigna tanto principe, argumentum, inter plura alia, duceret *Christius*, ad Phaedri fabulas vltimae interpolationis insimulandas. Vid. *d'Orville* ad L. II. C. III. Charit. p. 37. Edit. alter. *mecum.* Non pauca exempla interpretes et ipse Burmannus afferunt, quibus locutionis *mecum veneunt* insolentia defendatur. Vid. Scheff. Heinsii et Burmanni Notae; quae vero non ita plene satisfaciunt Burmanno, vt probent, recte dici, *rem venire mecum*, pro, a me vendi. Quare inter singularia Phaedri habet. Sed Desbillonius eodem sensu *mecum* vsurpari contendit a Virg. L. IV. Aen. 115. *mecum erit iste labor*, i. e. ex Heynii Viri summi interpretatione, apud me erit, mihi incumbet; qui laudat Silium VIII. 330. *mecum erit haec prorsus pietas.* Gronovius in suis ad Schefferum litteris τὸ *mecum* explicat domi meae, vt idem sit, ac si dixisset Tiberius: in domo mea manumissio majore pretio venditur, s. in domo mea frustra speratur libertas pro tam leui opella. Non male. Praeter alia autem Gronov. affert locum Cic. L. V. Ep. 8. ad Att. *ne illum malus emptor alienus mancipiis, quae permulta secum habet, spoliaret*, h. e. quae Romae sunt, domi ejus absentis, cum ipse in exsilio viueret Massiliae. Cui loco adde Cic. Att. XV. 3. extr. *Brutum* apud me *fuisse gaudeo*, i. e. in domo mea, sc. me absente. *veneunt.* Solebant cum seruis frugi pacisci domini, quanta pecunia redimerent libertatem. Id illi comparcentes de demenso et peculio negotiantes, cum soluissent, manumittebantur. Plaut. Poen. III. 1. 16. *cum argentum pro capite dedimus, nostrum dedimus, non tuum. Liberos nos esse oportet.* Et contra ab Sueton. Vesp. 16. *gratuita* libertas dicitur, quae sine ejusmodi pacto datur. *Gronov.* Ter. Phorm. I. I. 10. *de demenso suo, suum defraudans genium, compersit miser*, ad quem loc. v. Bipontin. Ceteroquin tota haec Tiberii oratio displicet cl. *Jacobs*, in Obseruatt. ad Phaedri fabulas, qui ejusmodi veris fabellis in hoc fabularum *Aesopiarum* opusculo non magnopere delectatur: quas nos censet debere vagae Phaedri opinioni, in numero fabularum Aesopiarum haberi posse, quicquid risum conciet, et ad praecepta virtutis ac morum possit referri. Atque etiam Bentlejo displicet ista Ti-

berii oratio, quam de manumissione intelligi posse negat, exclamans ad vs. 25. „Vestram fidem! quomodo sodes *jocatus est* Tiberius, si *tam triste et aridum responsum* dederit." Ad quae Censor eruditus (in A. L. Z. Hall. 1805. N. 258. p. 644.) non sine ratione obseruat haec: „Wäre die Antwort wirklich so beschaffen, so wäre sie ja im Charakter des Tiberius. Aber etwas dürres, trockenes erkennen wir doch nicht in der humoristischen Antwort nach der gewöhnlichen Deutung: den Backenstreich verdient man nicht so leicht bey mir. Tiberius war ein engherziger Mensch, der nicht gern schenkte, freyliefs, oder andere Wohlthaten erzeigte. S. z. B. Suet. Tib. 47. Weniger im Charakter des Tiberius, obgleich scharfsinnig genug, scheint uns Bentleys Erklärung: „nondum eum ob stultam et ingratam diligentiam colaphos meruisse: majoris eos apud se venire, non nisi ob grauiora delicta solitum irasci."

FABULA VI.

AQUILA, CORNIX ET TESTUDO.

Contra potentes nemo est munitus satis;
Si vero accessit consiliator maleficus,
Vis et nequitia quidquid oppugnant, ruit.

Vs. 1 — 3. Tres priores hujus fabulae versus in Codice Perotti desunt: *munitus.* Gudius testatur, in Cod. Pith. esse, *tutus est.* Romulus Divion. et Vlm. *munitus* et *tutus* simul exhibent, *qui tutus et munitus est*, *malo consiliatore euerti* (subuerti) *potest.* Simili modo apud Romul. Nil. haec fabula inscripta est: *docet subsequens fabula*, *quod multum muniti et ex omni parte tuti viri malis consiliatoribus subuerti possunt.* Ex quo fit verisimile, *tutus* esse a glossatore, qui arripuit e vs. 16. hujus fabulae. Quod confirmatur verbis Romul. Div. apud quem in fine fabulae legitur, *et quam natura munierat, iniquo consilio periit.* Lectio, *nemo tutus est satis*, Bentlejo ae-

---

Vs. 1 — 3. *Contra potentes.* Vid. ad L. I. F. XXX. 1. Eodem modo dixit Sallust. Jug. C. 33. *C. Baebium — magna mercede parat, cujus impudentia jus et injurias omnis munitus foret*, teste Burmanno, qui etiam laudat Senec. Ep. VIII. *domus sit munimentum aduersus infesta corpori. consiliator.* De hac voce, quam Vossius adnumerat vocibus barbaris, sed qua praeter Phaedrum vsi sunt Plin. L. IV. Ep. 17. et Apulej. L. I. Met. vid. Cellarii Cur. Post p. 57. qui ad Latinitatem restitutam referre videtur; coll. Walch. de Stylo Phaedri p. 67. *maleficus.* Vid. ad L. II. F. III. 2. *Vis et nequitia.* Tò *vis* refer ad potentes. Vs. 1. *nequitia*, i. e. astutia, calliditas, ad *consiliator maleficus.* Vs. 2. Sic pulchre cohaerent omnia, et frustra Meursius statuebat, hic vnum versum excidisse. Vid. Freinshem. et Scheffer. *ruit.* Scioppius citra necessitatem Vs. 3. ita interpungit: *vis et nequitia, quicquid oppugnant, ruit*, vt *ruere* actiue sit, affligere. Sed *ruit* h. l. est, concidit. Optime igitur cl. Sattler: *so stürzt, bestürmt von Macht und Bosheit, alles hin.*

Aquila in sublime sustulit Testudinem:
Quae cum abdidisset corneâ corpus domo,

que bona, Hario vero melior videtur; sed Burmannus non censet mouendam lectionem vulgatam, quam sequuntur Editiones plurimae; e recentioribus quoque Brotier. Desbillôn. Bipontini. Nam si *tutus* scripsisset Phaedrus, vix, putat vir doctus, librariis potuisse in mentem venire, vocem elegantiorem, et metaphorico suo vsu vulgo minus notam, vt eam supponerent, cum glossatorum mos sollemnis fuerit, translatas voces per magis simplices et apertas exponere. Deinde testudo cortice sua, vt moenibus aut scuto munita recte dicitur, cum natura etiam animalibus imbellibus sua arma et munimenta contra eos, qui nocere illis sustinent, dederit. Vide Burmann. qui de vsu verbi *munire* in tali re et similibus exponit vberius. Defendit tamen Jac. Gronovius in Emendatt. in Phaedr. alteram lectionem *tutus*, quod non ideo improbem, quia in locis, quos producit, nullus est, vbi *tutus contra aliquem* dicatur; cum et Celsus dixerit L. V. C. 23. de Mithridate, *aduersus venenorum pericula tutum corpus suum reddidit*; etsi probe sciam, frequentius dici *tutus ab*, vel *ad*, vt Phaedrus L. I. F. XXXI. *tutus ab injuria*; sed placet *munitus*, quia est elegantius, et quia Phaedrus respectu testudinis rectius V. 1. *munitus* et v. 16. *tutus* dixisse putandus est. *ruit.* Ouvering. *ruunt.*

Vs. 4. *sustulit.* Vid. ad L. I. F. XXVIII. 3.

Vs. 5. *abdidisset.* Apte laudat Gronov. Liv. L. XXXVI. 32. *testudinem, vbi collecta in suum tegumen est, tutam ad omnes ictus video esse*, quod Romulus Divion. ita expressit: *testudo se intra se collegit.* Sic *abdere equum domo* dixit Virg. Georg. L. III. 96. *cornea domo.* Elegantissime dicit testam *domum*, quia testudo testa vtitur, vt domo. Eodem modo Cic. de Div. L. II. C. 64. cochleam dixit *domiportam*; *corneam* vocat, cum quia cornu similis est, tum propter duritiem; V. 12. appellat *duram corticem.* Cic. de N. D. I. C. 36. de auibus *corneum rostrum.* Vid. Scheffer. *Ora cornea* rostra vocat auium Ovid. Met. VIII. 545. *cornea vngula* Lucan. VI. 83. *Corneum* pro duro poni, probauit Burm. ad Petron. C. XLIII. quem lege ad h. l. Sattler. *Schaalenhaus.*

Nec vllo pacto laedi posset condita;
Venit per auras Cornix, et propter volans:
Opimam sane praedam rapuisti vnguibus,
Sed, nisi monstraro, quid sit faciendum tibi,
Graui nequidquam te lassabit pondere.

Vs. 6. Alii transponunt vôces *pacto nec vllo*, vt secundum locum jambus teneat, et concinnitatis caussa. Sic Bentlej. et Cuningham. Sed complures in Phaedro versus essent immutandi, si haec esset mutandi ratio, recte obseruante Burmanno. Habet etiam Romulus Divion. *nec vllo pacto tangi potuit.*

Vs. 7. *propter volans.* Romul. Divion. *contra volat cornix.* Rom. Nil. *contra aduolans.*

Vs. 8. *opimam.* Male Romulus Divion. Vlm. et Romulus Nilantii *optimam*, more librariorum, qui voces rariores in vulgatas saepius mutare solent. v. Burm. Codex Perotti habet: *opimam, inquit, praedam.* Sed *sane* retinendum est, cum quia τὸ *inquit*, saepe omittit Phaedrus, tum quod auget orationem cornicis. *Opimam sane* etiam legitur in aliis libris scriptis.

Vs. 10. *lassabit.* Sic recte e MSS. Gudii, i. e. Pith. reponendum judicat Jac. Gronov. vt ipsa testudo lassaret ferentem aquilam. In Editt. Neveleti, Vrsin. Richt. Rigalt. Gronov.

Vs. 6. *pacto.* Eodem modo hujus vocis ablatiuus pro *modo* ponitur L. IV. F. V. 15. L. V. F. IX. 3.

Vs. 7. *per auras.* Poëtice dictum. Ita saepissime poëtae *in auras, sub auras, ad auras.* Cf. Burm. ad Ovid. III. Met. 296. XI. 184. XIV. 824. *propter*, juxta, est h. l. aduerbium, vt apud Cic. pro Rosc. Am. 23. *duo filii propter cubantes*, et Ter. in Adelph. IV. II. 37. *ibi angiportum propter est*, i. e. in propinquo, prope est. Vid. de hac particula Perizon. ad Sanctii Minerv. p. 159. *Venit — et propter volans.* Neutiquam videri potest tautologum, quod vult Burmannus, si ita intelligas, cornicem procul visam fuisse, per auras volantem, seu venientem, paullo post autem propius accessisse et juxta volasse.

Vs. 8. *rapuisti.* Vid. ad L. I. IX. 6. et XIII. 11.

Vs. 10. *nequidquam.* Vid. ad L. II. F. V. 24. *te lassabit* sc. testudo.

Promissâ parte, suadet, vt scopulum super
Altis ab astris duram illidat corticem,
Quâ comminutâ facile vescatur cibo.

Rittershus. Scheff. Freinshem. Bentlej. Didot. est *lassabis*, quod licet potest defendi, et se lassare, fatigare sine reprehensione dici, ostendit Burmannus; hic tamen gaudet, se in Editione majori obsecutum fuisse MSS. cum deinde et jam in Cod. Per. *lassauit*, pro *lassabit* legi videret.

Vs. 11. 12. Hi versus in Cod. Per. ita exhibentur: *promissa parte, vadens vt scopulos super Ab astris duram illidat, monet, corticem.*

Vs. 13. *facile.* Sic edidi e MSS. Pith. Rem. et Cod. Perott. Ita Nevelet. Vrsin. Lallem. Brot. Bipont. Desbillon. Didot. alii. At Bentlejus, quem et Burmannus sequitur, emendauit, *facili vescatur cibo*, quia sine hoc epitheto *cibo* otiosum vide-

---

Vs. 11. 12. *Promissa parte* praedae, *suadet* cornix. *scopulum super illidat.* De aquila, testudines raptas frangente, e sublimi jaciendo, v. Plin. L. X. C. 3. Haec res Aeschylo poëtae mortem acciuit, testibus Aeliano in H. A. VII. 16. et Val. Max. L. IX. C. 12. Ext. 2. Idem de cochleis narrat Aelian. L. III. C. 20. περὶ ζώων. *Altis ab astris*, poëtice dictum, pro, ex altissimis caeli plagis, e sublimi aëre. *duram corticem.* Feminino genere (quod rarius) posuit, vt et alii. Vid. ad Ovid. IV. Met. 375. *Burm.* *corticem* pro testa, v. ad vs. 5. Schefferus laudat Plin. H. N. L. IX. C. 12. *aquatilium tegumenta plura sunt; alia corio et pilo integuntur, vt vituli; alia cortice, vt testudines.* Etiam Martial. L. X. Ep. 37. memorat *conchae leuem corticem.* Alia loca produxit Rigaltius.

Vs. 13. *vescatur cibo.* Cum τὸ *cibo* opponatur cortici comminutae, potest hic capi pro carne testudinis. Innuit enim cornix, aquilam, si duram corticem super scopulum illiserit, facili negotio vesci posse, quod intus sit, i. e. cibo. Sic Val. Max. loco paullo ante citato: *lapidi eam* (testudinem) *illisit, vt fracta carne vesceretur.* Itaque vox *cibo* non videtur esse otiosa; cf. V. L. Recte igitur cl. Sattler: *denn wär die zerschmettert, sey ihm der Genuſs des Fleisches leicht.* Eodem modo cepit Albinus: *afin que s'étant brisée, elle pût aisément se nourir de ce qui étoit dedans.*

Inducta verbis Aquila, monitis paruit,
Simul et magistrae large diuisit dapem.

batur. Nam si Phaedrus dixisset, *facile vescatur*, abjecta voce *cibo*, sensus superesset, quia vesci absolute poni potest, quemadmodum Val. Max. II. V. 4. dixit, *in aede Jouis vesci* et Curt. L. VIII. 6. *stabat ad fores aedis ejus, in qua rex vescebatur.* Sed si poëta τὸ *cibo* addere volebat, addendum simul epitheton erat, vnde qualis cibus sit pateret. Nec satisfacit Burmanno Schefferus, qui *cibo* per pleonasmum explicabat, cum in loco Ciceronis L. II. de N. D. C. 23. *nec iis escis, aut potionibus vescuntur, vt aut nimis acres, aut nimis concretos humores colligant,* nullus appareat pleonasmus, nec sensus tolerabilis remaneat, si tollas *escis* et *potionibus.* Displicet autem Hario lectio *facili cibo*, cum haec locutio, pro hoc scribendi genere, nimis poëtica sit. Quam male hoc dicatur ab Anglo, Burmannus docere potest lectores, quorum interest. Sic enim etiam locutiones *per auras*, *altis ab astris*, et multae aliae nimis poëticae videri debuissent, vt omittam alia, quae vide in Notis Burmanni. Equidem conjecturam Bentleji ac Burmanni, etsi vulgata lectione sit elegantior, inuitis libris omnibus, non puto esse admittendam; cum e Notis pateat, *cibum* hic carnem significare posse, partem testudinis, cibo futuram, vt jam olim Heusingerus recte statuit. Vid. etiam cl. *Lange* in Prolegg. ad Phaedr. p. 24.

Vs. 14. *verbis — monitis.* Cuninghamus legi jubet, *inducta his verbis.* J. F. Gronov. Diat. Stat. C. XIII. p. 73. pro *verbis* legit *veris*, et Heinsius *monito.* Vtramque emendationem recepit Bentlej. sed *verbis* Burmanno praeferendum videtur ex more Phaedri, vt L. I. F. XI. 1. *verbis jactans.* L. IV. F. III. 5. *verbis eleuant.* Neque etiam opus est, legere *monito*, cum et alii poëtae in plurali non raro vti soleant. Sic Virg. L. VIII. Aen. 504. *monitis exterrita Divom.* Et sic alibi. v. Burmann.

Vs. 15. *Large diuisit dapem.* Ita MSS. Pith. Rem. Perott.

Vs. 14. *inducta*, commota, persuasa, *verbis*, intellige *ejus*, vt L. III. F. VI. 4. *verbis non moueor tuis.* Simili modo Nep. Con. III. *non facile ad credendum inducebatur, monitis.* Bene respondet τῷ *magistrae* vs. 15.

Vs. 15. 16. *magistrae*, consiliatrici, vt in principio fa-

Sic tuta quae naturae fuerat munere,
Impar duabus occidit triste nece.

et Ed. Vett. nisi quod Cod. Perotti habeat *dimisit*, pro *diuisit*; quibus, praeter alios, obsequuntur Vrsin. Harius, Brotier. Bipontin. Desbillon. Etsi vero et *large* et *largam* recte dici potest, vt probant non pauca exempla, Burmanno notata; tamen *largam* praestare censent Bentlej. et Burm. vt Phaedrus L. II. F. IV. dixit *felisque catulis largam praebuere dapem*. *Largam* etiam edidere Lallemant. Sanadon et Philipp. Sed hac in caussa assentio Cl. Tzschuckio, scribenti: „*large* melius, quam *largam*. Non enim praeda erat larga, sed ejus diuisio, quod in aduerbii crebra mutatione in adjectiuum considerandum est." Deinde si Phaedrus l. c. *largam* posuit, an ideo hic quoque *largam* scripsisse putandus est?

Vs. 16. In Cod. Perotti est: *Sic tuta quae fuerat naturae munere.*

---

bulae *consiliator*: nam pro suasore, auctore consilii, *magister* saepe a scriptoribus ponitur. Senec. Thyest. 310. *saepe in magistrum scelera redierunt sua.* Ter. Andr. I. II. 22. *si quis magistrum cepit ad eam rem improbum.* Burmann. *magistrae large diuisit dapem.* Verbum ad conuiuia pertinens, cum cuique sua pars ex cibis porrigitur. Petron. C. 33. *scrutari paleam coeperunt erutaque subinde pauonina oua diuisere conuiuis.* Scheffer. Recte vertit Gerike: *theilet reichlich mit der Lehrerin den Schmaufs.* Paullo aliter cl. Sattler: *theilte mit der Lehrerin den fetten Schmaufs.* Largae dapes Burmanno sunt, quae saturandae vtrique abunde sufficiunt. Sed v. V. L. *naturae munere.* Munus naturae est dura cortex, s. cornea domus, data a natura. Cl. Tzschuck. signate pro simplici natura dictum vult. Compara h. v. cum vs. 6.

Vs. 17. *occidit tristi nece.* Vid. ad L. I. F. I. 13. τὸ *tristis* ad Epitheta pertinet, quibus valde delectatur Phaedrus.

Cum haec fabula comparabis Fabulam XIV. *Anonymi Neveleti*; item Fab. VIII. Gabriae, primum a Neveleto publicatam in Mythol. Aesop. p. 385. *Romuli* Divion. L. I. F. XIII.

Romuli Nilantii F. XII. Compara etiam Fabulam *Aesopi* LXI. apud Hauptm. p. 50. apud Ernestium p. 49. Hoc loco non praetermittendum, poëtam in hac fabula aberrasse a veritate illa naturali, in multis Aesopi et Phaedri fabulis conspicua. Cum enim aquila testudines raptas frangere soleat, e sublimi jaciendo; vt vidimus ad vs. 11. 12. perperam *cornix* monstrat aquilae, quid faciendum sit, vt facile vescatur carne testudinis. Melius *aquila* alii bestiae suo adesset consilio. Cf. cl. *Jacobs* in Obseruatt. ad Phaedri fabulas.

FABULA VII.

MULI ET LATRONES.

Muli grauati sarcinis ibant duo:
Vnus ferebat fiscos cum pecuniâ;
Alter tumentes multo saccos hordeo.
Ille, onere diues, celsa ceruice eminet,
Clarumque collo jactat tintinnabulum;

Vs. 3. *tumentes multo.* Cod. Per. *tumentis multos.*

Vs. 4. 5. MSS. Pith. Rem. et Editt. Vett. habent *eminens, jactans.* Bentlejus, quem sequitur Cuningham. verbum deesse videns, legit: *ille onere diues celsa it ceruice eminens.* Sed hoc

---

Vs. 1. *grauati sarcinis.* L. IV. F. I. 5. dixit *bajulare sarcinas,* de asino. *muli.* Mulos antiquis temporibus ad onera ferenda esse adhibitos, nota res. Ramlerus: *zwey Maulesel gingen wohlbeladen ihren Weg.*

Vs. 2. *fiscos.* Fisci sunt sacci plexiles, seu corbes viminei, qui seruandae ferendaeue majoris summae pecuniae adhibebantur. Ponitur igitur vox h. l. proprie. Asconius Ped. in Cicer. p. 18. b. Edit. Aldin. „fisci, fiscinae, fiscellae sunt vtensilia, ad majoris summae pecunias capiendas.“ Cic. Verr. III. 85. *Quaternos HS. in cistam transferam ex fisco.* Vid. etiam Verr. III. 79. et Suet. Claud. 18. Seorsim de fisco agitur in Nov. Acerr. Phil. P. I. p. 149. Adde Dispontini Collectan. Notasque Rittershus. *cum pecunia.* Similia Ant. *de Rooy* Conject. Crit. p. 68. affert. ex Martial. IV. 53. *cum baculo peraque senex.* Tac. Ann. III. 4. *Miles cum armis*, al.

Vs. 3. *tumentes.* Nota colorem Epitheti; *strozzend.*

Vs. 4. 5. Notanda pulcra vtriusque muli descriptio, cum superbi ac tumidi V. 4. 5. tum placidi et sua sorte contenti, V. 6. *ille onere diues.* Ramlerus: *jener mit der reichen Last.* Cl. Sattler. *reich beladen. celsa ceruice eminet.* Ramlerus vertit haec: *wirft den erhabenen Nacken in die Luft*; sed multo simplicius Sattler. *trug hoch den Kopf empor.* Vers. 5. graphice expressit poëta. *jactat.*

Comes quieto sequitur et placido gradu.

ex primo versu, vbi, *muli ibant duo*, praecessit, subaudiri posse censent Burmannus et Heusingerus. Quod cum mihi duriusculum videatur, et Cod. Perotti Vs. 5. habeat *jactat*, pro *jactans*; suspicor, praecedente versu eumdem legisse *eminet*. Jam olim Richterus ejectis participiis legebat: *ceruice eminet Clarumque collo jactat tintinnabulum*, improbante Burmanno; quam tamen conjecturam lectio Codicis Perotti deinde confirmauit, quae recte placet Heusingero in Addend. Receperunt etiam Lallemant. Brotier. Desbillon. Frustra Meursius, vt solet, hic videt lacunam.

Vs. 6. *Comes*. Quia *ille* praecessit, volebat Heins. Ep. XIX. ad Scheff. *Comes hic*. Sed non opus est construere, *hic sequitur*

Cum quodam spiritu jactasse, s. motitasse putandus est, quia *onere diues*. Cf. Schirachii Clav. P. I. p. 163. et Ramlerus ad hanc fabulam. *Clarum*. Egregie facit ad efferendam superbiam. *Tzschucke*. *tintinnabulum*. Mulos ornatus caussa tintinnabula ad collum appensa habuisse, testari possunt loca Luciani et Apuleji, quae profert Schefferus de Re Vehic. L. II. C. II. p. 28. sq. Addatur Hieron. *Magius* de Tintinnabulis. C. 8. Alii non tam ornatus caussa putant factum, quam quod sono eo delectarentur muli. At Gronovio atque Scheffero factum hoc esse videtur quo aduentantibus alii occurrentes in tempore decederent de via, praesertim caua vel angusta, sono tintinnabulorum audito; quemadmodum hodie in Gallia et Italia fit. V. Not. Gronov. et Scheffer. de Re Veh. l. c. Cum Phaedrus de vno tantum tintinnabulo loquatur, veri non videtur esse simile, id ornatus caussa fuisse alligatum; nisi quis putare velit, singularem per enallagen numeri poni loco pluralis. Itaque facile accedo Gronovio. Ramlerus: *schüttelt die klingenden Schellen am Halse*. Sattler. *schüttelte das helle Glöckchen an dem Hals*.

Vs. 6. *Comes*, alter mulus, saccos cum hordeo ferens. *quieto — placido gradu*. Τοῖς *quieto gradu* discernitur ab altero, qui tintinnabulum collo jactabat; *placido* vero ab eodem, ceruice celsa eminente. Cf. Burm. *Quietus* igitur est, *ruhig*, *ohne Geräusch*; placidus, *still*, *sanft*. Ter. Phorm. V. VI. 28. *suspenso pede placide ire perrexi*. Haec duo adjectiua nonnihil differre, neque eamdem plane vim habere, cum

Subito latrones ex insidiis aduolant,
Interque caedem ferro mulum trusitant,

comes; sed intelligere simpliciter, alter mulus, qui comes erat. *Burm. quieto.* Bentlejus temere emendat *quietus*, quod recte rejiciunt Burmann. et Heusinger. Ille enim „non in poëtis solum, *inquit*, sed et in prosa variantur hi casus nominatiuus est ablatiuus, vt *excellens forma*, vel *excellenti.* Vid. Gronov. ad Liv. I. 8. Sallust. Cat. I. III. *diuersi moribus fuere*, vel *diuersis.* vide Cort. ad Jug. LXXVIII. *impares magnitudine: pares*, vel *pari natura*: v. et infra L. III. F. VIII. 3. Tutius ergo sequi scriptos, et in talibus nil mutare."

Vs. 8. De Varietate Lect. v. Excurs. XVII. ad h. v.

---

hic locus docere potest, tum non pauca exempla, in Notis Burmanni notata, quibus adde *Strodtmannum* in Centur. different. apud Latin. voc. quae exstat in Act. Soc. Lat. Jenens. Vol. II. p. 81. sq.

Vs. 7. *ex insidiis*, ex loco occulto, vbi latebant latrones, *Hinterhalt*. Laudat Dispontin. Caes. de B. C. III. 38. *intrare insidias*, et L. VIII. de B. G. 12. *mittunt*, *qui primum elicerent nostros insidiis*, id est, ad locum, vbi insidiae positae erant. cf. *Morus* ad h. l. *aduolant.* Recte notat Scheffer. verbi hujus elegantiam, quo nimia eripiendae pecuniae cupiditas significatur. Accommodate vero Hartmannus citat locum Caes. de B. G. V. 17. *repente ex omnibus partibus ad pabulatores aduolauerunt.*

Vs. 8. *inter caedem*, potest explicari, dum muliones et custodes, qui fiscis sine dubio erant praesidio, occiduntur a latronibus. Sicque ἐν παρόδῳ caedem factam innuit, quod praeter Prasch. Freinsh. Scheff. merito placet Burmanno, Heusingero, Tzschuckio. Quamquam et verbera et vulnera, quae mors non sequitur, *caedes* dicuntur, vt multis exemplis probauit Burmannus. Sic ap. Ovid. L. I. Amor. El. VII. 27. *Quid mihi vobiscum caedis scelerisque ministrae?* at ille pulsasse se tantum amicam, non occidisse dolet. Sed praefero prius. Atque h. l. notare juuabit breuitatem Phaedri. Fusius enim canere poterat proelium, praesidium inter atque latrones commissum; sed quia hoc nihil ad consilium narrandi prodesse videbatur, ei sufficiebat, verbo hujus rei facere mentionem, *inter caedem*, ita vt reliqua lectoribus sup-

Diripiunt numos, negligunt vile hordeum.
Spoliatus igitur casus cum fleret suos,
Equidem, inquit alter, me contemtum gaudeo.
Nam nihil amisi, nec sum laesus vulnere.
Hoc argumento tuta est hominum tenuitas:
Magnae periclo sunt opes obnoxiae.

Vs. 12. *sum laesus vulnere.* Cod. Per. *sum passus vulnera,* quod receperunt Lallemant. et Brot. et probant Sanadon et Philipp. Ita passim poëtae. v. Heusinger in Addend. MSS. Pith. Rem. et Edit. Vett. *nec sum laesus vulnere.* v. Brotier.

Vs. 14. *magnae.* Harius contra scriptos et editos libros, et sine vlla necessitate, legit *magno,* quod in quibusdam editionibus etiam olim legebatur, vt Daneti; et a Johnsonio jam rejectum fuit. *Periculum* enim etiam per se sufficit, etsi non addatur *magnum.* Deinde Phaedrus alio loco dicit *magnas opes.* V. Not. Denique si alibi L. II. VIII. 19. hoc Epitheton poëta adjunxit, an ideo semper cogendus, eodem modo loqui? De quibus omnibus et aliis Burmannus in re tam leui justo fusius contra Anglum disputat.

---

plenda relinqueret. Namque non singula exsequi debet fabularum scriptor. Laudant Interpp. Liv. XXX. 6. *inter caedem et vulnera sublatus.* Virg. VIII. Aen. 492. coll. v. 709. *ille inter caedes Rutulorum elapsus,* vbi in Codd. Vaticanis legitur *inter caedem.* Sic etiam habent omnes vetustiores Pier. et Heins. vt hactenus praeferendum sit. Cf. Burmann. et Heyne ad Virg. l. c. Simili modo dixit Phaedrus L. IV. F. XVI. 4. *inter vectorum lacrimas et mortis metum.* Cl. Sattler. vertit: *im Mordgefecht. ferro trusitant,* vicibus iteratis ense percutiunt, i. e. vulnerant, V. 12. Est autem *trusitant* frequentatiuum, nusquam alibi obuium, verbi *truso,* quo vsus est Catull. Ep. LVII. (LVI.) vs. 6. Hinc, si tamen lectio vera est, ad singularia Phaedri referendum. v. V. L.

Vs. 9. *negligunt,* contemnunt, V. 11. Eodem sensu Senec. de Vit. Beat. C. 27. dixit, *negligere pecuniam. vile,* respectu pecuniae. Aliter Hartm. qui dixisse putat *vile* hordeum, propter abundantiam, atque inde paruum pretium, quo hordeum plerumque venire solet.

Vs. 10. *spoliatus* sc. pecunia mulus. *fleret casus.* Ovid. Amor. I. El. XII. 1. *flete meos casus.* Et Trist. IV. III. 37. *fleque meos casus, est quaedam flere voluptas.* Gronov.

Vs. 13. 14. *argumento*, fabula, vt L. IV. VIII. 2. F. XI. 14. XV. 7. L. V. III. 11. *tuta est hominum tenuitas.* Sic more suo dixit, pro, tenues et pauperes tuti sunt. Vid. ad L. I. F. III. 16. Eodem modo dixit L. II. F. I. 14. *est auiditas diues et pauper pudor.* Cic. Off. II. 21. *tenuitas aerarii.* Id. Div. II. 13. *vbertati* rerum opponit *tenuitatem. magnae opes.* L. III. Prol. 24. *qui magnas opes exaggerare quaerit.* Sed h. l. magnae opes sunt perópulenti.

Haec fabula longe elegantissima, quam apud Anonymos Nilantii et Neveleti, nec non Aesopum et Romulum frustra quaeras, narratur a Fontanio L. I. F. 14. Inuentionem fabulae laudat cl. *Jacobs* in Obseruatt. ad Phaedri fabulas. Vid. *Nachträge zu Sulzers Theorie*, T. VI. P. I. p. 72.

FABULA VIII.

CERVUS ET BOVES.

Ceruus, nemorosis excitatus latibulis,
Vt venatorum fugeret instantem necem.

Vs. 1. *nemorosis.* Cod. Perott. *nemorum.*

Vs. 2. *Vt venatorum.* Bentlejus, cui ridiculum videbatur, *necem venatorum* dici, et quia *excitatus* dicitur ceruus, nec additur a quo; legit: *excitatus latibulis A venatore, vt f. i. n.* Alii, qui itidem offenduntur lectione *venatorum instantem*, alia tentant. Harius corrigit *instantum necem;* Heinsius, *venatorem fugeret instantem neci*, vel, *venatores instantes neci*, vel, *venatore fugeret instanti necem.* Sed omnia vana, paullo fusius probante Burmanno; cum dubium esse non possit, a quibus excitatus sit ceruus, et lectio vulgata bene se habeat, defendique possit multis veterum auctorum exemplis. Vide enim Notas

---

Vs. 1. *excitatus* sc. a canibus venaticis, non ab ipso venatore, vt fingit Bentlejus. Excitatas enim a canibus feras sequuntur et iis instant venatores. Est autem verbum ad venationes pertinens. v. Burm. qui laudat Senec. de Clem. I, 16. *Idem facit venator, qui instituit catulos, vestigia sequi, quique jam exercitatis* (canibus) *vtitur ad excitandas vel persequendas feras.* Petron. CXXXI. *altis leporem excitaui*, ad quem locum vide viros doctos in Edit. Burm. Adde Senec. in Hippol. Vs. 110. *juuat excitatas consequi cursu feras*, qui locus Scheffero debetur, et Cic. Off. III. 17. *latibulis.* L. II. F. IV. 12. dixit *cubile*, de sue. Cl. Hartmann. e Laur. Vall. Elegant L. IV. C. 79. notat, *latebras* hominum proprie dici, *latibula* ferarum; at non vbique hanc differentiam obseruari. L. I. F. XXX. 9. dixit *paludis in secreta veniet latibula*; sed apud Cic. Flacc. 13. *latibula occultorum locorum*, vsurpatur de hominibus. Vs. 1. Cl. Sattler reddidit: *Ein Hirsch, aus dem bebuschten Lager aufgeschreckt*, pro quo Gerike habet, *aufgescheucht.*

Vs. 2. *venatorum necem*, i. e. mortem a venatoribus inferendam. Multa enim nomina actiuam et passiuam simul ha-

Caeco timore proximam villam petit,
Et opportuno se bubuli condidit.

et quos laudat Burmannus. Deinde e verbis Romuli Divion. *vt venatores euaderet*, patet, mortem, a venatoribus instantem, esse intelligendam, quod jam olim notauit Burmannus. Denique cum exempla, in Notis ad Vs. 2. producta, et similia probent, verbum *instare* de proxime imminentibus passim dici, hoc loco a *necem* non diuelli et ad venatores referri potest.

Vs. 4. *et opportuno.* In MS. Per. pro, *et opportuno*, est, *et inter bubulos ruit. . . .* et mox*: huic eo latenti, quidnam . . . bubili.* MS. Pith. *bovili*; sic edidit Neveletus; MS. Rem. *bobili*, quod Gud. et Burm. mutant in *bubili*. Recte. Teste enim Varrone de 44. VII. p. 117. Edit. Bip. a boue dicitur *bubile*,

---

bent significationem, vt injuria, inuidia, metus, pudor cet. V. Gellius L. IX. C. 12. coll. Heusinger. Sic *metus hostium* recte dicitur et cum timent hostes, et cum timentur. Laudat Burmann. Liv. I. 13. *Sabinae mulieres, quarum ex injuria bellum ortum erat*, pro, quam ipsae passae erant, et C. 14. *vt expiarentur legatorum injuriae*, pro, quae illatae erant legatis; Desbillonius vero Virg. Aen. XII. 5. *saucius ille graui venantum vulnere pectus*, vbi ad verba, *venantum vulnere*, notat Servius, "quod venantes fecerunt." Alia exempla suppeditabunt Notae Burm. Viros doctos, qui hanc loquendi rationem, falso quibusdam suspectam, illustrant, idem vir doctus recenset: coll. Walch. de Stylo Phaedri p. 68. *instantem.* Ita L. I. F. XXII. 1. *instans nex.* L. I. F. XVIII. 2. *instans partus.* Adde L. I. F. XXX. 3.

Vs. 3. *caeco* dixit, quia temere proximam petierat villam, neque ante considerauerat, in quanto hic versaretur periculo. Indicat Epitheton timoris magnitudinem. Simili modo Liv. L. I. C. 27. *alii arma foede jactantes caeci in aquam ruebant.* Hisce adde loca, Burmanno notata, Ovid. Am. I. IV. 42. Fast. II. 822. et Heins. ad Ovid. III. Met. 490. *proximam villam petit.* Hanc fabulam nobis exhibere rem saepe solitam, et ceruos, pressos a canibus et venatoribus, se recipere in tecta et stabula, docuit Burm. ex Ovid. II. ex Pont. II. 39. 40. et Plin. VIII. 32. vbi ceruos *vrgente vi canum vltro ad hominem confugere* scribit.

Vs. 4. *opportuno.* Poëtae vtuntur adjectiuis, vbi requiritur

Hic Bos latenti: quidnam voluisti tibi,
Infelix, vltro qui ad necem cucurreris,
Hominumque tecto spiritum commiseris?
At ille supplex: Vos modo, inquit, parcite:

non *bouile.* v. Brot. coll. Burmann. et Desbillon. In Anonymo Nil. *ovile* legitur. Perperam, quia de bobus agitur.

Vs. 6. *ad necem cucurreris.* Heins. conjicit: *qui neci occucurreris*, vel, *qui necem incucurreris*, quia Cicero saepe dixit in morbos, in crimen, in perniciem cet. incurrere.

Vs. 7. *Hominumque tecto.* Non male Cod. Perotti *hominisque tecto,* i. e. domino, quod probant Heusinger. in Addend. et Burm. Aliter sentit cl. Lange in Prolegg. ad Phaedr. 2. p. 24.

---

aduerbium. Haec exprimere poterat Phaedrus: et opportune se bubili condidit, sed minus eleganter. Explicant, quod opportune obuium erat. Albinus: *qu'il trouva heureusement ouverte.*

Vs. 5. *quidnam voluisti tibi?* Pleonasmus hic pronominum etiam Graecis vsitatus. *Tzschucke.* Guyetus subaudit *fieri.* Sensus: Quam male caussae tuae consuluisti. Sic Virg. Ecl. II. 58. *eheu quid volui misero mihi,* ad quem loc. v. Heyne. Schefferus laudat Ter. Eun. III. V. 10. *quid tibi vis? satisne sanus?* Cl. Jördens. *Unglücklicher, wo dachtest du hin?*

Vs. 7. *spiritum*, vitam, vt L. III. II. 6. L. IV. XI. 7. *spiritu culpam lues.* it. IV. XIX. 17. *Commiseris* Hoc verbo pro, credere, fidei alicujus tradere, vsus est Phaedrus L. I. F. XIV. 16. et L. I. F. XXXI. 1. Santoroc. citat. Plaut. Trucul. IV. IV. 15. 16.

Vs. 8. *modo.* Hoc loco capiendum pro *tantummodo*, *solum*, vt L. I. XVII. 4. et L. I. XX. 1. Non igitur explicari debet *nunc parcite*, vt habeat vim praesentis temporis, quod placet Tan. Fabro, censori versionis gallicae, quae habet auctorem *Albinum*, qui verterat: *Vous autres seulement ayez pitié de moi.* Verum tamen non est accedendum Burmanno, statuenti, *modo*, ad tempus relatum, numquam esse idem, quod *nunc*, sed *aliquanto ante*, ita vt notet tempus proxime elapsum, quo sensu occurrit L. I. F. IX. 9. L. V. II. 8. et ap. Cic. L. IV. Ep. 13. *in qua vrbe modo gratia, auctoritate et gloria flo-*

Occasione rursus erumpam datâ.
Spatium diei noctis excipiunt vices.
Frondem bubulcus affert, nec ideo videt.

Vs. 10. *spatium diei.* MS. Per. *spatium dein.*

Vs. 11. *nec ideo.* Heins. *neque adeo.* Salmas. *nec adeo.* MS. Per. *affertur*, *nihil videt.*

---

ruimus, *in ea nunc quidem iis omnibus caremus.* Vid. Tursellin. p. 631. Non vnus enim locus in priscis scriptoribus docet, particulam *modo* vsurpari posse pro *nunc.* Vid. Ter. Hec. III. V. 8. Id. And. II. I. 3. vt taceam de aliis. *parcite* sc. vitae meae. Absolute, vt Hor. L. II. Od. XIX. 7. 8. *Parce, precor, parce, graui metuende thyrso.* Ovid. L. I. Trist. El. III. 126. *parcite caerulei, vos parcite numina ponti.*

Vs. 9. *rursus erumpam.* Nota elegantiam verbi, quod significat, celeriter et cum impetu exire, occasione oblata. Simili modo Caes. de B. G. III. 3. *post dato signo e castris erumperent.* Adde loc. Virg. Aen. X. 604. Hartmanno notatum. τὸ *rursus* explicandum *vice versa*, non *iterum*, hoc sensu: quemadmodum huc erupi, sic indidem erumpam. Sic Desbillon. in Addend. p. LI. Eodem modo Caes. B. G. L. IV. 4. *reverti se in suas sedes regionesque simulauerunt*; *et tridui viam progressi rursus reverterunt.* Aliter, sed male, explicauit cl. *Gail.* Cum apud Romulum Divionensem legatur: *haec cum loquitur*, seu, vt habet Romulus Vlm. *haec cum dixisset*, *obscuro se condidit loco*; censet Neveletus, excidisse versum hunc, statim versui 9. subjiciendum: quod non est probabile, cum versu 4. jam dixisset Phaedrus, ceruum se *condidisse* bubuli, vbi apud Romulum est: *conjecit se in stabulum.*

Vs. 10. Poëtice dictum, pro, dies vesperascit, seu diem excipit nox. Sattler. *Nun wechselte die Nacht des Tages Stunden ab.* Funccius male ad orationem cerui refert, vt sensus sit: "vesperascit enim, et tegere me potero vmbra noctis." Praeiuerant Romulus et Anonymus Nilantii. Ille: *vos me modo celate tantum*; *dum erit sero*, *eo vbi volo securus*; hic: *cum venerit sero, ibo* cet. At si haec esset mens Phaedri, quid opus erat addere, *occasione data?* Dicendum erat; rursus erumpam, cum spatium diei noctes excipient vices. Male etiam cohaeret oratio, si eo, quo vult Funccius, sensu locus capiatur.

Vs. 11. *Frondem*, frondes,

Eunt subinde et redeunt omnes rustici,
Nemo animaduertit: transit etiam villicus,
Nec ille quidquam sentit. Tum gaudens ferus

Vs. 13. *Nemo animaduertit.* MS. Per. *nemo eum animaduertit*, e compendio.

Vs. 14. MS. Per. *Tum gaudens ceruus.* Rom. Divion. et Vlmens. *gaudens fera.* Anonymus Nilant. *gaudens ferus.*

---

i. e. pabulum; frondibus enim boves pascebantur. Apte laudat cl. Hartmann. Columell. L. XI. C. II. 82. *iisdem temporibus, si sit, fraxineam; si minus, orneam; si nec haec sit, iligneam frondem bubus recte praebebimus.* Adde Hor. L. I. Ep. XIV. 27. sq. Cat. R. R. 30. quae loca debentur Scioppio atque Scheffero. Consules quoque, quos citat Burmannus, Passerat. ad Prop. II. 33. p. 388. et Casaub. ad Athen. I. 19. Romulus addit, „*foenum et omne genus pabuli.*" *Nec ideo videt* ceruum. *Er sahe ihn drum nicht*; quia vel frondes afferebat, vesperascente jam caelo (Vs. 11.); vel oculis non percurrebat singula. Jam olim Schefferus notauit particulae *ideo* elegantiam; etiamsi attulerit, dederitque bubus, tamen non videt. Virg. G. II. 96. *nec cellis ideo contende Falernis*, pro vulgari: *tametsi inferius* sit vinum Rhaeticum Falerno. vid. *Heyne* ad h. l. Tac. Ann. XII. 39. Tum *Ostorius cohortes expeditas exposuit, nec ideo fugam sistebat, ni legiones proelium excepissent*, quem locum affert Schulzius. Male fingit cl. *Lange* Prolegg. p. 25. bubulcum vtraque manu frondes attulisse, nec *ideo* ceruum potuisse videre. Cf. obseruata in *Supplendis* ad h. l.

Vs. 12. *Eunt et redeunt. Sie gehen ab und zu.* Senec. Controv. I. 2. *nemo in tanta euntium et redeuntium turba inuentus, qui fortunae tuae vellet illudere.* Cf. v. *Dorp.* Obseruatt. C. I. p. 5. *rustici.* Colonos intelligit et familiam villae. *Scheff.*

Vs. 13. *animaduertit*, subaudi, quidquam, e vs. sq. huc trahendum. *villicus*, Colum. L. XI. C. 1. *Villicum fundo familiaeque praeponi conuenit.* Varro R. R. I. 2. *villicus agri colendi causa constitutus atque appellatus a villa.* Ejus officia Cato de R. R. enumerat C. 5. et 142. Atque etiam Columell. L. XI. totus in ejus officiis occupatur. Cf. Hartman. et Pignor. de Serv. p. 540.

Vs. 14. *ferus*, ceruus. Vid. ad L. I. F. XII. 9.

Bubus quietis agere coepit gratias,
Hospitium aduerso quod praestiterint tempore.
Respondit vnus: saluum te cupimus quidem,
Sed ille, qui oculos centum habet, si venerit,

Vs. 15. *Bubus quietis.* Sic MSS. Rem. et Per. it. Anon. Nil. Ita quoque habuit Cod. Pit. sed altera manu emendatum *boues.* Inde Pithoeus emendauit *bobus*; sicque edidere Nevelet. Burmann. Desbillon. al. Cf. Brotier. *quietis.* Bentlejus reponit *quietus* et explicat, securus. Ita Cuninghamus. At melius retinetur *quietis*; indicatur enim gratiarum actarum caussa. Cf. Tzschucke *agere coepit gratias.* Vrsin. et Rittershus *coepit agere gratias.*

Vs. 16. *quod praestiterint.* Non male Cod. Perott. *quia praestarent.* Nondum enim exierat ceruus.

Vs. 17. *te cupimus quidem.* MS. Per. *te volumus quidem.* Anonymus Nil. *saluum te volumus.*

Vs. 15. *quietis.* Recte viri docti, Prasch. Scheff. Har. Burmann. capiunt pro tacitis, qui latitantem voce non prodiderant, seu, vt ait Romulus et Anonymus Nil. *quod fugientem celassent*, vel *celarent.* Ita Ter. Phorm. IV. III. 65. *quiesce*, pro, tace, *ne interloquere.* Idem in Prol. Andr. 22. *dehinc vt quiescant porro moneo.* vid. Burm. Male Rittershus. jungit *gratias quietis*, i. e. quietis causa.

Vs. 16. 17. *praestiterint.* Proprie. Non enim spatium modo datum significat, sed et securitatem hospitii praestitam, per silentium et quietem. Atque ita Sen. I. Clem. 2. *hoc est non dare tantum salutem, sed et praestare*, vbi vides, quomodo a *dare* distinguatur. *Scheff.* Bene vim verbi animaduertit Schefferus, et Manut. ad Cic. IV. ad Fam. 8 notat, inter *praebere* et *praestare* hoc discrimen intercedere, quod illud sit animi propensi ad juuandum, hoc re ipsa et actione declarandi. *Burm. saluum te cupimus quidem.* Sattler. *Rettung gönnen wir dir gern.*

Vs. 18. *qui oculos centum habet.* Viuida descriptio heri, plurimum in rebus suis videntis, i. e. diligentissime prospicientis, ne quid detrimenti res familiaris capiat, ducta ab Argo, quem C. oculos habuisse poëtae tradunt. Ab Apollodoro Bibl. L. II. C. 1. 3. vo-

Magno in periclo vita vertetur tua.
Haec inter ipse dominus a coena redit:
Et quia corruptos viderat nuper boues,
Accedit ad praesepe: cur frondis parum est?
Stramenta desunt? Tollere haec aranea
Quantum est laboris? Dum scrutatur singula,

Vs. 19. Versus hic deerat in Cod. Per. *vertetur.* Maittar. Richt. Hoogstrat. *versatus*, sed v. Notas.

Vs. 23. *desunt?* in Editt. Danet. Maittar. Richter. Funcc. Hoogstratan. Lallemant. Desbillon. Brotier. abest signum interrogandi. Sed melius per interrogationem effertur, quia dominus paullo loquitur iratior, cui generi conuenit interrogatio. *Warum habt ihr nicht gestreut?* Atque etiam vs. sq. oratio procedit per interrogationem. cf. Scheff.

Vs. 24. *Quantum.* Nec hoc placere potuit Heinsio, nec Bentlejo, qui volunt, *quanti est laboris*, licet ipse Phaedrus L. I. F. XIII. dixerit, *quantum decoris*, et L. II. F. IV. *quantum mali.* Ovid. II. Fast. 404. cet. At dicent, in illis exemplis est verbum aliud, hic vero substantiuum *sum*: *quanti laboris est*, non, *quantum laboris faceretis.* Sed an non et Senec. Ep. LXIV. dixit, *quantum in illo, dii boni! vigoris est? quantum animi?* Quare relinquamus Phaedro suas locutiones, et si scripsisset, *quanti laboris est*, nefas putarem, et hoc mutare in *quantum laboris.* Nam non nego, et hoc eleganter et Latine dici. Sic Senec. Ep. XXXI. *nonne vides, quanti laboris sit, fila disponere.* Ita alii passim. *Burmann.*

---

catur Ἄργος πανόπτης; a Plauto Aul. III. VI. 19. Argus, *qui oculeus totus fuit*, teste Hartmanno. Fabulam de Argo v. apud Ovid. Met. I. 620-724.

Vs. 19. *in periclo vertetur*, versabitur. Plaut. Merc. I. II. 12. *res in periculo vortitur.* Liv. VI. 36. *in majori discrimine domi res vertebantur.*

Vs. 21. *corruptos*, sc. macie, i. e. macilentos, vt expresserunt Anonymus Nil. et Romulus Caes. de B. C. III. 58. plene dixit, *corruptos macie equos.* v. Scheff. Eodem modo vtuntur verbo διαφθείρεσθαι Graeci.

Vs. 22 — 24. *frondis parum.* Frondem non solum de pabulo, verum etiam de stramentis

Cerui quoque alta conspicatur cornua.
Quem conuocatâ jubet occidi familiâ,
Praedamque tollit. Haec significat fabula,
Dominum videre plurimum in rebus suis.

Vs. 15. *conspicatur.* MSS. Pith. Rem. et Editt. Vett. *est conspicatus*, quod non respondet praecedentibus; sed melius Cod. Perott. *conspicatur*, quod etiam receperunt Lallemant Brotier. Bipontini.

Vs. 27. *tollit.* Heinsius legi jubet *tolli*, sed frustra; cum quia etiam Cod. Per. habet, *praedamque tollit*; tum quia ipse tollere censetur, qui tollit per seruos suos. v. Burmann. Cod. Perotti h. v. ita exhibet: *praedamque tollit, quam parauerat casus.* Reliqua deerant; sed finiebatur hoc versu fabula: *tunc recte fieri omnia, cum per nos facimus.*

---

intelligit Gudius, quia Cato de R. R. V. 7. dixit: *stramenta, si deerunt, frondem iligneam legito, eam substernito ouibus bubusque.* Sed manifesto h. l. Phaedrus frondes i. e. pabulum distinguit a stramentis. Vs. 23. *haec aranea*, has telas aranearum. Gronov. laudat Plaut. Stich. II. II. 24. *vt operam omnem araneorum perdam et texturam improbam.* Adjectiuum ponitur substantiue; intellige texta. Ita Plin. H. N. XXIX. 4. post med. *vrina similis araneis textis* — Araneam pro ipsa tela dixit Prop. III. IV. 33. vbi v. Broukhus.

Vs. 26. *familia.* Erudite de hac voce disputat Salmas. in Exerc. Plin. p. 891. sq. Proprie h. l. pro coetu seruorum in vna domo.

Vs. 27. *praedamque.* Vide quae notamus ad L. I. F. V. 11. *tollit.* cf. V. L. Saepe in similibus locutionibus, post *jubere*, vidi in MSS. alterum verbum non infinitiui, sed indicatiui modi poni. Curt. VII. V. 40. *Alexander Oxathrem propius jussit accedere, tradique Bessum ei*, vbi MSS. *tradit que Bessum ei.* Burm.

Vs. 28. Hujus sententiae veritatem et alii scriptores agnoscunt. Laudant Interpp. Col. L. III. C. XXI. 4. *quocunque domini praesentis oculi frequenter accessere, in ea parte majorem in modum fructus exuberat*, a quo etiam R. R. IV. C. 18. *oculi et vestigia domini res agro saluberrime dicuntur.* Aeschylus in Persis vs. 169.: ὄμμα γὰρ δόμων νομίζω δεσπότου παρου-

σίαν. Plin. L. XVIII. C. 6. *majores nostri fertilissimum in agris oculum domini esse dixerunt.* Adde, quos laudat cl. Schulze.

Hanc fabulam narrant *Romulus* L. III. *Anonymus Nilant.* F. XLVIII. *Anonymus Neveleti* F. LVIII. *Fontanius* L. IV. F. 21. Cum argumento fabulae compara apologum Aesopium de Cassita et pullis ejus ac domino segetis, in qua nidulabatur, descriptum a Gellio L. II. C. 29. Ceterum magna est hujus fabulae, seu potius exempli (vid. *Jacobs* in Obseruatt. ad Phaedri fabulas) elegantia, si spectes Latinitatem; magna et suauitas, quae maxime cernitur in modo narrandi, qui placet mirifice.

EPILOGUS *).

Aesopi ingenio statuam posuere Attici,
Seruumque collocarunt aeternâ in basi,

*) Al. Auctor.

Vs. 1. *Aesopi ingenio.* Vid. Excurs. ad vs. 1.

Vs. 2. *Seruumque.* Neveletus edidit *Seruulumque. aeterna in basi.* Guyetus legi jubet, *aenea in basi*, cui obsequitur cl. Schirach. in Clav. P. I. p. 11. Sed jam olim hanc Guyeti conjecturam Gudius rejecit. Recte enim quaerit: „quis vmquam audiuit statuam marmoream in aenea basi? immo vero contrarium faciebant veteres. Ita in Collectis meis signum aeneum cum hypobasi marmorea." Deinde lectionem *aeterna in basi* firmat τὸ *aeterna crepido* in loco Statii, quem in Notis adduxi. Accedit Codicis Perotti auctoritas, in quo legitur *aeternae basi*, adeo, vt dubium esse non possit, *aeterna* vnice veram esse lectionem, quam, praeter alios, recepere Brotier. Bipont. Desbillonius.

Vs. 1. 2. *Attici posuere statuam.* Verbum *ponere* proprie vsurpatur hac in re. Nep. Tim. II. *Cujus laudis vt memoria maneret, Timotheo publice statuam in foro posuerunt.* Liv. L. XL. C. 34. *statuamque auratam, quae prima omnium in Italia statua aurata est, patri Glabrioni posuit.* Sic alibi centies, vt docent exempla apud Scheff. et Burm. Statuae autem, cujus meminit Phaedrus, auctor fuit Lysippus, statuarius, a quo solo se fingi velle dixit Alexander M. id quod discimus ex Agathiae Scholastici Epigrammate, de quo v. Exc. XVIII. ad vs. 1. Ejusmodi statuas non viris solum, de rep. bene merentibus, sed etiam aliis ingenii et doctrinae laude florentibus positas esse, cum a Graecis, tum Romanis, nota res. *Aesopi ingenio*, i. e. propter ingenium, quod ostendit Aesopus in inueniendis fabulis. Ingenium Aesopi, in fabulis conspicuum, Phaedrus quoque celebrat Prol. L. III. 52. 53. quemadmodum sibi ipsi tribuit ingenium poëta Prol. III. 4. Alii explicant *Aesopo ingenioso.* Cl. Sattler.

Patere honoris scirent vt cunctis viam,

Vs. 3. *honoris.* Quia in MS. Pith. est, *patere homini*, varie h. l. tentant Interpretes. Praschius mallet: *P. h. scires vt cunctis viam.* Heinsius: *patere scirent nomini vt cuncti viam*; Gudius e MS. Pith. *patere homini scirent vt cuncti viam;* et ita Salmasius ad oram libri; Cuninghamus: *patere honoris homini scirent vt viam*; Bentlejus: *patere honori scirent vt cuncti viam.* Sed obseruat Burmannus: „aliud est, *honori patet via*, aliud *honoris.* Deinde *cunctis* mutare in *cuncti* est contra mentem Phaedri. Vult enim poëta, non nobilitati, non generi, aut patriae hunc honorem habitum, sed *ingenio Aesopi*, qui peregrinus et barbarus retulit honorem, solis ciuibus bene meritis tribui solitum. Exemplum igitur Aesopi docere poterat Athenienses, viam honoris patere *cunctis*, neque excludi seruos, peregrinos, barbaros." Nihilo vero secius non paucae Editiones habent *cuncti*, ne desit nomen ad *scirent*; sed v. Notas ad Vs. 3. Sic Nevelet. Rigaltii 2. Scheffer. Vrsin. Hoogstrat. Lallem. Brotier. Desbillon. Didot.

---

dem witzigen Aesop. De Aesopo cf. Exc. I. Prol. I. Sunt, qui dubitent, an Latine dici possit, *ingenio alicujus statuam ponere*; sed vindicauit Burmannus Latinitatem hujus locutionis. „Statua, *inquit*, praemium fuit et honor: si vero possumus ingenio alicujus praemia dare, cur non licet *statuam ponere ingenio?* Atque ita Ovid. III. ex Pont. XI. 50. *Da precor ingenio praemia digna meo.* Et vt iidem Athenienses Beroso statuam *ob diuinas praedictiones inaurata lingua posuerunt publice in Gymnasio*, teste Plin. VII. 37. ita Aesopo ob ingenium, i. e. inuentionem fabularum, hunc honorem habuerunt." Quae si forte non satisfaciant iis, qui vbique desiderent exempla, quae plene respondeant locutionibus Phaedri, fateor me nescire ejusmodi exemplum; at quam multa sunt in Phaedro, quae sine exemplo dicuntur! Relinquamus igitur huic eleganti scriptori singularia sua. *seruumque*, pro, eum. Sic signatius ad notandum honorem, huic etiam generi promiscuum, et ad sustinendam proximam sententiam. *Tzschucke.* Sunt, qui explicent, effigiem serui. Schefferus ad hanc vocem notat: Significanter, pro, *licet foret seruus*, nempe quia his concessus honor iste non fuit. *collocarunt.*

Nec generi tribui, sed virtuti, gloriam.

Vs. 4. Post hunc versum in Editt. Rittershus. Meurs. Gronov. Neveleti asterisci, omissi versus alicujus signa, apparent. Sed nihil deesse, ex orationis contextu constat, obseruante jam olim Burmanno, in cujus sententiam recte discedit Heusinger.

Proprie. *aeterna in basi.* Basis in genere illud est, quo aliud innititur. Hoc loco significat inferiorem statuae Aesopi partem, quo nitebatur (*Postament*). v. Gesneri Thes. L. L. h. v. In basi statuarum erant Inscriptiones, quibus memoria virorum illustrium aeternitati, vel aeternae memoriae commendari solebat. Ex quo potest intelligi, quare Phaedrus basin dicat *aeternam*, quae ejus memoriam in omne aeuum conseruat, *ein verewigendes, ewig daurendes Postament.* Sic Diana erat posita Segestae excelsa in basi, in qua grandibus litteris *P. Africani* nomen erat incisum, cumque *Carthagine capta restituisse*, perscriptum. v. Cic. Verr. IV. C. 34. Ita in basi aduersa monimenti, Syracusis in memoriam Archimedis positi, apparebat epigramma, exesis posterioribus partibus versiculorum, dimidiatis fere; teste Cic. Tusc. Qu. V. 23. Huc refer Inscriptiones, quas memorat Burm. apud Gruter. C. I. p. CCCLXXII. 6. vbi Tertullus conjugi suae *Aeternitatis Memoriam posuisse* legitur, et in Marmoreis Felsineis a Maluasia editis, Sect. VII. C. 2. p. 406. *Pompejae Maximae Memoriae aeternae.* Quibus adde Reines. Cl. VI. Inscr. 129. Vid. quoque Hor. L. IV. Od. 14. 1—4. vbi tituli, seu Inscriptiones, pro ipsis statuis atque monimentis publicis, quibus incisi tituli memoriam laudum continent. Cf. *Jani* ad h. l. *Aeterna* autem *basis* Phaedri idem est, quod *aeterna crepido* Statii, apud quem Silv. I. I. 58. *teneat quamuis aeterna crepido Quae superingesti portaret culmina montis*, quo loco *aeterna crepido* pertinet ad basin statuae Colosseae Domitiani. V. Casp. Barth. ad h. l. et ad Theb. II. 504.

Vs. 3. 4. *vt scirent*, sc. homines. Sollemne Latinis, hanc vocem subaudire. v. Vechneri Hellenolex. p. 120. ex Edit. Heusingeri, et L. V. F. I. 3. *Viam honoris patere cunctis*, etiam seruis, peregrinis barbaris, ex quibus Aesopus; *nec gloriam tribui generi, sed virtuti*, i. e. gloriam esse prae-

Quoniam occuparat alter, ne primus forem,

Dicit nempe Phaedrus: Aesopus primus fuit inter Graecos, qui praeter ceteros fabulis laudem sibi pareret; hinc meritus est ab Atheniensibus statuam. Quoniam igitur Aesopus praeuenit me in fabulis inueniendis, sicque fecit, ne primus inter omnes essem fabularum scriptor: studui, quod solum mihi superfuit, ne solus Fabulator audiat Aesopus. Ideo non occulte innuit, se similem laudem et praemium a Latio sperare. Sic Vs. 4. cum 5. bene cohaeret. v. Burm. Contra major lacunae suspicio est infra post v. 11.

Vs. 5. 6. In MS. Pith. hic locus ita exhibetur: *Quoniam occuparat alter, ne primus foret, Nec solus esset, studii quod superfuit.* Sic Neveletus et primae Editt. cui lectioni nullus prorsus sensus inest. Restituit locum Rittershusius, qui pro *foret* legit, *forem*; pro *nec*, *ne*; pro *studii*, *studui*. Ita fere Rigaltius, in Editione I. hunc locum sic constituens: *Quod jam occuparat alter, ne primus forem; Ne solus esset, studui quod superfuit.* Sed Jac. Gronouio Rittershusii emendatio displicet, quae sana est. Is autem conjicit: *Q. o. a. n. p. foret, Nec solus, ecce, studii quod superfuit.* Vid. Ej. Emendatt. in Phaedro p. 149. Alia conjiciunt Bentlejus, Salmasius, Richterus, vix digna, quae memorentur.

---

mium virtutis, non generis, aut patriae. Pulchre hanc sententiam illustrat inscriptio ap. Gruter. p. MCCV. 12. cujus meminit Burmannus. *Nulli praeclusa est virtus, omnibus patet, non quaerit censum, sed nudo homine contenta est.* Cic. pro Muren. C. 8. *vt aditus ad consulatum posthac, sicut apud majores nostros fuit, non magis nobilitati, quam virtuti pateret.* Vid. ad L. IV. XV. 8.

Vs. 5. *occuparat.* Praeuenit me, praeuertit, i. e. ante me scripsit fabulas. Graeci φθάνειν. Laudat Schefferus Plin. Paneg. C. X. *occupauit, primusque fecit, quod omnes facturi erant.* *alter.* Aesopus. Haec non de Aesopo, sed Melisso, qui jocorum libellos, qui ex Apologis Aesopicis constabant, conscripserat, intelligenda censet Heinsius ad Ovid. IV. ex Pont. El. vlt. vs. 30. quam tamen conjecturam leuem putat Burmannus, quem vide. *ne primus forem*, vt non essem primus fabularum scriptor.

Ne solus esset, studui; quod superfuit.
Nec haec inuidia, verum est aemulatio.
Quodsi labori fauerit Latium meo,
Plures habebit, quos opponat Graeciae.

Vs. 7. *Nec haec.* Lallem. Cuningham. Brot. Bipont. Jakob. habent *neque haec.*

Vs. 8. *fauerit.* Cod. Pith. *faueret*, notante Neveleto.

Vs. 6. *Ne solus esset* fabulator. *quod superfuit.* Hoc enim solum mihi supererat et relictum erat. Elogium tale est Ciceronis apud Hieronymum Epist. de vita Clericor. *Demosthenes tibi praeripuit, ne esset primus orator, tu illi ne solus*; qui locus debetur Neveleto.

Vs. 7. *Inuidia. Eifersucht.* Vid. ad L. I. F. XXIV. 3. *aemulatio.* Bono sensu, vt sit imitatio virtutis, vt habemus definitionem apud Cic. Tusc. Quaest. L. IV. C. 8. *Nacheiferung.* Cic. pro Mur. 29. *Zeno, cujus inuentorum aemuli Stoici nominantur.* Vid. J. F. Gronov. ad Liv. I. 18. et ad Phaedr. coll. Liv. Drakenb. T. I. p. 82.

Vs. 8. *Labori.* Vid. ad vs. 10. *fauerit*, applauserit. Ita recte cepit Burmannus, quem vide. *Fauere* et *fauor* sollemnia de plausu. Maxime in scena faueri solet recte partes agentibus. Hoc sensu legitur apud Phaedrum L. V. V. 25. et F. VII. 29. de spectatoribus applaudentibus in theatro, vel scena. Ita alibi Hor. L. III. Od. XXIV. 46. *quo clamor vocat et turba, strepitus fauentium*, vbi vid. Jani, coll. Cellar. ad Plin. IX. Ep. 6.

Vs. 9. *quos opponat Graeciae* tamquam tales, qui Graecis, ingeniorum principatum affectantibus, ingenii gloria non cedant. Certamen omnis laudis Latio erat cum Graecia. Graeci enim, vt ait Tac. L. II. Ann. 88. *sua tantum mirantur*; inuidebant Romanis, vt exemplum est Apollonii in Cicerone Plutarchi C. 5. Docte hac de re disputat Freinshemius. Gloriatur autem hoc versu Phaedrus, vt recte vidit Burmannus post Schefferum, in nouo hoc scribendi genere sectatores se habiturum, ita, vt tamquam auctor et conditor hujus scribendi generis velit haberi apud Romanos: id quod notandum contra Guyetum, quem offendebat vox *plures.* Vid. Excurs. XVIII. sub finem.

Si liuor obtrectare curam voluerit,
Non tamen eripiet laudis conscientiam.
Si nostrum studium ad aures peruenit tuas,

Vs. 10. *Si.* Quia *si* praecessit modo, Heins. Ep. XXI. ad Scheffer. malebat, *vt liuor*, pro, *vtcunque.* Posset faciliori manu *sin* legi; sed vix opus puto. Vid. Prol III. 52. *Burmann.* *Sin* placet Vrsino, Freinshem. Meurs. Scheff. Gud. Cuningh. Lallem. Brot. cl. Tzschuckio, Bentlejo. *obtrectare.* In Cod. Pith. est *libor et oblectare*, teste Gudio. Hinc conjicit *objectare*, vt et Salmasius ad oram libri legit. Frustra. In MS. Pith inueniri, *si labor oblectare*, testatur Neveletus, quod est a manu secunda.

Vs. 10. *liuor.* Ita more suo dixit pro inuidis. Vid. Prol. III. 60. Sueton. Cal. 34. Ovid. Amor. I. XV. 39 ex Pont. III. IV. 79. *obtrectare curam*, detrahere de fabularum libello eumdemque parui facere. Infra dixit eodem modo Prol. IV. 15. *Hunc* (libellum) *obtrectare si volet malignitas.* Ita Liv. L. XLV. 37. *ejus obtrectare laudes voluit. Cura* est opusculum, libellus fabularum, cura et studio scriptarum: quo sensu occurrit apud Tac. Ann. L. IV. C. 11. *quorum in manus cura nostra venerit*, i. e. quorum in manus scripta nostra venerint, ad quem locum plura dabit Gronov. Sic laudant Hor. L. II. Ep. II 82. sq. *ingenium, quod studiis annos septem dedit insenuitque libris et curis.* Vs. 12. dixit *studium*; Vs. 8. *labor.* Burmannus explicat *curam*, studii genus, scribendi nempe fabulas; laudans L. IV. F. I. 18 et Ovid. Met. XV. 7. *hujus amor curae*, de studio naturae. *Babyloniam curam* de studio Astrologiae dixit Claudian. VI. Cons. Honor. 18. cl. Sattler. *curam* vertit, *Eifer.*

Vs. 11. *eripiet* mihi. Sensus: non efficiet liuor, vt mihi non conscius sim laudis et gloriae mihi debitae, seu, vt pulchre expressit Lallemant: *l'envie ne m'ôtera point la persuasion*, où *je suis, que je merite quelques louanges.* Simili modo Prol. III. 61. *sollemnis mihi debetur gloria.* Jactantius haec dicta; sed sic solent passim veteres. Cf. Exc. XVIII. ad vs. 15.

Vs. 12. *nostrum studium.* Opusculum meum, fabulae. Vid. ad vs. 10. *ad aures tuas.* Cum Heusingero intelligo Anonymum illum, ad quem hunc librum scripsit. Phaedrus autem in mente habuisse putan-

Et arte fictas animus sentit fabulas,
Omnem querelam submouet felicitas.
Sin autem doctus illis occurrit labor,

Vs. 13. *arte fictas.* Heinsius emendat *apte fictas.* Etsi vero *arte* et *apte* in MSS. saepe confunduntur; vulgatam tamen tuetur Burmannus. Quae enim fabulae *arte* sunt fictae, etiam *apte* fictas nemo negabit. Deinde retinet *arte*, quia verbum *sentire* de operibus, arte factis, sumitur. cf. Not.

Vs. 15. De Varietate Lect. h. v. cf. Exc. XVIII. ad vs. 15.

---

dus est Anagnosten, Patrono fabulas suas praelegentem. Cl. Tzschuckius ad vocem *aures* subaudit, lectoris.

Vs. 13. *Et si animus sentit*, i. e. si tu sentis, percipis *fabulas*, elegantiam, suauitatem et vim fabularum, *arte*, artificiose, seu secundum praecepta artis *fictarum*, ita vt simul voluptatem ex iis capias. Tò si omissum, e vs. praec. repetendum. Eodem modo Ter. Eun. II. II. 20. sq. *Quicquid dicunt laudo: id rursum si negant, laudo id quoque: Negat quis, nego: ait, ajo. Animum* pro persona non raro poni, nota res. Sic *apud animum statuere*, pro, apud se. Ovid. XIX. Ep. 183. *arte laboratae puppes*, i. e. artificiose, quem locum praeter alia affert Burmannus. Egregie autem huic loco illustrando inseruit Prol. III. 3. *vt liber animus sentiat vim carminis*, vbi vide. Burmannus tamen verbo *sentire* hanc quoque vim esse putat, vt significet, perite de iis judicare, tamquam artifex, cujus animus delectatur ipso adspectu operum suae artis. Sic explicat Gronov. Diatr. Stat. C. 43. p. 285. de iis, qui de tabulis pictis et imaginibus recte judicare possunt. Et ita *sensus* apud Cic. Verr. IV. 14. *mirari solebam, istum in his ipsis rebus aliquem sensum habere.* Sed dubito, an hoc sensu verbum *sentire* ceperit Phaedrus.

Vs. 14. Ita mihi beatus videor, nullum vt querendi locum relictum esse putem. *Faber.* Cl. Sattler: *so setzt mein Glück mich über alle Klagen weg.* De Latinitate hujus versus v. quae notamus in Exc. XVIII. sub finem.

Vs. 15. *Sin autem*, pro simplici *sin*, *wenn aber*, vt et ap. Ciceron. de Am. C. 21. et pro Cluent. C. 6. *doctus labor.* Si capias hanc locutionem eodem sensu, quo dixit Prol. III. 26. *docto labori dulce praeponens lu-*

Sinistra quos in lucem natura extulit,
Nec quidquam possunt, nisi meliores carpere;

Vs. 17. Hunc versum Bentlejus, sed adhuc solus, a mala manu esse censet; quia laboret Syntaxi vitiosa et numeris absonis. Neutrum videt Burmannus. Bipontini ediderunt, *ne quidquam possint.* Citra necessitatem.

---

crum, vt significet laborem litterarium, i. e. librum fabularum, in oppositione ad labores, qui non pertinent ad litteras; neutiquam offendere potest lectorem. v. ad vs. 10. *illis occurrit*, peruenit ad manus eorum; quo sensu referendum ad singularia Phaedri. Sine dubio est variatio praecedentis, *ad aures peruenit tuas.* Cf. cl. Tzschuck. et Scheffer. Itaque recte Sattler: *fällt aber meine Arbeit solchen in die Hand.* Alii, vt Scioppius, explicant *occurrit*, repugnat, aduersatur, quo sensu passim ponitur, vt apud Prop. I. XX. 3. et Cic. de Off. II. 2.

Vs. 16. Sensus: quibus natura fuit nouerca, qui prauo et peruerso ingenio sunt nati, ex interpretatione Gronouii. L. IV. F. XIX. 17. ejusmodi homines appellat *iratis Diis natos. sinistra*, peruersa, praua. Curt. L. VII. C. IV. 10. jungit *natura praua* et *sinistra.* Prauum autem et peruersum istud ingenium ostendunt carpendo alios meliores ipsis. Scheffero sinistra natura est infausta, inimica, velut in poenas aliorum. *extulit*, protulit, produxit. Cic. Verr. III. C. 86. *quod agri segetesque extulissent.* Id. de Clar. Or. C. 16. *ager, qui multos annos quieuit, vberiores efferre fruges solet.*

Vs. 17. *Nec quidquam possunt.* Supplendum *qui*, quia praecessit *quos*, ita: nec qui possunt quicquam, nisi meliores carpere. Similem constructionem v. L. I. F. XXII. 11. Praeterea *nec quidquam* positum pro, *nec aliud quidquam*, vt Prol. II. 2. v. etiam Ovid. Met. I. 8. *rudis indigestaque moles, nec quicquam nisi pondus iners*, quem locum affert Burmannus, a quo etiam laudantur Casaub. et Torr. ad Suet. Galb. VIII. Ceterum sine dubio Phaedrus intelligit tales, qui ipsius fabulas maligne interpretabantur, et hinc Tiberium aut Sejanum, quasi eos tangeret, ipsi infestum facerent. Nam multa indicia sunt, eum hoc nomine accusatum esse, et etiam poenam passum. v. Burm. coll. Vit. Phaedri. *meliores* ipsis. *carpere.* Mart.

Fatale exitium corde durato feram,

Vs. 18. *Fatale exitium.* Cum *exitium* suspectum sit, quia mortem, perniciem et quocunque modo res aliqua perit, notat, quod ab hoc loco est alienum; vario modo emendare ausi sunt Critici. Burmannus, vnica modo littera mutata, conjicit, *fatalem corde durato exitum feram*, vt sensus sit, quemcunque fata dederint exitum, feram, donec fortuna magis fauens appareat, quemadmodum Cicero *optatos exitus* dixit. Et Ovid. Met. XII. 522. *exitus in dubio* est. Pro conjectura Burmanni pugnat, quod haec duo cognatae significationis ejusdemque originis nomina facile sunt permutata, id quod in optimis Sallustii et Val. Max. MSS. factum esse, testatur Gesner. in Thes. L. L. sub *exitium*. Bentlejus emendat, *fatale euentum*; quaerit enim: quo pacto patienter quis ferat *exitium*, qui ipse interiit et nullus est! At vix probabile, ex *euentum* factum esse *exitium*. Franc. Hare *talem exitum*, de qua lectione fuse disputat Burmannus. Gronouius legi jubet *vitium*, et exponit tale, quod non magis effugere licet, quam *fata* v. Not. Schefferi ad h. l. Sic Tollius. Cuninghamus, *fatale edictum*; cl. Jakob. *fatale exsilium*. At nos obsequamur Censori erudito, in Eph. Goettingens. ann. 1781. Partic. 53. scribenti: „Beym Phaedrus

---

L. I. 92. *Cum tua non edas, carpis mea Carmina Laeli.* Sic alii passim.

Vs. 18. *Fatale exitium.* Locutio, si lectio vera, abhorrens et ab vsu linguae et ab analogia. v. V. L. ad h. v. At contextus orationis docet, intelligendam esse calamitatem, fortunam aduersam, fatis destinatam, nulla mea culpa, i. e. iniquam fabularum censuram. Vid. vs. 15—17. Cf. *Kohlius* loco in Exc. XVIII. sub finem notato. Cl. Schirach. Clav. P. I. v. *fatalis* explicat; interitum operae atque artis famaeque inde parandae, quem mea culpa non attraxerim, sed a fatis mihi impositum habeam, feram. *Corde durato feram,* animo obfirmato et aduersus talia indurato. Simili modo dixit Luc. V. 797. sq. *Vetera damna durata jam mente malis firmaque tulerunt*, qui locus Dispontino debetur. Sed Schefferus laudat Plaut. Pseud. I. III. 6. *Crucior.* PS. *cor dura.* Ovid. Trist. III. III. 57. *quam potes extenua forti mala corde ferendo.* Hunc vs. verte: *Ich will mit unerschütterter Standhaftigkeit mein Schicksal ertragen.*

Donec fortunam criminis pudeat sui.

als einen Schriftsteller, auf dem noch so viel Dunkelheit ruhet, der wenigstens gewaltig interpolirt seyn muss, bey dem wir so wenig Licht durch Handschriften erhalten, erfordert die gesunde Kritik, Stellen und Ausdrücke, die weder mit der Sprachgewohnheit, noch mit der Analogie übereinkommen, lieber anzuzeichnen und bemerkbar zu machen, und die wahrscheinlichen Verbesserungen unter dem Text beyzubringen, als in den Text aufzunehmen; oder auf der andern Seite weither aufgesuchte Vertheidigungen solcher ungewöhnlichen Redensarten zu schreiben, dergl. ist B. II. Epil. 18. *fatale exitium.*

Vs. 19. Donec ipsam fortunam pudeat injuriae, quam mihi intulit et affligere innocentem desinat. Burmanno imitatus videtur Ovid. qui L. III. Met. 141. sq. de Actaeone: *At bene si quaeras: Fortunae crimen in illo, non scelus inuenies*, vbi vid. Burmann. Huc quoque referri potest locus Claudiani II. in Rufin. *Criminibusne tuis speras, fortuna, mederi?* Lege quae notat Barthius ad Stat. Theb. I. 231. Objicit poëtae fortunae crimen, quod fabulae immerito perstringantur, quod auctor earum promerita laude fraudetur, eidemque maligna interpretatione mala parentur.

EXCURSUS
AD
LIBRUM I. ET II.

Excursus I.

Ad Prologum Libri I.

Ad vs. 1. Aesopus, Cotyaeo, Phrygiae oppido, ortus, seruus fuit. Libertatem a Jadmone a) philosopho, vltimo hero suo, nactus, multis itineribus factis, tandem a rege Croeso Sardes in regiam accitus, Delphos missus est, vbi sacrilegii fraudulenter accusatus, de rupe Phaedriade b) praecipitatus, indigna morte periit c), IↃLX. circiter ante C. N. annis. Mortuus est anno I. Ol. LIV. quemadmodum *Eusebius* in *Chron.* et *Suidas* testantur; de aetate tamen et morte ejus non vna est virorum doctorum sententia d). Celebris apud veteres Apologorum, siue fabularum scriptor, non tamen primus hujus poëmatum generis, quod nomen traxit ab eo, inuentor appellandus e). Namque jamjam ante Aesopum fuerunt, qui fingerent

---

a) A *Plutarcho* de Sera Numinis Vindicta C. XII. p. 244. T. X. Ed. Hutten. et *Ptolemaeo Hephaest* L. V. p. 329. quem laudat cl. *Wyttenbach* loc. mox citando, appellatur Σάμιος Ἴδμων. *Herodot.* L. II. 134. Ἰάδμονα vocat. Vid. cl. *Hutten* ad locum Plutarchi.

b) *Plutarch.* l. c. Hyampejam appellat istam rupem: ὤσαντες ἀπὸ τῆς πέτρας ἐκείνης, ἣν Ὑαμπεῖαν καλοῦσιν. De qua consules, quos citauit cl. *Wyttenbach* in Animaduers. ad Plut. de S. N. V. p. 64.

c) *Herodot.* L. II. 134. p. 168. Wesseling. *Suid.* v. Αἴσωπος et Φαιδριάς; *Plutarch.* de s. N. V. l. c. it. Interpp. ad *Aeliani* V. H. L. XI. C. 5. quos Reiskius laudauit.

d) *Harles.* ad Fabric. B. G. Vol. I. p. 618. sq. coll. Excurs. III. ad L. I. F. II. 5.

e) *Theon.* in Progymn. C. III. p. 29. Αἰσώπειαι δὲ ὀνομάζονται ὡς ἐπίπαν, οὐχ ὅτι Αἴσωπος πρῶτος εὑρετὴς τῶν μύθων ἐγένετο, ἀλλ᾽ ὅτι Αἴσωπος αὐτοῖς μᾶλλον καταχόρως καὶ δεξιῶς ἐχρήσατο. *Quinctilian* I. O. L. V. C. XI. *fabulae, quae etiamsi originem non ab Aesopo acceperunt, (nam videtur earum primus auctor Hesiodus) nomine tamen Aesopi celebrantur.*

fabulas. Sic *Hesiodus* fabulam de Accipitre et Luscinia f); *Archilochus* de Aquila et Vulpe; item de Vulpe et Simio g); *Stesichorus* de Equo et Homine h), alii, narrauere fabulas, Aesopiis similes. Sed Aesopus inter Graecos primus fuit, qui rationi, disciplinam morum per fabulas tradendi, totum penitusque se dederet, animosque hominum ad prudentiam, industriam virtutemque acueret fabulis; qui praeter ceteros Graecos excelleret in hoc genere; qui denique animalia, quorum natura et attributa omnibus nota essent, addiceret fabulis. Fabulae autem Aesopiae, ab auctoribus suis neque in metrum reductae, neque litteris consignatae, sed ore traditae, sicque ad memoriam posteritatemque videntur fuisse proditae. Deinde *Socrates* i), *Demetrius Phalereus* k) et alii magni nominis viri

---

f) Op. et Dies V. 200 - 209. Notat Hesiodus potentiorum mores aduersus inferiores istâ fabula. cf. *Krebs* ad h. l. Hanc fabulam cl. *Huschke* in Dissert. de Fabb. Archilochi p. 4. 59. dicit omnibus fere numeris expletam, quae et simplicitatem habeat Aesopeam, et quam Priscianus vocet affabulationem. Hesiodum primum fabularum auctorem ponit Quinctil. J. O. V. 11. Vid. *Huschke* l. c.

g) Archilochus Lycamben, qui filiam ei desponderat, postea alii dederat ditiori, ejusque filias perstrinxit, et ad restim adegit, fabula vsus; quod testatur *Philostratus* L. I. Imag. C. III. p. 766. Edit Olear. fabula nimirum de Vulpe, vt ex Hermogene constat et Apostolio Prooem. proverbior. vbi verba ipsa Archilochi habes. Vid. *Fabric.* B. G. Vol. II. p. 108. et *Supplenda* ad calcem T. I. ibique notata ad p. 189.

h) Stesichorus Phalaridis tyrannidi in patria sua restitit, narrata Himerensibus fabula de equo, qui vt cerui leuem injuriam vlcisceretur, frena injici sibi passus est. v. *Aristot.* Rhetor. II. 20. *Fabric.* B. G. Vol. II. p. 151. et ad L. IV. F. 4. in fin.

i) *Plato* in Phaed. *Laërt.* in Socrat. coll. Bentleji Diss. de Fab. Aesopi, p. 72. sqq. *Plutarchus* C. II. de audiendis Poëtis: ὅθεν ὁ Σωκράτης ἔκ τινων ἐνυπνίων ποιητικῆς ἁψάμενος — τοὺς Αἰσώπου τοῖς ἔπεσι μύθους ἐνόμιζεν. cet. *fabulas Aesopi oratione vincta descripsit, s. versibus inclusit.* Νόμοι enim, a qua voce ἐνόμιζεν, sunt modi, seu moduli per se sumti, et ipsa quoque carmina modulata. Vid. *Krebs*, qui de hoc Plutarchi loco erudite exposuit; it. *Spanhem.* ad Callimach. p. 509.

apud Graecos istas fabulas, ornatu poëtico vestitas, collegerunt. Huc referendus quoque Babrius, quem Aesopi fabulas versibus choliambicis Libris X. exposuisse, supra dixi. At minima pars graecarum fabularum, quibus nomen impositum est ab Aesopo, eumdem habet auctorem; immo vero quam plurimae a serioris aetatis scriptoribus compositae fuisse putandae sunt. Vtrum autem veteres, qui Aesopi fabulas memorant, vsi sint ejusdem verbis, an suis earum sententiam expresserint, de eo quidem inter viros doctos non conuenit. Equidem accedo sententiae eorum, qui putent, Aesopum non ipsum litteris consignasse fabulas, sed per occasionem fictas recitasse; quas non multo post alios collegisse, alios postea fabulas, eodem modo excogitatas, addidisse, credibile est. Ipsum Aesopum scripto fabulas suas, Graeco idiomate comprehensas, edidisse, aut, si quas Graece ediderat, eas ad nos, prout ipse scripserat, peruenisse, negat *Gatakerus* in Diss. de Stylo N. T. l); sed *Tyrwhittus* m) non dubitat, Aesopum ipsum fabu-

---

et *d'Orville* Vann. Crit. p. 649. Adde Praef. *Aviani* et *Suidam* v. Σωκράτης. Itaque credibile est, Aesopum fabulas narrauisse prosa, non versu. Quod enim si secus esset, Socrates vix instituisset, istas fabulas oratione ligata describere. Vid. cl. *Jakobs Griechische Fabulisten in Charakter. der vornehmsten Dichter aller Nationen* T. V. Part. II. p. 277.

k) *Diogenes Laërtius* L. V. 81. p. 310. Edit. Meibom. Censet tamen Bentlej. l. c. soluto sermone fabulas Demetrii fuisse conscriptas, non ligato. Collectio autem fabularum Aesopiarum a Laërtio memorata, publicata est, vt videtur, in vsum eloquentiae candidatorum; de quo vid. Dissert cl. *Jacobs* Not (i) laudatam, p. 278.

l) Cap. XXIII. p. 123 sq. Opp. Crit. Traj. 1698. fol. coll. *Bentleji* Opusc. Philol. p. 72. 76. Edit. Lips.

m) Dissert. de Babrio p. 25. Edit. Lond. Etsi Tyrwhittus argumentationem Bentleji, ne Socratis quidem aetate scriptas Aesopi fabulas exstitisse, statuentis, recte refutarit, tamen non effecit, eas, quae tum libris continerentur, ab Aesopo ipso vel compositas fuisse, vel conscriptas. Erat jam isto tempore in more positum, primario auctore tribuere, quicquid alii in hoc genere commentati essent, id quod docet Archilochi fabula de Aquila et Vulpe

las, soluta oratione scriptas, reliquisse n). Etsi vero dubitari nequit, genuinas Aesopi fabulas, siue ore traditas, siue jam collectas sciuisse, aut habuisse Aristophanem, Platonem et Aristotelem o); inde tamen non potest colligi, Aesopum ipsum litteris mandasse fabulas suas, obseruante *Lessingio* p). Ceterum quae hodie sub Aesopi nomine circumferuntur fabulae, eas non ita esse profectas dictasque ab Aesopo, jam diu agnouerunt viri docti. Planudes enim, monachus Constantinopolitanus, saec. XIV. eas ex reliquiis fabularum, Aesopo attributarum, compilasse et ordinasse creditur. Paullo aliter tamen sentit cl. *Jacobs*, elegantissimus auctor dissertationis de *Graecis fabulatoribus*, quae exstat in libro ante citato q): in quo de natura et indole, origine et fatis fabularum Aesopiarum disputatur doctissime. Vtrum autem Phaedrus fabulas

---

apud Aristophan. Av. 652. vbi v. Schol. *Huschke* in Diss. de Fab. Archilochi p. 7.

n) *Gellert.* de Poësi Apologor. p. 29. „si testimonio, *inquit*, Aphthonii (in Praeexercitt. de Fab.) τὸν Αἴσωπον — συγγράψαι τὰς μύθους, fidem adhibemus, Aesopus ipse fabulas suas conscripsit.“ Sed vid. Gataker. l. c.

o) Vide e. c. Aristophanes. *Aues* 470. *Vesp.* 1392. *Pac.* 129.

p) In Dissert. *zur Geschichte der Aesopischen Fabel* p. 220.

q) *Charaktere der vornehmsten Dichter aller Nationen* F. V. P. II. p. 281. sq. Non est praetereunda hoc loco conjectura v. cl. *Heeren*, litteris mandata in libro praeclaro et erudito, qui inscribitur: *Geschichte des Studiums der classischen Litteratur seit dem Wiederaufleben der Wissenschaften* T. I. p. 253. „Maximus Planudes, *inquit*, wurde von Andronicus dem ältern 1327 als Gesandter nach Italien geschickt und lebte noch nach 1352. Sein Aufenthalt in Italien verschaffte ihm die Bekanntschaft mit der Römischen Litteratur. Er übersetzte Schriften des Cicero, des Caesar, des Ovid. Cf. Fabric. X. p. 533. *Und so könnte sein Aesop auch wohl eine Uebersetzung des Phaedrus gewesen seyn.* Quae conjectura est parum probabilis. Vt enim omittam, ne vnicam quidem fabulam in Collectione fabularum Planudea inveniri, quae ipsum Phaedrum habet auctorem, non pauca in fabula graeca alio modo narrantur, atque apud Phaedrum invenias exposita. Quae docent, vix statui posse fabulas Phaedri a Planude graece versas esse; vt taceam de aliis.

Aesopi per traditionem, an ex ipso Aesopi libro acceperit, incertum r).

Excursus II.

Ad Libri I. Fabulam I.

Vs. 3. 4. Sunt, qui jungant *fauce improba intulit caussam jurgii*, vt *fauce* ponatur pro ore, voce, clamore. Sic Grunerus in Spicil. Observatt. ad Phaedr. laudans Ovid. Met. VIII. 703. et Virgilii *vox faucibus haeret*; quae loca vix probant Latinitatem hujus loquendi formulae. Harius τὸ *fauce improba* itidem connectit cum *intulit*; *incitatus* vero refert ad citum gressum, quo lupus currat *). Cujus placita nouis firmat argumentis *Cary* in *Critical Remark upon a passage in Phaedrus* in *Memoirs of Litterature* 1726 m. Maji. Putat autem, *incitatus* idem hoc loco esse, quod *incitus*, et indicare, lupum repente ad agnum adsiluisse; Phaedrum eodem modo *ore* seu *voce* dicere potuisse, quo dixit *fauce improba;* sed posterius atroci lupi facinori visum accommodatius. Praeterea agnum procul abfuisse a lupo, (*longe inferior*) et si *incitatus* non eo sensu capiatur, quo ipse vult capi, intelligi non posse, qui fieri potuerit, vt agnus lupum audiret loquentem. Fac enim, lupum in suo loco, procul ab agno, constitisse, hunc, nullo dato responso, fuga salutem esse petiturum. Cf. *Leipz. neue Zeit.* von *Gel. Sach.* ann. 1728. Nr. 13. p. 125. Sed vix credibile, *fauce* dixisse Phaedrum pro *ore*,

---

r) Cf. ill. *Harlesius* ad *Fabricii* B. G. T. I. p. 625. sq. Cl. *Meiners* Geschichte der Wissensch. in Griechenland und Rom. T. I. p. 70. Catal. Bibl. ill. Com. *Telcki de Szek* P. I. p. 7. Cl. *Beck* ad *Aristoph.* Aves vs. 470. *Bentleji* Diss. de Fabulis Aesopi, in Ej. Opusc. Philol. p. 72. sqq. Edit. Lips. Adde *Gellertum* de Poësi Apologor. et eorum Scriptoribus, p. 28. sqq. et Aegid. *Menagium* in Obseruatt. ad Diog. Laërt. p. 44.

*) Vid. *Schirachii* clavis P. I. p. 134.

seu *voce*, cum istud vocabulum sensu memorato in priscis scriptoribus non occurrat, vt Lexica docent. Deinde agnus non tam procul a lupo stetisse putandus est, vt hunc audire non potuerit vociferantem. Lupus denique, inter rixas, citato gradu, paullatim praedae accedens propius agnum correptum lacerauit. Quae vero breuitatis studiosus poëta ex parte omisit.

Cl. *Jakob* interpretatur *incitatus*, incitato impetu, *hastig, auffahrend*; sed *fauce improba*, improbe: vt mox *injusta nece* pro, injuste, quod recte rejiciunt Censores docti in *ALZ* ann. 1785. II. 281. item in *Ephem. Litter. Gothan.* 1785. p. 411. nec non Cl. *Schulze*. Vid. Ej. *Anmerk. zu Phaedri Fabeln*, p. 6. Nam et sic τὸ *fauce improba* jungendum cum *caussam intulit*, et capiendum pro *voce*, seu *ore*, quod diceretur sine exemplo.

Ex quo intelligitur, quanto fallatur opere cl. *van Bergen* in Crit. Obseruatt. C. XXIII. p. 51. scribens; „Omnes eas voces (*fauce improba*) cum participio *incitatus*, nemo, quantum noui, cum verbo *intulit* conjungendas putauit, quod si fecissent, cuncta forent expedita, neque emendatione opus esse sensissent.“ Vir doctus autem hunc locum ita interpretatur: Lupus et agnus venerant ad eumdem riuum . . . latro incitatus (opportuna occasione agnum opprimendi) improbo ore intulit caussam jurgii. In quo nihil e se putat, quod quisquam jure reprehendat. *Incitatus* enim saepe solum, sine addita incitationis caussa, occurrere, atque in nomen adjectiuum degenerare, quod multis veterum scriptorum exemplis probat. Sic occurrere *incitatus miles*, *equus*, *gradus* cet. de quibus vid. lib. cit. Deinde, sicut homines *ore* pio, placido, quieto, mendaci, impio loquuntur, ita lupum *fauce* improba jurgii caussam intulisse. Vt vero probet Latinitatem τοῦ *fauce* pro *ore*, adducit loca Ovidii Met. II. 283. *Vix equidem*, fauces *haec ipsa in verba resoluo*, et L. VI. 355. *et* fauces *arent*, *vixque est via vocis in illis*. Laudat etiam Virgilii *vox* faucibus *haesit*. *Improbus* hic esse *impudenter mendax*, vt L. I. F. XXII. 9. etsi non neget, lupum hoc in loco etiam respectu injustitiae improbo ore locutum dici; Phaedrum enim nominare necem agni *injustam*, et cum etiam *fictarum* caussarum mentionem faciat, haec innuere mendacium impudens. Quae vero etsi erudite exposita sunt omnia, ego tamen huic interpretationi nollem accedere; cum e locis memoratis probari quidem possit, fauces viam esse vocis, adeoque ad loquendum non plane inutiles,

sed non ostendi, *faucem* significare posse ipsum *os*, *vocem*. Itaque Phaedrus *improba fauce* pro, improbo ore, sine exemplo dixisset. Quare adquiesco in interpretatione, quam supra dedi, et quae poëticae rationi et genio linguae Latinae videtur esse accommodatior. Solet enim *hoc nexu* plerumque ad verbum *incitare* incitationis caussa addi, et durum sane videtur, subintelligere, *opportuna occasione agnum opprimendi.*

Vs. 6. ad v. *istam.* Disputant, an haec vox δεικτικῶς capienda, an per *hanc* explicanda sit. Posterius placet Bentlejo, *Ramlero* *), Cl. *Schulzio* **), Censori denique erudito in Bibliotheca Vniuers. Germ. ***), vbi haec leguntur: Nach dem ganzen Zusammenhang ist es offenbar, daſs *istam* hier würklich statt *hanc*, wie oft bey vielen andern Schriftstellern, stehet, und also die Gegend, wo der Wolf trank, bezeichnet werde. Denn sonst päſste die leugnende Antwort des Lammes (Vs. 7.) durchaus nicht. Der Wolf beschuldiget, freylich fälschlich, das Lamm: du machst mir *dieſs* Wasser, dieses, welches ich trinke (*mihi bibenti*) trübe. Nun konnte das Lamm mit Recht fragen: wie kann ich das? aber nicht mit Recht, wenn das *istam*, wie Burmann will, zu verstehen wäre. Denn daſs es jene Gegend des Wassers, wo es selbst trank, trübe mache, konnte es nicht leugnen.“ Huic adsentit cl. *Lange* Prolegg. ad Phaedrum p. XVII. sq. Sed in Graeca Aesopi fabula ****) diserte dicitur: τȣ̃ δὲ (ἄρνος) λέγοντος, τοῖς ἄκροις χείλεσι πίνειν, καὶ ἄλλως ȣ̓ δυνατὸν αὐτȣ̃ ἑστῶτος κάτω, ἐπάνω ταράσσειν τὸ ὕδωρ. Quodsi igitur fingas, agnum stetisse ad ripam riui non in media aqua, sensus verborum hic fere est: Ego summis tantum bibo labris; itaque non facere possum, quod quereris, lupe. Praeterea (ἄλλως) fieri nequit, vt aquam superiorem turbulentam faciam, cum stem inferior, et a te decurrat ad meos haustus liquor. Hisce positis, vtique agnus jure interrogare poterat lupum: qui possum quaeso facere, quod quereris? Quae docent, non ineptam esse agni responsionem, etiamsi τὸ *istam* capiatur δεικτικῶς. Alia res esset, si

*) Vid. *Einleit. in die S. W.* T. I. p. 300. Edit. III.

**) *Anmerkk. zum Phaedrus* p. 7.

***) T. XLV. p. 169.

****) Vid. F. CCXXXIII. Aesopi in Mythol. Aesop. Nevelet. p. 275. et F. CCXXX. Ed. Hauptm.

agnus, media in aqua stans, fundum tegisset riui. Quae cum ita sint, accedo Burmanno, hanc in rem scribenti: „lupus, quaerens et inferens caussam jurgii, non dicit, agnum aquam superiorem, ad quam stabat lupus, i. e. *hanc*, turbulentam facere, sed *istam* inferiorem, quam monstrabat agno. Si enim *hanc* dixisset, debuisset agnus, stans inferius, superiorem turbare aquam. Quare agnus calumniam facile refellit, qui possum, inquit, lupe cet. *Nam licet jam turbulentam fecissem inferiorem, non tamen superior inde turbida posset esse*, quia a te decurrit ad meos haustus liquor, i. e. aqua liquida, vt L. I. F. XII. 4. Lupus ergo *istam* dicendo, inferiorem, spatio distante, demonstrat, et *iste* demonstratiue sumi apparet ex L. III. F. VI. 5. et Fab. VIII. 16. es aliis locis.“ Vide tamen, quae supra notamus ad Vs. 6. Ceterum non assentiendum est Grunero, qui l. c. lupum censet loqui de superiori aqua, ad quam stetisse eum Phaedrus narrat; etsi τὸ *istam* δεικτικῶς capiat: fingit enim propius accessisse lupum ad agnum, inferiorem stantem, et dixisse: *cur turbulentam fecisti mihi istam bibenti?* Nec placere potest conjectura Cl. Schulzii l. c. p. 8. cf. *Lange* l. c. p. XVIII.

Excursus III.

Ad Libri I. Fabulam II.

Vs. 1. *Aequis legibus.* De aequis Graecorum legibus singularis exstat libellus, auctore Andr. Ludov. *Koenigsmanno*, sub titulo: Disquisitio critica; *aequae leges* quid? apud Phaedrum a). Aequas leges Graeci dixerunt ἰσονομίαν b), ἰσοπολιτείαν c), ἰσηγορίαν d); Romani jus aequabile e), *aequum*

a) Exstat in *Hamburg. verm. Biblioth.* Vol. II. P. IV. p. 698.

b) *Herodot.* L. III. Cap. 80.

c) Diog. *Laërt.* Epist. Solon. ad Pisistr. p. 41. Edit. Meibom.

d) *Demosthen.* Or. Fun. ἐκ ἠγνόυν Αἰγεῖδαι, Θησέα τὸν Αἰγέως πρῶτον ἰσηγορίαν καταστησάμενον τῇ πόλει.

e) *Cic.* de Inv. L. I. C. 2. 53.

jus f). Jam olim aequum jus in ciuitate Atheniensi instituit Theseus, vt multis ex *Plutarcho* g), *Demostheno* h), aliis, probat *Meursius* i). Factum hoc post expeditionem Thesei Creticam, qua fundamenta jacta fuisse videntur ordinandae Atheniensium reipublicae. Praeclara enim Cretensium instituta, apud quos etiam aeque florebant leges k), Theseus ad Athenienses transtulit l). Cum institutione Democratiae, a Theseo Athenis facta, abdicato regno, constituta quoque est Atheniensibus aequabilis reipublicae administratio, quam ad Pisistrati tempora mansisse ex Pausania docet laudatus *Meursius* m); etsi etiam Solon eam renouauerit, teste *Seneca* n). Naturam legum aequarum erudite explicauit *Koenigsmannus*, e cujus libello, supra memorato, paucula, quae illustrando huic loco inseruire possint, excerpemus; maxime cum haec dissertatio non sit in manibus omnium. „Floruit, *inquit*, respublica Atheniensis post reges, qui cum Codro desierant, imperio populari, vbi archontibus perpetuis constitutis, qui jus dicentibus praeessent, summa rerum populus potiebatur vniuersus. Huic autem quae qualesque conueniunt leges, vnus jam eloquatur Aristoteles o): *ἴσον φησὶν ὁ νόμος, ὁ τῆς δημοκρατίας, τὸ μηδὲν μᾶλλον ὑπάρχειν τὰς ἀπόρας ἢ τὰς εὐπόρας, μηδὲ κυρίας εἶναι ὁποτερασοῦν, ἀλλ᾽ ὁμοίας ἀμφοτέρας· aequum pronuntiat lex imperii popularis, non plus esse pauperes, aut diuites;* **nec alter-**

---

f) *Senec.* Ep. 90. *Solon, qui Athenas* aequo jure *fundauit.*

g) *Thes.* p. 23. Edit. *Bryani*; p. 60. sq. Edit. *Leopold.* ἔτι δὲ μᾶλλον αὐξῆσαι τὴν πόλιν βουλόμενος ἐκάλει πάντας ἐπὶ τοῖς ἴσοις· (omnibus jus aequalitatis proposuit.)

h) Vid. Loc. paullo ante Not. d. citatum, vbi vocabulum ἰσηγορία verti debet *aequum jus.*

i) Cf. Ej. *Theseus*, C. XVIII.

k) *Gillies* Gesch. von Altgriechenland T. I. p. 38. Lips. 1787. 8. maj.

l. Id. l. c. p. 38. 39.

m) Vid. Ej. *Theseus*, Cap. XVIII. coll. *Pausan.* in Attic. Cap. III. p. 12. ex Edit. Cl. *Facii* et *Plutarch.* Thes. p. 61. Ed. Leopold. Democratiae institutionem, a Theseo Athenis factam, videtur etiam innuere Homerus, qui Il. β. 547. sqq. in Catalogo navium auxiliarium solos Athenienses *populum* vocat. Sic statuit Plutarchus loco hac nota citato.

n) Vid. loc. *Senec.* Not f. cit.

e) Polit. L. IV. Cap. 4. p. 236. Edit. Conring. Helmst. 1656. 4.

utros plus posse, sed vtrosque esse aequales. Habes aequas leges, quibus vsque ad Pisistratum floruere Athenienses, vbi pares in oneribus ferendis, in fruendis beneficiis, in imperio administrando fuere omnes."

Porro ex natura legum status popularis, quali regebantur Athenae ante occupatam a Pisistrato arcem, auctor ostendit, quo sensu *aequae leges* apud Phaedrum capiendae sint. „Ibi, *inquit*, sane jus, vel vt Aristoteles loquitur p), δίκαιον est τὸ ἴσον τοῖς ἴσοις, aequalitas inter aequales: αἱ γὰρ δημοκρατούμεναι πόλεις δοκοῦσι διώκειν τὴν ἰσότητα μάλιστα πάντων, *ciuitates, quae populariter reguntur, aequalitatem maxime omnium captant*, vt idem ait alibi q). Vnde et ab Atheniensibus ostracismus repertus est, vt, qui antecellere alios videbantur vel opibus, vel amicis, vel honoribus, vel alia ciuili eminentia, ii, velut molestiores reipublicae, ad tempus extra ciuitatem relegarentur. Distinctius hoc ipsum Aristoteles Lib. VI. explicat *Politicorum* r) et quod jus popularis regiminis sit, το ἴσον ἔχειν (ἅπαντας) κατ᾽ ἀριθμὸν, ἀλλὰ μὴ κατ᾽ ἀξίαν, *aequum habere numero, non dignitate*, et quomodo hoc obtineatur, vt honeste viuere omnes pro arbitrio suo possint. Vndecim eo nomine instituta enumerat, seu δίκαια δημοτικὰ, quorum primum est, omnibus ciuibus potestatem concedere, eligendi magistratum ex omnibus ciuium ordinibus; alterum, omnibus ciuibus jus esse per vices imperare et parere, quo omnibus pateat aditus ad honores; tertium, magistratus omnes non per suffragia, sed per sortem eligere, exceptis iis, in quibus administrandis singularis prudentia et experientia requiritur; quartum, nullos magistratus ex censu, nisi forte admodum exiguo, alicui demandare; quintum, nullum magistratum eidem saepius committere; sextum, nemini magistratum nimis diu concedere, excepto bellico; septimum, judices ex omnibus ordinibus deligere iisque potestatem judicandi de omnibus, aut saltem de grauioribus rebus, tribuere; octauum, penes concionem populi, hoc est, penes senatum, qui ex vniuerso populo electus est, summam esse auctoritatem deliberandi et decernendi de rebus grauioribus, ad rempublicam per-

p) Polit. L. III. c. 9.
q) Polit. III. 13. L. III. C. 9. pag. 190.
r) Cap. 2. p. 390.

tinentibus; ceteris vero magistratibus non nisi de rebus minoribus aliquid statuendi potestatem permittere; nonum, mercedem aliquam, siue sportulas dare omnibus, qui publicis concionibus, judiciis et deliberationibus intersunt, vt eo frequentiores conueniant; decimum, homines obscuros, ignobiles, pauperes, et sordida opificia exercentes non plane a publicis honoribus et officiis excludere; vndecimum denique, nullum magistratum debere esse perpetuum: sic enim plures ad istos honores poterunt peruenire, et praecidetur iis, qui magistratum aliquem gerunt, occasio, auctoritate sua et potentia aduersus rempublicam abutendi. Hae sunt aequae illae leges, quibus respublica floret popularis, qualem Atheniensium illam diximus fuisse".

Vs. 4. 5. Historiam istius temporis vberius enarrant: *Herodotus* s), *Diodorus* t), *Valerius Maximus* u), *Plutarchus* x), *Aelianus* y), *Justinus* z), et ex his omnibus *Meursius* a). Hic breuiter dabimus, quod illustrando huic loco inseruire possit, delegantes lectores, quorum interest, ad scriptores memoratos. Sedato nimirum Cylonio tumultu, Athenis propter constituendam rempublicam noui populi motus facti sunt, ita quidem, vt vrbs in tres diuideretur factiones, Diacrios, seu Hyperacrios, Pediaeos et Paralios, i. e. montanos, campestres et littorales. Diacrii studuere Democratiae; Pediaei Aristocratiae; sed Paralii flagitarunt constitutionem reipublicae mixtam, quae esset medium inter Aristocratiam et Democratiam. Obstitere autem Paralii, quo minus vincerent vel Hyperacrii, vel Pediaei. In turbulento isto rerum statu Athenienses petiere a Solone, vt dirimeret controuersias. Qui cum leges sanxisset, iter fecit ad decem annos. Absente Solone respublica Atheniensium iterum in diuersas scissa est factiones, Diacriorum, seu vt *Herodotus* appellat b), Hyperacriorum, Pediaeorum et Paraliorum. Istis praefuit Pisistratus; illis Lycurgus; his Megacles c), Alcmaeonis filius. In Hyperacriis erant homines ca-

s) L. I. C. 59. sqq. p. 27. sqq. Edit. Wesseling.

t) L. XIII. C. 95.

u) L. I. C. II. Ext. 2. L. VIII. C. IX. Ext. 1.

x) In Solone C. XIII. XXIX. sqq. p. 211. 236. Ed. Hutten.

y) V. H. L. VIII. C. XVI.

z) L. II. Cap. VIII. Adde *Polyaen.* C. XXI. 11.

a) In Pisistrato. Cap. III. L. I.

b) L. I. Cap. 59.

c) *Herodot.* l. c. *Plutarch.* Vit. Solon.

pite censi, egestate infensi diuitibus et ad facinus quoduis promti d). Quibus cum subuenire se Pisistratus velle ac propugnare contra opulentiores simularet; eorum opera, oppressis ceteris, rempublicam inuasit isthoc modo. Cum se ipse ac mulos suos vulnerasset, acto in forum vehiculo, tamquam ex hostibus elapsus, quem rus proficientem illi interficere voluissent, orauit populum, vt concederet corporis aliquot custodes. Erat in magna existimatione, et Megarensi expeditione *) aliisque rebus gestis clarus. Itaque permotus populus gloria viri et injuria, vt putabat, quicquid obloqueretur Solon e), dedit custodes, clauis non hastis armatos, quibus munitus arcem cepit et rempublicam f). Quae confirmat *Justinus* g), qui haec memoriae prodidit: *Pisistratus — tyrannidem per dolum occupat: quippe voluntariis verberibus domi affectus, lacerato corpore, in publicum progreditur: aduocata concione, vulnera populo ostendit: de crudelitate principum, a quibus haec se passum simulabat, queritur: adduntur vocibus lacrimae, et invidiosa oratione multitudo credula accenditur: amore plebis inuisum se senatui affirmat: obtinet ad custodiam corporis sui satellitum auxilium: per quos occupata tyrannide per annos XXXIII. regnauit.*

Vs. 5. *Arcem occupat Pisistratus.* Cum Aesopi mors ab Eu-

---

d) *Plutarch.* l. c.

*) De qua vide *Justin.* L. II.

e) Varie quidem obnixus Solon libertatem reipublicae tuebatur; sed conatus, praeualente jam Pisistrato, frustra fuit. Ac initio per blanditias priuatim ipsum compellatum dimovere de proposito animum induxit. Sed priuatim per blanditias postquam nihil profecisset, etiam publice se opposuit. Inde lorica armatus clypeoque pro concione adhortari populum ausus es, ne desereret libertatem; se suppetias laturum. Hoc est, quod Valerius Maximus dicit L. V. Cap. III. *Pisistrati tyrannidem primus Solon vidit orientem, et solus, armis opprimi debere, palam dictitare ausus est.* Cum vero nec sic proficeret, positis ante curiam armis: ego, inquit, quantum potui, patriae et legibus opem tuli. Ergo Athenas sic Pisistratus subegit, sed non semper eas tenuit. Bis ejectus tertium cum subjecisset, ita demum porro in potestate habuit. *Meursius* in Pisistr. C. III. ex Plutarch. Solon. Diog. Laërt. in Vit. Solon.

f) *Herodot.* L. I. C. 59. *Aelian.* l. c.

g) L. II. C. VIII.

sebio et Suida ad Olymp. LIV. referatur; et viri docti, maxime Fabricius, contendant, Pisistratum Olymp. LV. 1. primo tyrannidem occupauisse Athenis a); Phaedrus autem testetur, occupata arce, fabulam de ranis, regem petentibus, ab Aesopo esse narratam: factum est inde, vt hic Phaedri locus de tempore, quo Aesopus fabulam fecisse dicitur, viros doctos sollicitaret. Vario autem modo se expedire conati sunt. *Corsinus* b) Fabricii dubitationem ita tollere studet: „obseruari, *inquit*, facile poterit, subdolos ac audaces illos Pisistrati conatus longe maturius incepisse; et quamuis ille aperte violenterque tyrannidem postremo solum hujus Olympiadis (LV.) anno occupauerit, ipsius tamen artes atque insidias ab Aesopo superiori quoque Olympiade taxari potuisse." Ad quae cel. *Harlesius* c) obseruat: „Corsinus incerto dubioque Eusebii testimonio omnem tribuit fidem. Enimuero si Phaedri ratio constat, Pisistratum, is affirmat, arcem cepisse et Atticos tristem fleuisse seruitutem, cum Aesopus illam fabellam retulisset. Quare Eusebium in anno mortis errasse, et Aesopum, cum Pisistratus occupasset tyrannidem, adhuc in viuis fuisse crediderim." Contra *Bruckerus* d) hanc Phaedri narrationem de Pisistrato ad fabulas refert; *Dominicum* vero *Vallarsium* e) hic Phaedri locus ita vexauit, vt expedire se nesciret. Ego quidem accedo Meursio, qui probat **) ex *Anonymo* in Descript. Olymp. *Clemente Alexandrino* f) et *Tatiano* g), Pisistratidarum

---

a) *Fabricii* B. G. Vol. I. p. 619. Edit. Harles. Cui assentit *Bruckerus* in Histor. crit. Philos. Vol. I. p. 455.

b) Fast. Att. T. III. p. 93.

c) Ad *Fabricii* B. G. l. c.

d) Histor. crit. Philosoph. Vol. I. p. 455.

e) Ad Chronicon Eusebio-Hieronymianum p. 474. Edit. Venet. Opp. Hier. T. VIII. P. I.

**) v. *Meursii* Pisistr. C. III.

f) Stromatum L. I. In ejus Opp. T. I. 397. Edit. Potter. Oxon. 1715. f. Ναὶ μὴν Ὀνομάκριτος ὁ Ἀθηναῖος, ȣ̃ τὰ εἰς Ὀρφέα φερόμενα ποιήματα λέγεται εἰναι, κατὰ τὴν τῶν πεισιστρατιδῶν ἀρχὴν, περὶ τὴν πεντηκοστὴν Ὀλυμπιάδα, εὑρίσκεται.

g) Orat. ad Graecos p. 138. Edit. Worth. Oxon. 1700. 8. Ὀρφεὺς δὲ κατὰ τὸν ἀυτὸν χρόνον Ἡρακλεῖ γέγονεν ἄλλως τε καὶ τὰ εἰς ἀυτὸν ἐπιφερόμενά φασιν ὑπὸ Ὀνομακρίτȣ τȣ̃ Ἀθηναίȣ συντέταχθαι, γενόμενȣ κατὰ τὴν τῶν Πεισιστρατιδῶν ἀρχὴν, περὶ τὴν πεντηκοστὴν Ὀλυμπιάδα.

principatum fuisse circa L. Olympiadem. Sic enim constat et Phaedri ratio, et Eusebii testimonium. Sed et alio modo iste scrupulus tolli potest, si cum Larcherio (*Larcher*) mortem Aesopi ponas in annum a. C. N. 560. Olymp. LIV. 4. mense XI. aut XII. anno periodi Julian. 4154. et Pisistratum statuas Olymp. LIV. 4. mense septimo, seu primo mense anni ante C. N. 560. summa rerum esse potitum h). Sed mallem prius.

Vs. 12. *Vi.* In MSS. Pith. et Rem. legitur *vt compesceret,* teste Gudio Not. ad L. I. F. XI. Sic edidit Nevelet. qui tamen Cod. Pith. *vi* habuisse contendit in Not. ad h. l. Sic Rigaltius in Edit. I. Sed recte reposuerunt viri docti *vi*. Saepius enim *vi* cum *vt* permutasse librarios, nota res. Cf. Burm. ad h. l. et Gudius l. c. At *Vlit.* ad Grat. Cyneget vs. 240. p. 196. e Cod. Pith. legi jubet: *Qui dissolutos mores vt compesceret.* Marcil. vero ad Hor. I. Epp. 3. conjicit, *mores iis compesceret.* Ceterum Rigaltius in Edit. I. hunc versum loco suo mouit, et post vs. 22. inseruit, improbante Meursio et aliis, laudante vero Barthio L. XLVII. Adv. C. 10. et in ipsa Editione sua collocante Hoogstratano. Sed ostendunt Nevel. et Burmannus, summo jure locum suum tueri posse. Quae confirmantur verbis Anonymi Nilant. F. XXI. et Romuli L. II. F. I. Apud illum enim legitur: *Ranae vagantes in liberis paludibus, clamore regem petierunt a Joue, qui dissolutos mores earum compesceret*; apud hunc: *petierunt sibi rectorem, qui errantes corrigeret.* Sed ipse Rigaltius in Edit. II. versum inseruit post vs. 11. Heinsius more suo conjicit: *sibi dissolutos mores vt* (vel *qui*) *compesceret.* Frustra.

Non alienum visum est, huic Excursui subjungere judicium *Lessingii* f) de hac fabula: „Die Fabel, *inquit*, an sich ist gut erzählt. Aber die Gelegenheit, die Phaedrus dazu er-

---

h) v. *Larcher* in Chronol. Herodot. p. 526. sqq. Vol. VI. Vers. gall. Herodot. *Idem* tamen p. 567. l. c. ponit annum, quo Aesopus cum Solone rem habuit, in annum Periodi Julianae 4145. Olymp. LIII. 4. ante C. N. 569. V. C. 185. cf. *Harles.* ad Fabric. B. G. Vol. I. p. 618. sq.

f) Vid. Ej. libellum, saepe laudatum *zur Gesch. d. Aesop. Fabel.* p. 232. sq.

dichtet, ist nichts weniger als passend. Die Frösche wollten durchaus einen König haben; das wollten die Athenienser nicht. Die Frösche klagten, als sie das Klotz zum König bekommen hatten, nicht, dafs sie einen König bekommen hätten, sondern dafs sie einen so unwirksamen, unthätigen König erhalten hätten. Im Griechischen ist die Gelegenheit nicht, bey welcher sie Aesopus soll erzählt haben. Nach der Application des Phaedrus liegt in dieser Fabel weiter nichts, als das *minimum de malis*, welches Tan. Faber auch zur Aufschrift gemacht hat. In der Griechischen Fabel hingegen liegen zwey weit gröfsere und kühne Wahrheiten: 1) die Thorheit überhaupt, einen König zu haben; der Grieche nennt es *τὴν εὐηθέιαν*, eine ehrliche Dummheit, eine gut meinende Einfalt; 2) die Thorheit, nicht mit einem schlafrigen, unthätigen König zufrieden zu seyn, einen grofsen anschlagischen Kopf auf den Thron zu wünschen, *ἀναξιοπαθοῦντες τοιοῦτον ἔχειν βασιλέα*, sie hielten es sich für eine Schande, für etwas, das mit ihrer Ehre stritte, einen solchen König zu haben.“

Excursus IV.

Ad Libri I. Fabulam III.

Hanc Phaedri fabulam aptius fictam esse fabulis graecis Aesopi et Aphthonii, docet cl. *Jacobs* in Observatt. in Phaedri fabulas, vbi vide. Compara *Aesopi* Fab. 191. in Mythol. Aesop. Nevelet. p. 243. quae est F. 188. Edit. Hauptm. et Ernest *Lessingii* L. II. F. VI. *Gleimii* L. II. F. XVIII. Paullo aliter tamen judicat *Lessingius* g), qui nescio an recte, reliquis praefert *Aphthonii* h). „Pulcritudinis erat certamen, et ad Jouem, vt disceptaretur haec controuersia, omnes iuerunt volucres: ac Mercurio quidem diem praefiniente, fluuiosque et lacus omnes petiere, deformibusque pennis abjectis, elegantiores nitidabant. At cum a natura decoris nihil haberet Graculus, quae reliquis exciderant, inde se ille exornauit. Sola tamen noctua, cum nosset id quod suum erat, a gracula auferebat, ac vt reliquae

g) L. c. p. 234. sq.

h) Vid. *Ejusd.* Fab. XXXI. p. 144. quae exstat in Edit. Hauptm. (p. 346. Mythol. Aesop. Nevel.)

idem facerent, persuasit. His autem ab omnibus ita exutus graculus nudus omnium venit ad judicium Jouis." Habes quoque fabulam apud *Libanium*; v. Edit. Hauptm. p. 310. *Anonymum Nilantii* F. XXVI. *Anonymum Neveleti* F. XXXV. *Romulum* Divion. et Ulmens. L. II. F. XVI. et *Ignatium* s. *Gabriam*, vulgo sic dictum i), qui fingit, graculo, alienis plumis amicto, primum hirundinem eripuisse quod dederat. Hirundinem secutas reliquas aues. Eamdem fabulam exhibet *Nicephorus Basilaces*, ab Allatio in *Excerptis variis Graecorum Sophistarum ac Rhetorum*, editus Rom. 1641. 8. maj. vbi vide Μυϑ. 5. p. 134. sed qui ambitione ductum Graculum, vt regnum obtineret in Aues, se exornasse fingit, et, cum creatus esset rex, demum fuisse spoliatum k). Atque etiam Rigaltius testatur, inueniri fabulam apud *Theonem* Sophistam F. III. *Camerarium* F. de Monedula et Columbis; *Theophylactum* l), cujus fabulam Rigaltius inseruit notis suis. Sunt denique ex veteribus multi, qui ad hanc fabulam alludant, vt *Tatianus* in Or. ad Graecos; *Lucianus* in Apolog. pro mercede conductis, et in Pseudologista; *Themistius* in Oratione XXIV. alii. Vid. cl. *Ernesti* ad Aesop. p. 141. et supra ad vs. 8. huj. fab. Equidem cum Burmanno putauerim, Phaedrum plagiarios carpere voluisse. Fuerunt enim, vt supra conjeci in Vita Phaedri e L. III. F. XIII. qui fabulas, a Phaedro scriptas, sibi vindicarent. Displicet autem Schefferus, qui vult notari Sejanum, statuens, fabulam manifestum continere augurium de futuro Sejani casu, quem haud secus ac graculum omnes ob fastum intolerabilem olim essent deplumaturi.

Excursus V.

Ad Libri I. Fabulam VI.

(a)

Ad vs. 8. Burmannus ad vocem *emori* h. v. haec notat: „Non mutarem, quia composito verbo *exurit* eleganter ejus-

---

i) Vid. Ej. Fab. XXVI. in Nevel. Mythol. Aesop. p. 369.

k) Cf. Not. Burm. ad hanc fabulam.

l) Vid. Ej. Ep. XXXIV. Themistocles Chrysippo; in Ej. Opp. p. 91. Edit. And. *Schotti* 1599. 8. Ex offic. Commel.

dem notae verbum *emori* subjicitur, cujus vis, vt mortem, saepe subitam, per pestilentiam, aut similes, vt hic, calamitates illatam, et non naturalem, notet, vt contra Capperonerium ostendimus, in Ep. ad eum p. 39." Ita capiunt alii τὸ *emori*, vt vel simpliciter significet, mori ob aridam sedem, vel ita mori, vt nemo maneat reliquus. Sed *Abreschius* m) capit pro *emaciari*, *extabescere*, *angoresque morti similes vsque experiri*, scribens: „quo minus Burmanno, de subita accipienti morte, subscribere possim, illud obstat, quod, si certissimam mortem sibi instare ab vno sole nossent ranae, non fuisset, cur tam anxiis curis implerentur ad rumorem, solem velle vxorem ducere; siquidem a multiplicatis solibus non grauiora sic mala exspectanda erant. Verum si *emori* sumamus pro *emaciari* cet. vita tamen qualicunque frui pergere, merito metuebant, ne, auctis solibus, hac quoque priuarentur." Prouocat autem Abreschius, vir doctissimus, ad Ter. Eun. III. I. 42. *risu omnes, qui aderant, emoriri* et Plaut. Mil. Gl. III. I. 125. *censerem emori*: quibus in locis *emori* hoc sensu legatur, vt sit, vehementiori affectu ita percelli, vt exteriori facie ac signis quibusdam mortuum referas. Quae interpretatio si placeat, locus Phaedri ita verti posset: *wir armen Thiere müssen in unsern ausgetrockneten Wohnungen in einer steten Todesangst seyn. Was will es werden* cet. Sed videant doctiores, an *emori* significare possit, *angores morti similes experiri.* In locis enim, quae laudat Abresch. *emori* capi potest pro simplici mori. Quid enim in loco Terentii *risu omnes, qui aderant, emoriri,* aliud est, quam, *alle Anwesende hätten sich zu Tode lachen mögen.* Sic etiam *censerem emori* apud Plautum verti potest, *ich dächte, ich wäre des Todes.* Compara supra Notas ad h. v.

(b)

Hanc fabulam primum ex Cod. MS. Bentlejano Aesopi graece edidit Thom. *Tyrwhitt* n). Est autem hujus sententiae: Γάμοι τȣ͂ Ἡλίȣ θέρȣς ἐγίνοντο· πάντα δὲ τὰ ζῶα ἔχαιρον ἐπὶ τȣ́τῳ· ἠγάλλοντο δὲ καὶ Βάτραχοι· εἷς δὲ τȣ́των εἶπεν· ὦ μωροὶ, εἰς τι ἀγάλλεσθε; ει γὰρ μόνος ὢν ὁ Ἥλιος πᾶσαν ὕλην ἀποξηραίνει, ει γήμας ὅμοιον αὐτῷ παῖδα γεννήσῃ, τι ȣ̓ πάθωμεν

m) Misc. Obseru. Vol. VI. p. 284.

n) In Dissert. de Babrio, Londin. 1776. 8. edita.

κακόν. Ad quae haec notauit Anglus: „Fabula haec ex Phaedri versione satis nota est. Graece autem nondum prodiit, nisi inter jambica tetrasticha Ignatii illius Magistri, siue Diaconi, quem Gabriam vocant o). Scriptor ille, qui saeculo nono ineunte floruit, et Babrium, vt verisimile est, in compendium redegit, ne vmbram quidem auctoris sui nobis hic conseruauit. Codex noster multo propius exprimit fabulae Babrianae, conclusionem, quam Suidas paene integram dedit in v. Αὐήνας, auctore non nominato:

Ἐι γὰρ μόνος νῦν λιβάδα πᾶσαν αὐαίνει,
Τί μὴ πάθωμεν τῶν κακῶν, ὅταν γήμας,
Ὅμοιον αὐτῷ παιδιογεννησῃ. (f. ἐπιγεννήσῃ.)

Versus vltimus sic scribendus est ex MS. Suidae Harlejano n. 3100.

ὅμοιον αὐτῷ παιδίον τι γεννήσῃ.

Eodem modo scribitur in MS. Suidae, qui in Collegio C. C. apud Oxonienses seruatur p).“

Excursus VI.

Ad Libri I. Fabulam VII. 1.

De Personis, vulgo Laruis, (graece προσωπεῖον, πρόσωπον, προσωπίς q), μορμολύκειον) erudite exposuerunt: Franc. *Ficoronius* in elegantissimo aeque ac splendido Opere, cujus titulus: Dissertatio de *Laruis scenicis* et figuris comicis Romanorum. Romae 1754. 4. maj. item Christoph. Henr. *de Berger* in docto opere, quod inscribitur: Commentatio de *Personis*, vulgo *Laruis*, seu *Mascheris*. Frcf. et Lips. 1723. 4. vt omittam alios, qui recensentur a Bergero l. c. a. p. 3—8. Iuuabit quoque inspexisse Editiones Terentii Dacierianas, editas

o) Vid. F. 20. in Nevelet. Mythol. Aesop. p. 365.

p) *Tyrwhitti* Diss. de *Babrio* p. 7. Edit. Harles. coll. Auctario, ad calcem Dissert. p. 51. Edit. Londin.

q) *Pollux* in Onomast. L. II. C. IV. δ. 4. et L. IV. C. XVIII. α. 1. P. I. p. 176. et 417. Edit. Hemsterhuis.

Amstelod. 1724. 12. et Amstelod. et Lips. 1747. Tomis III. cum versione Gallica, Laruis Personarum e duobus Codd. MSS. Paris. et Notis; nec non Editionem Terentii, impressam Vrbini 1736. fol. cura Hieron *Maynardi*, cum Personarum figuris e Cod. Vaticano, a Picarto incisis aeri. Quas quidem figuras Bergerus adjecit ad calcem Commentationis suae, vbi vide p. 64. sq. Habes etiam depictas aliquot in veteri triclinio, a Fulvio Vrsino exhibito in Append. ad Ciacconium p. 120. Edit. Sanctandreanae, Sponio judice, mille fere annorum spatium excedente. Hisce adde Not. ad vs. 1. hujus fab. it. *Fabric.* in Bibliograph. Antiquar. p. 845. edit. nov. *Eichstädt*, V. C. de drâmate Graecor. Satyr. p. 81. ill. *Boettiger* in Prolus. de *Personis scenicis*, vulgo *Laruis*, ad Loc. Ter. Phorm. I. IV. 32. qui etiam laudat opera recentiora, antiqua monumenta complexa, vnde hocce caput egregie locupletari possit, simulque obseruat, post *Winkelmannum* in Monîm. ant. inedit. P. I. p. 59. verum Ficoroniani libelli auctorem esse Petr. *Contuccium*. Hic Phaedri locus manifesto docet, *personam* de tegumento et faciei, et capitis omnis, etiam vbi capillatum est, esse capiendam. Quaerebat enim in eo vulpes cerebrum, vt jam olim Burmannus recte obseruauit. Sed etiam in reliquis, quotquot inspexi, locis hoc sensu occurrit. Sic Gellius e Gabii Bassi libris, quos de origine vocabulorum composuit r), haec notat: „caput et os cooperimento *personae* tectum vndique, vnaque tantum vocis emittendae via peruium, quoniam non vaga neque diffusa est, in vnum tantummodo exitum collectam, coactamque vocem, et magis claros canorosque sonitus facit. Quoniam igitur indumentum illud oris clarescere et resonare vocem facit: ob eam caussam *persona* dicta est, *o*, littera, propter vocabuli formam, productiore.“ Atque etiam *Suetonius* s) scribit: *Tragoedias cantauit* personatus, *heroum deorumque, item heroidum ac dearum personis effictis ad similitudinem oris sui et feminae, prout quamque diligeret.* Quibus adjungo locum *Juuenalis* Sat. III. 175. sq. Quia nempe personae hiatu magno patebant necessitate quadam, ne parum vocem emitterent, hinc Juuenalis l. c. *Personae pallentis hiatum in gremio matris formidat rusticus infans.* Cf. Gesner in Thes. L. L. v. *persona.* Etiam Plin. H. N. L. XXV. C. 11. de Lonchite loquens, inesse dicit huic plantae *capitula personis*

r) *Noct. Att.* L. V. C. 7. s) *Ner.* C. 21.

comicis similia. v. Desbillon. E quibus locis luculenter apparet, verbum *personae* soli conuenire faciei. Alia loca, vt chartae parcam, omitto. Nihilo vero secius non pauci sunt, qui existiment, *personam* non solum vultus capitisque tegumentum, sed omnem mimorum et histrionum σκευὴν et habitum significasse. Quorum in numerum praeter alios referendus Ages. *Mariscottus* t), quem sequuntur *Bergerus* u) et *Pitiscus* x). Hisce accedit *Lessingius* y), scribens: *warum* personam? persona *war die ganze* σκευὴ, *die ganze Kleidung des Schauspielers, und hier ist ja nur von der Larve die Rede.* Sed immerito carpitur noster. Exempla enim supra citata probant, personam non significare histrionum σκευὴν, sed Laruam; ne dicam, Mariscotti argumenta neutiquam ad probandum esse idonea, et hunc virum doctum ne vnicum quidem e Latinis scriptoribus locum attulisse, ex quo probari possit, vocem *personae* eo, quo volunt, sensu fuisse vsurpatam. Sed hujus loci non est, hac de re fusius disserere. Verba Phaedri: *o quanta species!* dici in respectu ad externam majestatem, Schefferi est sententia. „Nam augustam, *inquit*, et venerabilem intelligit speciem, quam vt rebus aliis, sic ore vultuque exprimebant in tragoediis, vt in quibus reges aliique viri magni ab actoribus inducebantur.“ Sed haec magis de amplitudine, quam de pulchritudine et externa majestate puto esse intelligenda, quemadmodum recte vidit *Boettigerus*, cujus cum nota ad h. fab. Vs. 1. compara laruam muliebrem apud *Ficoronium* z), ore grandiori, capillamentum habentem, quod ambit caput et speciem quamdam mitrae in fronte repraesentat. Haec quoque capienda pro ornatu altius eminente et in acutum desinente, maxime in personis, seu laruis muliebribus, quem Graeci ὄγκον appellabant, quemque Pollux litterae Λ figuram retulisse scribit; nisi quod Salmasius in Ep. ad Colvium censeat, istud fastigium, in vertice adjectum, non ex crinibus factum, sed ex eadem materia, qua persona constabat, huicque plerumque ipsos crines adhaesisse a).

---

t) De Personis et Laruis C. I. in *Graevii* Thes Ant. Rom. T. IX. vbi vide p. 1107.

u) l. c. p. 14. sq.

x) Lex. Ant. Rom. voc. *Persona.*

y) Zur Gesch. der Aesop. Fabel. p. 240.

z) L. c. tab. XLIII. p. 64.

a) Vid. *Cuperi* Apotheosin p. 82. coll. *Bergero* de Personis p. 67.

Personas a *personando* dictas esse, multi sunt, qui statuant, fulti loco Gellii supra laudato. In hac sententia sunt *Rigaltius* b), *Ramlerus* c), alii d). Aliis magis placet conjectura Vossii, deducentis a πρόσωπον, cui significatio respondere videtur. Nam *pro* et *per* misceri, *Proserpina* declarat, quae Persephone Graecis est e). Ad aetatem, vitae genus, moresque eorum, quos referre actores debebant, accommodatae erant personae, quarum discrimina pulchre exprimit *Quinctilianus* f). Qui primi personati egerint et comoediam et tragoediam, ostendit Jul. Caesar *Scaliger* g), qui ex instituto agit de personis tragicis h). Cui adde *Ficoronium* i), et *Pitiscum* k). Personae repertor, Aeschylus, laudatur ab *Horatio* A. P. v. 278. Ex quo intelligitur, fabulam de Vulpe et Persona tragica ante aetatem Aeschyli non fictam fuisse. Icones personarum, Editionibus Laurentii et Hoogstratani subjunctas, tamquam minus accuratas, perstringit Santoroccus, laudans *Dacieriam* in Praef. ad Terent. vbi vide T. III. p. 27. Edit. 1747. 8.

Ad vs. 2. Carpit haec *la Motte*, Gallus, qui mallet, haec verba dici ab alio, quam vulpe, canens:

Mais il (le renard) n'a plus sa grâce naturelle
Avec la tête sans cervelle.
Son mot est excellent. D'accord
Mais un autre devoit le dire.

Sed non videt *Hagedornius* l), quare vulpes, bestia ingeniosa atque faceta, non ridere possit sensu communi carentes. Cf.

---

b) Cf. Ej. Not. priores.

c) Einl. in die S. W. T. III. p. m. 253. *Alle Spieler spielten verlarvt. Ihre Larven bestanden aus einem ganzen Kopfe, der wie ein Helm gestaltet war, und ein gemaltes Gesicht, Haare und einen grofsen Mund hatte, der so eingerichtet war, dafs er die Stimme gewaltig verstärkte. Daher nennte man sie* persona, a personando.

d) Vid. *Barthii* Adv. Lib. XLVII. C. 10. *Scaliger.* Poët. L. I. C. 13.

e) *Gesner* in Thes. L. L. v. *persona.*

f) I. O. L. XI. C. 3. p. 831. Edit. Gronov.

g) Poët. L. I. C. 14. et 16.

h) L. c. p. 54.

i) L. c. p. 5.

k) L. c. sub *persona.*

l) In Nota ad Fab. suam, *der schöne Kopf.*

tamen, quae ad haec monet *Breitingerus* m). Hisce adde obseruata in libro eleganti et erudito, qui inscribitur: *Charaktere der vornehmsten Dichter aller Nationen.* T. V. Partic. II. p. 284. „Diese Fabel, welche auf ein Wortspiel hinausläuft, ist wahrscheinlich aus einer Vergleichung entstanden. Man mufste leicht darauf fallen, eine ausdruckvolle täuschende Gestalt, den täuschenden Schein der Klugheit, Weisheit und Schönheit, mit einer Maske zu vergleichen, wie die Schauspieler vor- oder eigentlich umnahmen. Eine solche Vergleichung verwandelte man in der Folge in eine Aesopische Fabel, wo man die Hauptperson aufs gerathewohl wählte. Denn wie kam der Fuchs in das Haus des Schauspielers? Was konnte ihn veranlassen, die Geräthschaften desselben zu durchsuchen? Wie kömmt er endlich zu der Bemerkung, welche die Pointe macht? Phaedrus ist einem Theile dieser Schwierigkeiten ausgewichen. Er erzählt ganz kurz: *Personam tragicam forte vulpis viderat: O quanta species, inquit, cerebrum non habet!* Aber auch hier frage ich: Warum mufs es gerade der Fuchs seyn, der diese Bemerkung macht? Würde sie das mindeste verlieren, wenn sie einem Menschen in den Mund gelegt worden wäre?"

Excursus VII.

Ad Libri I. Fabulam XI.

Vs. 6. *Fugientes ipse exciperet.* Locus varie tentatus! MS. Rem. *vt ipse exciperet*; Cod. Pith. *ipse vt exciperet. Hic auriculas*; quam MS. Pith. lectionem dederunt Nevel. Rigalt. in Edit. 2. Vrsinus; sed quae viris doctis metro jambico resultare videtur. Redundat enim vt, et longiorem vna syllaba versum efficit. cf. Brotier. Hinc Wasius de Senar. p. 151. *fugientes ipse vt exciperet: hic auriclas.* Gudius, *fugientes vi ipse exciperet*, qui in defendenda hac lectione longus est; sed notat Burm. *vi* non intrudendum esse, propter locum Cic. III. Cat. 4. *praesto esset ille, qui et fugientes exciperet.* Heinsius cum V. C.

---

m) Cf. Ej. *kritische Dichtkunst.* P. I. p. 240. sq.

Daniel. *vt* putat delendum. Grunerus l. c. p. 13. conjicit, *fugientes ipse vt excipere*, vt subintelligatur *posset*. Heusingerus recte opinatur *), hoc dici: *admonuit asinum*, *vt insueta voce* et in venatu numquam audita, *terreret feras*, quas *fugientes ipse*, leo, *exciperet*. An vero verbis, quae adsunt, id quod auctor voluit, significetur, dubitat, miraturque, cur plana haec facere nemo voluerit. Nam leo asinum *admonuit*, vt *terreret* feras: se vero ipsum fugientes *excepturum* dixit. Ergo *exciperet ipse* probum esse negat. Putat vero, particulas *simul vt*, non diuellendas, sed hoc modo copulandas:

Contexit illum frutice, et admonuit, simul
Vt insueta voce terreret feras.

Hoc est, *admonuit* asinum, *simul ac insueta* ille *voce terreret feras*, *fugientes* sese *excipere*, vel *excepturum* esse. Itaque v. 6. legendus ei videtur: *Fugientes ipsum excipere se*; vel *ipsum excepturum*. Non *ipse*, sed *ipsum* scriptum fuisse, illud etiam indicio esse, quod Neveletus et alii *ipse vt legant*. *Simul vt*, pro *simul ac*, Ciceroni vsitatum esse, notante Hor. Tursellino, cui addit locum Val. Flacci L. V. 549. *excipere* pro *excepturum esse*, aliorum exempla vindicare, quae ipse attulerit ad *Vechneri* Hellenolex. p. 246. Si tamen hoc minus placeat, nihil obstare, quo minus legatur *excepturum*, quod breuiatum mutari potuerit in *exciperet*. Quae emendatio, etsi sensui accommodata, et erudite illustrata, paullo durior et a veteri scriptura nimis longe recedere mihi videtur. Hoc enim modo multa in priscis scriptoribus loca facili negotio sanare possimus. Mea quidem sententia τὸ *simul* rectius jungitur cum *admonuit*. Leo enim contexit asinum frutice, et *simul* admonuit, vt insueta voce terreret feras. Quare si nihil nouandum est, statuendum cum Funccio et Auctore Epistolae ad Amic. p. 5. n), et *terreret* et *exciperet* ab vna eademque particula *vt* regi; *exciperet* vero explicandum, *excipere posset*, quae conjunctiui notio centies occurrit; etsi nec sic locus mihi satisfaciat. Quodsi vero mutatio sit necessaria, Auctor Ep. ad Amic. putat legendum, *fugientes ipse vt exciperet. Auritulus* cet. ita vt ad Lectionem Cod. Pith. *vt* inseratur, *hic* vero omittatur. Sed nollem inui-

*) Vid. Addenda Ej. Editioni Phaedri praefixa.

n) Vid. in Not. Litt. Scriptores Phaedrum illustrantes recentiores.

tis libris deleri *hic*, quod eleganter jungit narrata, maxime cum *vt* absit in Cod. Dan.

Auritulus. Teste Brotierio, in MS. Pith. est: *Hic auriculas Clamorem et subito tollit totis viribus.* Excerpta Rigalt. et Cod. Dan. habent *auriculus.* Hinc locum vario modo sollicitatum constat. Meursius edidit *auriculans*, quasi qui motaret aures, vt luna *corniculans* apud Ammian. Marcellin. XX. 3. quae lectio metro aduersatur. Neveletus, Rittersh. et Rigalt. in Ed. 2. cum Walch. et Gebhard. Crep. III. C. 10. nec non Schirach. V. D. in Clav. P. I. p. 30. legunt *auriculas* et vs. sq. *clamore subito*, nisi quod Schirachius, strenue defendens *auriculas*, malit, *clamorem subitum*, omissa copula *et.* Quae lectio non potest admitti. Docent enim Faber et Burmann. dubium esse, an *tollere auriculas*, pro *erigere*, vel *arrigere* Latine dicere liceat. Deinde duplex ablatiuus illepide videtur dictus, nec venustatem, sed obscuritatem affert sensui. Denique haec lectio vim facit versui. Secundam enim syllabam *auricula* habet breuem. Itaque cum in Cod. Dan. sit *auriculus*; Rigalt. Edit. 3. Faber, Heins. Hoogstratan. alii reposuerunt *auritulus*; etsi haec vox apud Phaedrum solum inueniatur. Sed habet Ouid. VI. Fast. 469. et II. Amor. El. VII. 15. *auritus*, pro asino, adeo vt eadem forma dici possit *auritulus*, qua centies Cicero, Catullus alii dixerunt *barbatulus*, *nasutulus*, *eruditulus*, *politulus*; et *auritulus* vnice verum esse videatur. Nihilo vero secius Brotier. tuetur *auriculas*, et vs. sq. *clamorem et subito.* Putat enim, vel Phaedrum produxisse secundam syllabam in *auriculas*, vt et produxerit in *quotidie* L. II. F. IV. 8. quod etiam Scheffero non displicet; vel geminasse litteram c, vt L. III. F. XVIII. 15. in *reccidat*; vel demum maluisse trochaeum pro spondeo ponere. Sed fac, produci posse syllabam secundam in *auriculas*; Phaedrus tamen peritus latini sermonis non fuisset, si scripsisset, *tollit auriculas* pro, erigit, arrigit. Ex quo intelligitur, quid statuendum sit de emendatione Desbillonii, qui omnes voces Cod. Pith. retineri, et saluo metro, *salua* et *Latinitate*, sic legi posse judicat:

Fugientes ipse exciperet. Auriculas hic et
Clamorem subito tollit totis viribus.

Nam voculam *hic* ante vocalem recte corripi, statuit, vt Virg. Aen. VI. 792. Ne dicam, lectionem *hic auritulus* esse elegantiorem, et ad poëticam rationem accedere propius.

Haec fabula in numero earum habenda, quas in prologo risum mouere dixerat Phaedrus. Inprimis jucunda est imago aurituli, totis viribus clamorem tollentis; ridemus profecto, audientes asinum dicentem: qualis tibi videtur opera vocis meae? delectat porro ironia leonis Vs. 14. et 15. Tota narratio praeter ceteras elegans est, si rationem habeas Latinitatis. Sed graeca fabula aptius ficta videtur Lessingio; nec sine caussa. Fingit enim Graecus, Leonem et Asinum, inita societate, iuisse venatum. Ad speluncam autem aliquam, in qua siluestres caprae erant, cum venissent, leonem ad os speluncae constitisse; asinum introgressum insiluisse capris, easque voce sua terruisse, sed leonem excepisse capras, spelunca egressas. Quare Lessingius nota quadam ad hanc Phaedri fabulam o): *Die Art*, inquit, *wie der Esel und der Löwe mit einander jagen, ist nicht wohl zu begreifen. Der Löwe verbirgt den Esel in das Gesträuche und Gebüsche; er läſst ihn schreyen; und die Thiere, die sich durch ihre gewöhnliche Schlupflöcher retten wollen, fallen dem Löwen in die Klauen. Wie ging das zu? konnte jedes nur durch Einen Ausgang davon kommen? warum muſste es gleich den wählen, an welchem der Löwe lauerte? oder konnte der Löwe überall seyn? oder fieng er nur wenige? Wie vortreſſlich fallen in der Griechischen Fabel alle diese Schwierigkeiten weg!* Haec magnam sane speciem habent; at Phaedrus potest defendi, si quis fingere velit, non singulas feras a leone fuisse laceratas; neque enim hoc pertinet ad consilium fabulae: neque etiam dixit Phaedrus. Versus potius 11 et 12. docent, non paucis elabendi datam fuisse copiam. Caede enim fessus erat leo, nec amplius interficere libebat, etsi aderant, quas caedere posset. Quae confirmantur fabula graeca, vbi haec: τȣ λέοντος τὰς πλείστας συλλαβόντος. Asinum igitur leo euocat vocemque premere jubet. Nec leo ad vnum notum exitum insidias struxisse feris, semperque vno eodemque loco mansisse credendus est. Sine dubio enim alium post alium exitum peruagabatur, et excipiebat, quicquid ei sese objiceret. Paullo aliter se expedire conatur cl. *Lange*. Vid. Ej. Prolegg. ad Phaedr. p. 26.

---

o) Vid. *Lessingii* Edit. Fabular. II. p. 232. coll. Dissertat. *zur Gesch. der Aesop. Fabel*, p. 242.

Excursus VIII.

Ad Fabulam XIII.

Ad vs. 1. 2. MSS. Pith. et Rem. *qui se laudari gaudet verbis subdolis, fere dat poenas turpi poenitentia.* Vid. Brotier. Contra in Cod. Dan. quem etiam vocant *schedas regias*, s. *Vossianum*, reperit Rigaltius, *qui se laudari gaudent verbis subdolis, sera dant poenas turpeis poenitentia*, quod Scheffero longe videbatur rectius. Vid. Gud. et Guyeti Notas. Ita factum est, vt locus vario modo sollicitaretur. Pithoeus, Rittershus. Nevel. Meurs. Freinshem. Rigalt. Ed. 2. Vrsin. Schirach. (Clav. P. I. p. 88.) Brotier. Bipont. Desbillon. Müchler. alii, lectionem Codd. MSS. Rem. et Pith. secuti, ediderunt: *Q. s. l. gaudet v. s. fere dat poenas turpi poenitentia;* vt *fere* sit plerumque, quo sensu occurrit apud Ter. Phorm. II. III. 16. *ruri fere se continebat.* Cf. Desb. ad h. l. Neque tamen lectio *turpi poenitentia* potest admitti, quia non est turpe commissorum poenitentiam agere. Gudius quidem poenitentiam dici *turpem* putat, quia decipiatur, qui verbis subdolis laudetur, sed male. Nam qui decipitur, poenas dat turpes, non poenitentiam agit turpem. In Cod. Voss. scriptum erat, teste Heinsio, *serae dant poenas, turpes poenitentiae.* Sed Cod. Voss. non alius est, quam Cod. Danielis, (Vid. supra de Codd. MSS. N. 3.) in quo paullo ante dixi legi, *sera dant poenas turpeis poenitentia.* Videtur igitur lectio, *serae dant poenas t. poenitentiae*, esse a manu secunda, cum sine dubio a manu prima sit lectio, quam paullo ante protuli. Diuersae enim vnius ejusdemque Codicis lectiones probant, Codicem Danielis s. Voss. pluribus in locis a scriptore fuisse correctum. Cf. Schirachii Clav. P. I. p. 88. *Serae d. p. t. poenitentiae* receperunt Hoogstratan. Santoroc. Funcc. Burmann. Buchner. et tuetur hanc lectionem cl. *Lange* in Prolegg. ad Edit. Phaedri p. 20. quae tamen displicet Bentlejo et Heusingero. Hic enim: „Ad, *inquit*, Phaedrum scripsisse, nemo mihi persuadebit. Scio equidem, *poenas dare poenitentiae*, Latine posse dici: aliud vero his verbis, atque poëta voluit, significari, non minus intelligo. Nam, qui *poenas dat poenitentiae*, non errorem suum luit poenitentia, non poenitendo poenas dat, sed poenam potius subit, quam poenitentia meruit: vel non fit, dum

punitur, poenitens, sed quod fuit poenitens, punitur, vt ille, qui *crudelitatis poenas dat*, non fit crudelis, sed quia crudelis fuit, punitur. Quare non potui non alteram lectionem, quam et ipse Burmannus probauit, recipere, et vel Bentlejanam, ac Nevelitanam potius, quam ille plane rejicit, potiorem longe putare." Fortasse tamen lectio *serae poenitentiae* ferri potest, si ita explicetur, vt non sit poena ob poenitentiam, sed poena, quae consistit in sera poenitentia, quem ad modum dicunt *poena capitis*. Bentlejus legit, *fere dant poenas turpi poenitentia*; Salmasius, *sero dant poenas turpi poenitentia*, vel *sere*, pro *sero*; Cuninghamus; *verbis gaudet subdolis*, *Sera d. p. torpens poenitentia*; Lallemant. *gaudet v. s. Sera dat poenas turpes poenitentia.* Lectio a me recepta, quae praeter Hensingerum etiam placet cl. Tzschuckio, firmatur auctoritate Cod. Danielis. Versum autem 1. in plurali esse efferendum, docent cum Romulus Divionensis (L. I. F. XIV.) tum Vlmensis, tum Anonymus Nil. in quibus omnibus iste versus sic exhibetur: *qui se laudari gaudent verbis subdolis*, vel, *qui se laudari verbis subdolis gaudent.* De hoc loco v. quoque J. F. Gruneri Observ. in Phaedrum. Jen. 1745.

Ad. Vs. 9. Heinsius notat ad h. v. „MSS. habent *latiorem dum*, *et dum etiam.* Lege igitur: *Ad illa, latum, dum vult vocem intendere, Emisit ore caseum. Latum caseum*, i. e. qui fertur." At Bentlejus: "Codex alter sic locum exhibet: *At ille, dum etiam vult vocem ostendere latiorem, Emisit ore caseum.*" Sed nescio, in quibus libris viri docti istas lectiones inuenerint. Namque in MSS. Pith. Rem. et vet. Edit. est: *at ille stultus dum vult vocem* cet. teste Brotierio. Neque etiam Gud. et Rigaltius eas inter lectiones Cod. Danielis memorant. Contra Anonymus Nilantii habet: *ille dum vult ostendere vocem latiorem* (quod Burmannus ex *altiorem*, Bentlej. ex *elatiorem* deprauatum credunt) *emisit caseum.* Vnde *dum etiam* sit, nescio, quod tamen receperunt Bentlej. Cuningh. Sanadon. Philipp. Lallem. hoc modo: *At ille dum vult etiam vocem ostendere*; nisi quod Bentlej. ediderit: *At ille dum etiam v. vult ostendere.* Frustra. Tu erienim potest *stultus* locum suum, probante Burmanno. Mox enim respondet τῷ *corui stupor*; et Phaedrus similiter loquitur L. I. F XV. 7. *at ille sensus.* Cum etiam in libris scriptis inueniatur haec vox, mihi quidem non temere ejicienda videtur. Neque opus est emendatione Heinsii, *vocem intendere*; nam, ex mente Bentleji atque Burmanni, non cor-

vus voluisse tollere totis viribus vocem putandus est. Sufficiebat, si modo aperiret os; etsi dicat Graecus: μεγάλα ἔκραγεν. Multo minus Gebhardi *voce os tendere* placere potest. Vid. Ej. Crepund. L. III. C. 10.

Ad Vs. 13. 14. In Codd. Pith. et Rem. scriptum est: *Hac re probatur, quantum ingenium valet*; in Cod. vero Pith. τὸ et Vs. 14. abest, ita vt legatur *Virtute semper praeualet sapientia.* Hos duos versus delendos et spurios notauit ad marginem Heinsius, quia Phaedrus, quo fabulae pertineant, saepe ante ipsam narrationem, raro post narratam prodit fabulam, non vero vtroque simul loco. Heinsii sententiam jam olim probabant Bentlejus et Harius, quos deinde alii secuti sunt, vt *Sanadon.* et *Philippus*, qui illos versus expunxerunt; *Kohlius* p), ejiciens non solum Vs. 13. 14. sed etiam antepenultimum, nullo profecto jure; *Heusingerus*, qui Vs. 13. 14. vncis inclusit; *Lessingius* q); *Tzschuckius* r), vt omittam alios. Burmannus, etsi ei non multum placeant hi versus, tantum sibi tamen non permittit; sed cum Neveleto transpositione mederi aliquantum versui primo credebat (*ingenium quantum valet*), secundum versum facile abire patiebatur. Gudius, cui olim accedebam, versum 13. vtpote a glossatore additam, ejiciens, vs. 14. coruo tribuit. Legit autem, cum *et* in Cod. Pith. desit: *virtuti semper praeualet sapientia.* Nam vs. 13. putabat esse irrepticium, formatum ex Ausonii disticho in Severum Pertinacem s); in Cod. fabularum Aesopiarum Wissenburgensi ne volam quidem huius versus exstare; suaue et elegans esse in Phaedro, si quid amplius praeter προμύθιον et ἐπιμύθιον lectorem e fabula monere velit, id plerumque vno γνωμικῷ versiculo ad finem fabulae aliis disserendum committere, vt L. I. F. XXVI. 12. III. VII. 27. III. XVII. 12. III. XI. 7. *ingemuit* autem idem valere, ac cum gemitu dicere; id quod exemplis firmare studet. Cl. Schirachio t) Gudius optime judicasse videtur. Ista

---

p) Comment. crit. Pentadec. I. Loc. 49. p. 116. Kohlium confutare conatus cl. *Schirach.* in Clav. P. I. p. 291.

q) l. c. p. 244. vbi haec: *die zwey letzten Zeilen sind überflüssig und schlecht.*

r) in Notis ad h. l. Vid. etiam *Lange* ad h. l. et *Jacobs.* in *Nachträgen zu Sulzers Theorie*, Tom. VI. Pars I. pag. 70. Not. XX.

s) Vid. Not. Gud. ad h. l.

t) Clav. Poët. P. I. p. 291.

enim emendatione elegantiam fabulae natam esse contendit; elumbem reddi sententiam, si inter Vs. 12. et 14. interponatur Vs. 13. secundum hanc Gudii lectionem sensum fabulae etiam bene sibi constare, ob ipsam sententiam, quam ei praeposuerit Phaedrus; neque enim coruum sibi virtutem, sapientiam vulpi tribuere, quemadmodum Bentlejus interpretatus sit; sed queri, sibi, quamuis praestanti et voce et ceteris fere rebus omnibus, vt putat, tamen hic defuisse sapientiam. Duce Gudio Hoogstratanus vs. 13. e sua editione ejecit, atque etiam Richterus suspectum habet. Vrsinus, praeeunte Rittershusio, edidit: *virtuti praeualet*, probante *Salmasio* u). At *Barthius* x) ex Cod. Pith. legi jubet; *Virtute semper praevalet sapientia.* Alii alia tentarunt. Buchnerus *virtutem et semper p. s.* suspicatur; *Grunerus* y) legit et interpungit: *hac re probatur, ingenium quantum valet. Virtute at semper p. s.* vt Phaedri mens sit: quamuis haec fabula doceat, multum saepius valere ingenium, i. e. calliditatem, qua vulpes caseum acceperat: tamen sapientia plus semper virtute, quam calliditas dolis efficere potest. Bipontini vs. 13. et 14. a reliquis separatos ediderunt; sic tamen interpungunt: *Hac re probatur ingenium: quantum valet Virtute, ita semper praeualet sapientia.* Desbillonius, retinens vs. 13. tantummodo vs. 14. spurium habere videtur. Sed etiam sunt, qui istos versus genuinos judicent, vt Brotier. Cl. Jakob, Lallemant. Legit autem et interpungit Brotier. *H. r. p. i. q. valet. Virtute s. p. s.* Ita et Lallem. nisi quod hic ediderit *quantum ingenium*, vt *m* non elidatur, quemadmodum volunt Faber, Prasch. Rittershus. Funccius.

Si quid ego judico, Versus 13. et 14. recte a viris doctis Phaedro indigni et insititii habentur. Vt enim taceam, neque in Romulo Div. neque Vlm. neque apud Romulum et Anonymum Nilantii istorum versuum vllum exstare vestigium, (quibus quoad vs. 13. adjungere possis Codicem Wisseburgen-

---

u) Ad *Ael. Spart.* p. 97. et ad oram libri: it. in Exercit. Plin. p. 6.

x) Adv. L. XV. C. 2. et ad *Gratii* Cyneg. p. 36. et ad Theb. L. IV. 662. Explicat autem *virtute* per robur, vires; quemadmodum et alii interpretati sunt, vt Salmasius locis paullo ante citatis.

y) Obseruationes in Phaedr. p. 14.

sem z), non pauca sane impediunt, quo minus statuamus, versus memoratos a Phaedro esse profectos. *Virtuti* enim quis aptus hic locus sit, vix potest intelligi; nam eam frustra in coruo quaeras. Deinde τὸ *valet* v. 13. et *praeualet* vs. 14. sine efficacitate repetitum, offendit aures. Porro numquam in vna eademque fabula reperitur et Promythium et Epimythium. Sed jam in prologo fabulae vim vere exposuerat Phaedrus. Neque etiam *quantum valet* hoc nexu Latine dici potest; dicendum erat *quantum valeat*. Denique cum *sapientia* sic ad calliditatem et astutiam pertineat, recte dubitat Cl. *Tzschucke*, an ita dicere liceat. Quodsi vero proprie intelligatur, et *sapientia* et *virtus* a fabula sunt aliena. Cf. Burm. et Tzschucke.

Excursus IX.

Ad Fabulam XIV.

Vs. 4. 5. Lessingius a) hos versus suppositiciis adnumerat. *Die vierte und fünfte Zeile*, inquit, *müssen nothwendig eingeflickt seyn, und es wundert mich, dass diess noch niemand bemerkt hat. Denn man mag nun die Krankheit auf den König, oder auf den Schuster ziehen, so ist der Umstand doch höchst unsinnig angebracht. Der Zusammenhang und die Construction leidet nicht das geringste, wenn man sie weglässt.* Sed jam olim *Kohlius* b) vs. 5. spurium judicauit; etsi veniam det quarto. Cum enim iste, saluo et incolumi sensu contextus, non tantum abesse queat; sed etiam, si recipiatur, sensum alioqui bonum satis et commodum disturbet: cur, inquit, nobis religio sit, eum exturbare? Kohlio assentit Cl. *Jakob* c), qui vs. 5. putat delendum, nec sine ratione; probantibus Censori-

z) In hoc Codise vltima pars fabulae sic redditur: Tunc vero coruus ingemuit, stupore deceptus: multi quod viribus non possunt, sapientia explicant; omisso vs. 13.

a) Zur Gesch. der Aesop. Fab. p. 245.

b) Comment. crit. Pentadec. I. Loc. 49.

c) Quem vid. in Praef. Edit. Phaedri, p. XV. sq.

bus eruditis d). Etsi vero hic versus saluo sensu contextus et salua fabulae vi abesse potest; ego tamen tantum mihi non permitto, vt duos Phaedri versus ejiciendos censeam; etsi probe sciam, vs. 5. non carere difficultate. Quodsi enim omnes versus in priscis scriptoribus, maxime in Phaedro, vel spurii et suppositicii, vel interpolati judicandi essent, qui aut rectius possunt exprimi, aut superflui ineptiue videntur, quot quaeso essent vel emendandi, vel ejiciendi! At vera artis criticae ratio postulat, vt textum, non ipsum auctorem emendemus. Si vs. 5. exturbetur, narratio claudicat. Male enim ista cohaerent: *Verbosis adquisiuit sibi famam strophis — Rex vrbis ejus experiendi gratia Scyphum poposcit.* Itaque si quid ejiciendum est, non Vs. 5. solus, etiam 4. debet ejici, quod volebat Lessingius. Sed retineo vtrumque. Primum enim persuasum habeo, locutionem, *verbosis strophis*, non esse a librariis profectam. Deinde *hic* Vs. 5. non est pro pronomine capiendum, neque referendum ad sutorem e), qui morbo confectus graui jacuerit, et quem rex jusserit antidoto mixtum toxicum, vt simulauerat, bibere; immo vero *rex* aegrotasse credendus est. Vero enim similius videtur, sutorem, medicum se profitentem, a rege aduocatum fuisse, quam regem ad aegrotantem sutorem accessisse, qui, morbo liberatus, melius tentari poterat a rege. Rex autem vel cogitari potest medicum propter imperitiae suspicionem arcessiuisse, vt eum tentaret; neque hoc indignum rege existimandum, de vita ciuium sollicito f); vel

---

d) Vid. A. L. Z. ann. 1785. II. 281. „Es ist ein guter Gedanke, die Stelle L. I. XIV. 5. für ein Einschiebsel fremder Hand zu erklären; und was er (Hr. Jakob) darüber in der Vorrede sagt, bringt die Muthmaſsung zu einem hohen Grad der Wahrscheinlichkeit, wir würden sagen, Evidenz, wenn nicht grade der Fall bey einem Autor wäre, der sonst in einzelnen Zügen Fehler gnug wider die Erfordernisse einer schönen Erzählung begeht. Sonst wenn bloſs das Ueberflüſsige solcher Parenthesen ihre Unechtheit beweisen könnte, würde man mehrere ausstreichen können, z. B. L. III. F. IX. 3. 4. IV. VI. 2.“ coll. Ephemer. Gothan. ann. 1785. p. 411.

e) Sic ceperunt *Barthol.* de Medicin. Danor. domest. Diss. X. p. 455. Sic Gallicus Interpres, et Cl. *Schirach.* Clav. P. I. v. *hic.*

f) Vid. Cl. *Schulze* Anmerkk. p. 39.

medicus, de morbo regis certior factus, credi potest accessisse ad regem, et operam suam obtulisse. Et sane *scyphum poposcit*, potest videri regis aegroti esse, qui medicamentum ex eo biberet; nam in eo antidotum fuisse verosimile est, cui rex superfudit aquam, simulans, se ipsum toxicum miscere antidoto, et tunc jussit, medicum ipsum ebibere vt experiretur eum g). At enim objicit Burmannus: *concionem aduocare*, vix regi, morbo confecto graui, conuenire videtur; nisi dicamus, vocem *concionem* hic non esse ita proprie sumendam, vt totum populum ad concionem vocauerit, sed quosdam, quos audierat se commisisse isti medico imperito et impudenti; vel certe amicos, magistratus vrbis et senatores, quos in cubiculum conuenire jussit. Verum enim vero vox *concio* arctiori, quo vult Burmannus, sensu vix potest capi h), vt jam olim notauit Heusingerus, *amicos* per vocem *concio* intelligi posse negans. Sed et alio modo ad haec potest responderi. Non enim rex *aegrotus* concionem populi aduocasse credi debet, sed postquam conualuit et in concionem potuit prodire i). Talia enim Phaedrus saepius omittit supplenda. Quae vero si minus placeant, τὸ *edidit* potest etiam ita capi, vt regem per alios edidisse putemus. Sic enim actiua non raro solent vsurpari k). Ita vero vterque versus locum suum tueri potest. Nec desunt, qui malint Phaedrum oscitantiae arguere, quam temere duos ejicere versus l).

Vs. 9. *combibere*. In Codd. MSS. est: *bibere jussit ipsum posito praemio*, quae varie supplere conati sunt viri docti. Vulgatum est *hoc bibere*, quod est in Editione Pithoei. Neveletus edidit *bibere i. i. p. p.* mallet tamen *hoc bibere*. Heinsius *obbibere*; sed nondum satis tuta est hujus verbi Latinitas; neque etiam verisimile videbatur Gronouius, ex integra voce priorem syllabam euanuisse. Richterus in Spec. Obs. crit. et in sua Phaedri editione ingeniose profecto conjicit *ebibere*. Dicit enim, librarios plerumque litteras versuum initiales omi-

---

g) Cf. Not. Burmanni.

h) Laudat tamen vir doctus Justin. II. 15. *concionem adiit*, quod Nep. Them. VII. *magistratum* et *senatum* dicit.

i) Sic olim statui. Vid. Edit. Phaedri, P. I. p. 74. coll. *Heusinger.* ad h. l.

k) Cf. *Tschucke* ad h. l.

l) *Schulze* Anmerkk. zum Phaedrus, p. 39. sq. *Lange* in Prolegg. ad Phaedr. p. 21.

sisse, vt videlicet eas minio pingerent. Quae conjectura ita placuit Bentlejo, Brotierio, Lallem. Desbillon. vt reciperent in contextum. Sed recte obseruat Burmannus, Phaedri fabulas olim non per versus dispositas, sed continuo sermone conscriptas fuisse a monachis, vt e Nilantii, Romuli et aliorum fabulis appareat, quas varie etiam interpolarint. Atque etiam Brotierius, qui Cod. MS. Pithoei in manibus habuit, testatur, Phaedri fabulas, vt prosam, non vt versus, a librariis descriptos fuisse. Gronovius docet, vltimam syllabam in *toxicum* potuisse absorbere sequentis vocis primam, vnde ille facit, *tum bibere*; quod rejicit Burmannus. Quae enim esset scabrities, *deinde simulans* cet. *tum bibere jussit*, et mox sq. iterum versu *ille tum confessus est.* Quare mollius judicat *toxicum combibere jussit*, laudans Hor. I. Od. XXXVII. 28. Ovid. Met. VII. 287. Nihilo vero secius vulgatum seruari posse putat, quia *jubere bibere*, *dare bibere* fere sollemnes sunt locutiones. Equidem *combibere jussit* recepi cum Bipontinis, nec immerito.

Vs. 18. In MSS. Pith. Rem. et vet. Edit. hic versus ita exhibitur: *quorum stultitiae quaestus impudentia est.* Hoc testatur Brotier. At Gudius in MS. Cod. qui non alius est, quam Pithoei, ait se reperisse *imprudentia*, quam lectionem tuetur e vs. 11. hujus fabulae, it. e L. II. F. III. 6. L. IV. F. V. 48. An forte alterutra lectio est a manu secunda? cf. Exc. XI. ad L. I. F. XXV. 6. 7. Neveletus edidit: *quorum stultitiae quaestus imprudentia est.* Sic quoque prima Rigaltii; quae lectio Fabro non displicet. Gronouius et Harius *stultitia* nominatiuo casu positum credunt, hoc sensu, vt ipsa stultitia et imperitia sit quaestus, i. e. quaestum praebeat impudentibus. Sed ipsi diffidunt huic expositioni; hinc malunt *quaestui.* Sic Freinshemius, legi jubens, *quorum stultitia quaestui impudentiae est.* Quaestui autem dicuntur homines esse, ex quibus alii quaestum capiunt. Liv. L. IV. 30. de sacrificulis *quibus quaestui sunt capti superstitionibus animi.* *Quaestui*, quod multis aliis placet, praefert Richterus et in contextum recepit, approbante Heumanno; haec ita explicant: quorum stultitia impudentes homines vtuntur ad quaestum suum. Vid. N. B. P. XXVII. p. 606. Bipontini ediderunt: *quorum stultitia quaestui imprudentiae est.* Sed durus videtur Burmanno duorum datiuorum concursus, qui *stultitia* ablatiuum esse putat eo sensu, quo dixi capiendum esse in Notis. Deinde vis fabulae significat, praeferendum esse *impudentiae.* Fac enim, in

libris scriptis legi *imprudentia*, pro *impudentia*; quid ad rem? Constat inter omnes, has voces saepe confundi. Itaque Vrsin. Burmann. Lallemant. Brotier. Desbillon. alii recte ediderunt: *quorum stultitiâ quaestus impudentiae est.* Hanc lectionem etiam probant Faber, Graevius, Scheffer. Cl. Tzschucke. Rittershus. legit: *quorum stultitiae quaestus impudentia est*, vt sensus sit, qui per impudentiam suam quaestum et lucrum faciunt apud homines stultos et imperitos. Sed recte non satis Latinum videtur Scheffero *quaestum stultitiae* interpretari, quaestum apud stultos. Est enim quaestus stultitiae, quem facit stultitia, quo sensu repugnat antecedentibus. Heinsius conjicit, *quorum e stultitia quaestus impudentiae est*, quae conjectura firmatur loco Livii, in Notis adducto. Cf. Burmanni Notas ad h. v.

Excursus X.

Ad Libri I. Fabulam XVI.

Vs. 1. 2. Nullus vexatior variis conjecturis locus toto in Phaedro. Codex Pithoei hos versus ita exhibet: *Fraudator homines cum auocat sponsore improbo, Non rem expedire, sed mala videre expedit.* Sic edidit Neveletus, nisi quod altero versu *expetit* legat. Contra in Cod. Dan. *Fraudator nomen cum locat sponsore improbo*: quae varie emendare ausi sunt Critici. Vulgo legitur: *Fraudator nomen cum locat sponsu improbo, Non rem expedire, sed mala videre expetit. Sponsu improbo* est e conjectura Rittershusii. Ex interpretatione Gronouii, Hartmanni, aliorum, τὸ *nomen locare* adhibetur de debitore, qui accepto mutuo, vel merce alteri obligatur, qui suum tamquam debitoris nomen locat, et patitur, apud alium esse in tabulis, in quas referimus, si cui mutuamus, aut vendimus in diem; quod appellatur *nomina facere* apud Cic. Off. III. 14. Sed et *nomen facere* dicitur creditor, qui credit alteri pecuniam, vel mercem ejusque nomen in libro suo notat, quod in tabulis suis expungit creditor, quando alter, quod debet, soluit. Vnde *nomen expungere* apud Plaut. in Cist. I. III. 40. sq. *nomen expedire* Suet. de ill. Gramm. C. 11. *nomen explicare* Cic. ad Att. XIII. 29. est, debitum soluere. Sic Cicero dicit *exigere no-*

mina, pro, ad dissolutionem cogere; *habere in nominibus*, cet. Vid. Clav. Ernesti in *nomen* et *expedire*. *Sponsus improbus* idem est, quod sponsor malae fidei. Abstractum pro concreto. *Rem expedire* Pithoeus, Gronov. aliique viri docti explicant, pecuniam mutuo acceptam soluere et reddere. Sed vide Notas. *Mala videre* si retineatur, exponi debet per *procurare*, de qua verbi significatione, apud Ciceronem, Terrentium, alios non raro obuia, Burmannus laudat Heins. ad Ovid. I. A. A. v. 587. et Victor. ad Cic. Att. V. Ep. 1. Hunc in vsum adduci quoque solet ex III. Tusc. Quaest. *aliquid videamus cibi*, vbi in recentioribus Editionibus est *provideamus*. Sed de lectionis vulgatae veritate merito viri docti dubitant. *Nomen locare* hoc sensu insolitum. Sponsoris enim potius est, quam veri debitoris. Vix alias inuenitur de debitore; est enim pro alio nomen suum profiteri m); deinde *mala videre* recte suspectum, nec satis Latinum videri potest n). Quare tutius videbatur *Kohlio* o), locum ita explicare: *cum fraudator locat* (commodat) *nomen* suum (alteri, mutuum aliquid sumturo) *sponsu improbo* (sponsione fraudulenta) *non rem expedire*, (debitum a debitore non solutum dependere fidemque suam liberare), *sed mala videre expetit* (ex alterius, creditoris, incommodo suum comparare vel commodum, vel gaudium studet). Quam interpretationem illustrat verbis Cic. IV. in Verr. 42. *nomen suum alicui commodare ad translationem criminis*, (*eines andern Verbrechen auf sich nehmen*). Etiam Cl. Tzschuck. vulgatam lectionem ferri posse putat, si ita explicetur, vt fraudator sit non debitor, ceruus, sed sponsor, i. e. lupus, qui ceruo locabat nomen suum improba sponsione.

Haec certe magis placebunt, quam parum probabilis Langii interpretatio, qui in Prolegg. ad Edit. Phaedri p. XXII. vulgatam lectionem jubet retineri hoc sensu: „Wer keinen Credit hat und borgen will, und um seine Absicht zu erreichen, einen bekannten Betrüger als Bürgen mitbringt, der schadet dadurch seinem ohnehin schon geringen Credite noch mehr, als wenn er allein käme, und scheinet es absichtlich darauf anzulegen, das Geschäft nicht zu Stande zu bringen.

m) *Schirachii* Clav. P. I. p. 142. *Tzschucke* ad h. l.
n) *Lessing* zur Gesch. der Aesop. Fab. p. 246.
o) L. c. Pentadec. II. Loc. 1. p. 127. sqq.

Cui interpretationi subjungit haec: „Allein wie ist nun dieser Sinn auf eine ungezwungene Art aus der gewöhnlichen Lesart heraus zu holen? Wörtlich: wenn ein Betrüger borgen will, und einen andern als Bürgen stellt, so will er nicht das Geschäft zu Stande bringen (*non rem expedire expetit*) sondern er legt es recht darauf an (*expetit*) es schlecht zu besorgen (*male expedire.*) (Auctor scribere voluit, *male videre*). So heifst *rem expedire* beym Cic. ad Att. XI. 18. und Brut. 42. *ein Geschäft besorgen*, *zu Stande bringen*, und *negotia videre*, Cic. ad Div. VII. 20. *nach einem Geschäfte sehen*, oder *dasselbe besorgen.*" Quae interpretatio etiam displicet Censori erudito in A. L. Z. ann. 1799. Partic. 350. p. 301. Nec immerito. Nam vt omittam alia, is, cui non est fides (*Credit*) apud alios, vix dici potest *fraudator*.

Mihi quidem persuasum est, sensum hujus promythii non esse alium, quam eum, quem supra in Notis ad h. l. indicaui. Sic intellexere plurimi interpretes. Quod si admittatur, *fraudator* non capi potest pro sponsore. Censet etiam *Schirachius* p), dici vix a Phaedro potuisse: *sponsu improbo* fraudator *cum nomen locat.* Quo enim illud? cum de sponsione maligna atque dolosa nullus sermo sit in tota fabula. *Tzschuckius* conjicit: *fraudator nomen cum vocat sponsum improbum*, ita, vt *improbum* conjungatur cum *vocat*, et *nomen* cum *sponsum*. Sed sic constructio nimis turbatur, recte obseruante Censore docto q), qui huic loco sic studet mederi, vt retineat vulgatam, nisi quod vs. 2. in fine legat *expedit*, quod est in Cod. Pith. pro *expetit*, hoc sensu: *Wenn ein Betrüger Geld aufnehmen will, und einen betrügerischen Bürgen stellt, dann wäre es sehr unklug, sein Geld hinzuzahlen; klug vielmehr ist es, den Betrug zu merken, sich vor Schaden und Gefahr zu hüten.* Jam olim Gudius vs. 2. ad creditorem trahebat, legens *expedit*, pro *expetit*, quasi creditori non vtile esset, expedire pecuniam, i. e. dare mutuam fraudatori, sponsore improbo. Sed non sine caussa accedo viris doctis, Burmanno et *Beckio* V. C. r), quibus displicet ingrata illa verbi *expedit* repetitio. Ineleganter profecto dixisset Phaedrus, *rem expedire* non *expedit*; etsi Gudio in natiua hujus verbi significatione lusisse videbatur. Pla-

p) Clav. P. I. p. 143.
q) Vid. A. L. Z. ann. 1791. T. I. p. 87.
r) De Interpret. Vett. p. 86.

cuit tamen haec lectio Bipontinis, qui hunc locum ita constituunt: *Fraudator homines cum aditat sponsore improbo, non rem expedire, sed mala videre expedit.* Cui lectioni etsi fauent libri scripti, verba tamen, *homines cum aditat,* sensum duriuscule et subobscure exprimere mihi videntur. Mihi quidem conjectura Burmanni, quam recepi, inprimis placet; cum satis prope ad primae scripturae vestigia accedat, et ista lectione sensus Phaedri constare videatur. Eamdem adoptauit Bentlejus, et Heusingerus eam reliquis Criticorum praefert conjecturis. Sic fere Desbillonius, qui recepit: *fraudator homines cum aduocat sponsum improbos, Non rem expedire, sed mala videre expetit.* Contra Brotierius edidit: *fraudator homines cum aduocat sponsu improbo* cet. *Mala ridere*, pro, *mala videre*, mallet Schefferus; vide *Burmanni* Syll. Epp. T. V. p. 10. pro quo Censor doctus legi jubet, *male ridere* s), hoc sensu: *einem Betrüger, der bey Aufnahme eines Kapitals einen unredlichen Bürgen stellt, ist's nicht darum zu thun, ihm Sicherheit zu stellen, sondern ihn noch oben drein boshafter Weise zum besten zu haben.* Quae lectio ingeniosa non displicet. Graevius e Schedis Dan. legendum existimat: *mala dare expetit* t). At Cl. *Jördens* legit *male videre, videre* explicans, prouidere. Alii alia tentarunt u). Conjecturae enim sunt innumerae; quas, vt chartae parcam, ex parte omitto x).

---

s) Vid. A. L. Z. ann. 1785. T. II. p. 281. coll. Not. Burm.

t) *Burmanni* Syllog. Epp. T. IV. p. 42.

u) Vid. e. c. Praef. Cl. *Jakob* ad Phaedr. p. XVI. sqq. coll. Ephem. Litter. Gothan. ann. 1785. p. 411. Cuninghamus conjicit: *Veterator nummos cum rogat s. i.* et V. 2. *malum edere*; Vrsinus: *fraudator, nomen sponsore locat cum improbo, N. r. e. sed mala videre expetit.* Cannegieter. ad Avianum p. 24. *Non rem expedire, at se mala fide expetit.* Salmasius: *Avarus nomen dum locat sponso*, vel *sponsu improbo.* v. Exerc. Itin. p. 121.

x) Legant, quorum interest, lectores Notas Burmanni, c. Notis reliquorum Interpretum in Ejusdem Edit. c. N. Varr. maxime Schefferi, Heinsii et Gudii.

Excursus XI.

Ad Libri I. Fabulam XXV.

Vs. 6. 7. In vtroque Codice et Pith. et Rem. corrupte haec ita leguntur, teste Desbillonio: *Quamlibet lambe ocius pota accede noli timere sedulo ait at noli vereri inquit at ille facere mehercule.* Heinsius tamen docet, in Veteri Codice, i. e. Pith. inueniri pro *ocyus*, *otio*; cujus modi diuersitatem scripturae in eodem Codice supra aliquoties vidimus. Tò *otio* autem videtur esse a manu prima, *ocyus* a secunda. Phaedrum hic esse interpolatum additionibus librariorum, qui explicatione τȣ *lambe otio* sensui consulere vellent, vero est simillimum. Sic, teste Brotierio, L. I. F. XXII. 7. post verba, *et ipsos deuores*, MS. Pith. habet: *Hic intellege soricem esse generis masculini.* Pithoeus post V. 6. vnum versum addidit

Accede, pota leniter, et noli dolos
Inquit, vereri. A. i. f. m.

qui deinde a multis, vt Nevelet. Rigalt. Ed. 2. Freinhem. Funccio, etiam Burmanno, receptus est. Sed non pauci sunt, qui versum: *Accede, pota leniter, et noli dolos* penitus omittant; versu autem sq. pro *inquit* praeferant *noli.* Sic Rigaltii Editio postrema, et Maittarii Danetique Editiones. Atque etiam Bentlejus h. v. vncis inclusit legens V. 6. *qua lubet lambe otio*, i. e. vbicumque lubet. Bipontini vero cum *Philippo*, Lallemant. Schirach. V. D. Clav. P. I. p. 258. Brotierio, penitus ejiciunt. Hisce ego obsecutus sum; etsi improbet Gudius, nec desint, qui hunc versum, in libris scriptis parum expressum, ex ejus tamen vestigiis vtcunque restitutum, retinere satius ducunt. In his Burmannus et Heusinger. Maxime moueor Anonymo Nilantii, qui h. l. sic expressit: *dixit ei Crocodillus*: *Quod libet labio tuo, noli vereri*; in quo loco τὸ *labio tuo* ex *lambe otio* natum esse, acutissimo Bentlejo recte videtur. Vides igitur, apud Anonymum Nilantii hujus versus plane nullum exstare vestigium. Quaerit etiam Bentlejus: quis ferre potest illud *inquit*, a capite sententiae tam longe remotum? quod leue est. Sed majoris momenti est ratio adjecta, quod locutiones *lambe otio et pota*; *noli timere* et *noli vereri* parum differant. Vix igitur dubitari

potest, locum additamentis librariorum esse corruptum. Contra si versus ejiciatur, meo quidem sensu, oratio redditur concinnior, et breuitati Phaedri accommodatior. Alii alia tentarunt. Gudius totum hunc locum, quem erudite, vt solet, illustrat, ita constituit : *Sic Corcodilus: quam libet lambe, otio* [i. e. sensim, leniter] *Pota, ac accede Nilo temere* [audacter, sine periculi metu] *de dolo Noli vereri.* Gudium sequuntur Gronov. et Hoogstratan. nisi quod hic lenius habeat, *atque accede.* Sed rejicit Burmannus hanc conjecturam, quia *accedo* cum datiuo in ea significatione non satis Latinum sit; dicendum fuisse vel *ad Nilum*, vel *Nilum.* Quamuis enim exempla produci possent cum datiuo, frequentius tamen tunc poni pro *addi*, *adjungi*; sed pro *adire*, aut *prope venire*, accusatiuum vel solum, vel cum praepositione amare, vt *accedere ad lectum* L. III. F. X. 26. *ad praesepe* II. VIII. 22. Si quid ego judico, emendatio Gudii dura, nec facile propter hiatus admittenda. Heumannus legit: *Sic Corcodilus: aquam bibère libet o Canis, Accede, pota leniter, et noli dolos Inquit vereri.* Sed Richtero displicet illud *inquit*, postquam *sic* praecessit. Ipse vero legit: *Sic Corcodilus: quamlibet lambe et dolos Noli vereri*, ejecto versu; in editione sua tamen Burmannianam lectionem sequitur. Sed τὸ *inquit*, obseruante Burmanno, hic in fine poni, non magis nos ad emendandum deberet inducere, quam vbi in longiori periodo repetitur. Desbillonius h. l. ita emendat: *Sic Corcodilus: quam libet lambe: ocius potare noli: accede; quid times? dolos Noli vereri.* Ingeniose profecto! At vero offendit aures, fateor, verbum *noli*, bis in eadem sententia positum. Deinde languida oratio videri possit, *quid times?* et mox, *dolos noli vereri.* Notandum denique, in nonnullis Editionibus pro *otio* V. 6. inueniri *ocyus*, quod alii, vt Schefferus, referunt ad *accede*, a quo commate diuulsit Rittershusius; alii ad *lambe.* Praschius mallet, *otium est.* De hoc loco vexato v. Burmanni aliorumque Interpretum, etiam Freinshemii Notas. Adde Supplenda et Emendanda ad h. l.

Excursus XII.

Ad Libri I. Fabulam XXVIII.

Vs. 10. Varie tentarunt hunc locum Critici, varie interpretati sunt. Bentlejus legit: *proprii dolorem damno vlciscens sanguinis*, laudans Ovid. Rem. 60. in quo loco tamen legitur *socii*, non *proprii*. Deinde τὸ *miscens*, quod est in libris scriptis et editis, loco suo vix mouendum est; cum etiam apud Anonymum Nil. legatur, *damnis miscens sanguinem*. Heinsius conjicit: *hosti dolose damnum sanguinis ciens*; vel, *Hosti dolorem damno vlciscens sanguinis*, adscripto loco Ouidii paullo ante citato, nisi quod vitio memoriae adscripserat Codici *proprii*, pro, *socii*. Posteriorem Heinsii conjecturam non temerariam judicat Burmannus, cum *dolorem vindicare* dixerit Phaedrus L. III. F. X. et *dolorem vlcisci* Val. Max. L. II. C. X. 2. et Ouid. II. Amor. XIV. 32. Ipse vero Burmannus mallet transpositis vocibus legere, *dolorem hostilis damno vlciscens sanguinis*, vel *hostis* (i. e. hostilis) *dolorem d. v. s.* quam lectionem certe praeferendam esse contendit lectioni Gronouii, *dolorem damno injiciens sanguinis*, quae longius accedit a scriptis et editis, propagata ex Heinsii *ciens*. Nec felicior eidem videtur conjectura *immittens*. „Nam *se in incendium immittere* recte dici potest, vt apud Justinum et alios; sed *immittere alicui dolorem, damno sanguinis*, scilicet ipsius hostis, non exprimit vindictae hujus veram naturam, quia vulpes etiam suos catulos immiscere volebat ruinae pullorum aquilae." Heusingero, cui erat persuasum, locum esse corruptum, placet: *hostis dolore damnum vlciscens sanguinis*, vt *vlciscens* ponatur pro *vltura*; sed Cuninghamus: *dolorem et proprii damno vlciscens sanguinis.* Praschius rescripsit *hostis*, vt sit, miscens dolorem hostis damno sanguini sui, probantibus Guyeto, Burmanno, Brotierio; cl. Tzschucke *mittens*, pro, *miscens*, etsi ei non penitus placeat; vt omittam conjecturam Gruneri l. c. p. 126. Sed praestat, lectionem vulgatam, etsi non careat difficultate, retinere, quam dubias istas atque incertas conjecturas admittere. Eamdem praeter Fabrum, Vrsinum, alios, receperunt Bipontini. Si quid vero mutandum est, emendationem Praschii praeferendam arbitror esse reliquis. Etiam Schirachius, V. D. nihil

mutandum in veteri lectione censet, scribens in Clave P. I. p. 226. „*Miscere*, conjungere, temperare; itemque a potionibus, quae miscendo a veteribus praeparabantur, parare, atque sic praesertim de malis sumitur, quae quis machinatur alteri. Commode vsurpat hanc vocem Phaedrus h. l. vbi duplicem vsum verbi conjungit. Miscet hosti dolorem, siue eum parat, eo quod arbori flammas submittit, quibus suis pullis, quos semel amiserat, pereundum quidem esset, ita tamen, vt sine maximo dolore aquilae, cujus nidus combureretur, fieri non posset. De vindicta vulpis intelligenda, quae pullos suos perire quidem, attamen non inultos videre voluit, cui rei eleganter verbum *miscere* conuenit, quare nihil mutandum in veteri lectione putamus.“ Cf. supra Not. ad h. l. Censor eruditus in A. L. Z. ann. 1791. III. 460. retenta propria verbi *miscere* significatione, h. l. sic interpretatur: *miscens damno* (dat.) *sanguinis* (i. e. sui) *dolorem hostis*, i. e. *Büſse ich meine Jungen ein, nun so soll der Adler die seinigen auch bejammern.* vid. supra Notas ad h. l.

Excursus XIII.

Ad Libri I. Fabulam XXX.

Vs. 7. *Statio separata.* In MSS. Pith. et Rem. scriptum est: *est ratio separata, inquit, ac diuersum genus.* Itaque mirum videri potest nemini, istum quoque locum varie esse sollicitatum. Gronouius tuetur lectionem Codicum, vt *ratio* sit, ratio viuendi; quod ab hoc loco est alienum. Sic ediderunt praeter Rittershusium, Nevelet. Vrsin. Prasch. ita tamen, vt in Edit. Rittershusii sit: *ratio est separata, ait, a. d. g.* Probat Rittershus. lectionem Cod. Pith. *est ratio separata*; sed cum vel sic claudicet versus, τὸ *ait* remoueri vult, vt ex glossa interpositum. Contra in Editione Neveleti legitur: *est ratio separata, ait, a. d. g.*; Vrsinus: *est separata ratio a. d. g.* Alii legunt: *natio, ait, separata ac diuersum est genus.* Ita Rigalt. in Edit. 2. Scheff. Danet. Maittar. Walch. *Nationem* de animalibus dici, probant Scheff. Rigalt. Gud. quibus adde Gesner. in Thes. L. L. Festus: *in pecoribus bonus prouentus feturae* bona

natio *dicitur.* Virg. Aen. VII. 282. *illorum de gente*, de equis. Sic Graeci; *μελισσων*, *μυων ἔθνεα* apud Homerum. Salmasius in ora libri: *est natio separ, ait, a. d. g.* Τὸ *separ* excogitauerat Scioppius, legens: *est ratio separ, ait a. d. g.* Sed recte viris doctis, Hoogstratano, Burmanno multisque aliis, placuit emendatio Gudii: *est statio separata.* Vnicuique enim animalium speciei sedes est et statio. Vid. Notas. Sicque optime respondet Versus 7. duplici objectioni, vs. 5. et 6. factae. Bipontini, Scioppii et Salmasii prementes vestigia, ediderunt: *est statio separ, ait, a. d. g.* Hisce obsequitur cl. Müchlerus. Lallemant. Desbillon. cum Brotierio; *statio, ait, separata, ac diuersum est genus.* Longius abit Bentlej. quem sequitur Cuninghamus: *Esto, inquit, dispar vita ac d. g.* cujus emendationis Burmannus ne meminit quidem.

Excursus XIV.

Ad Prologum Libri II.

Vs. 1. Varie hunc locum explicare ausi sunt interpretes. Schefferus existimat, *genus* Vs. 1. respicere vocem *mortalium*, e Vs. 3. huc trahendam, vt sit ordo: genus mortalium continetur exemplis Aesopi; *exempla* vocare poëtam, quae mox fabulas: *τὸ continetur* absolute poni, pro, continetur in officio, coërcetur, docetur; ita Ciceronem *regere et continere appetitiones* dixisse. In eadem sententia sunt Hoogstratan. Wolf. Santoroc. Koerber. Richter. Barth. Adv. XIX. 21. it. ad Stat. Theb. XI. 551. maxime Gudius, qui suam h. l. interpretationem alios sibi vindicasse dolet *) Gronov.; denique cl. *van Bergen* Crit. Obs. C. XXIX. p. 59. sqq. qui locum ita interpretatur: *exemplis* sive fabulis *Aesopi continetur* in officio *genus* mortalium; cum antea dixisset, quod mireris, veram expositionem, in qua omnes adquiescere possint, nondum esse inventam. — Negari haud potest, verbum *continere* proprium esse magistrorum, qui regendae et erudiendae iuuentuti praesunt. Vid. loca, quae

*) Explicabat ita: *genus* mortalium *continetur*, coercetur in officio *exemplis Aesopi*, i. e. fabellis Aesopicis.

affert Gronov. in Not. Schefferi; Gell. N. A. XIX. 1. Graev. ad Cic. I. de Off. 6. p. 26. coll. Not. Gud. Atque etiam Burmannus notat elegantem verbi *contineri* significationem, pro, in officio retineri, doceri, laudans Val. Max. II. I. 2. et IV. III. 11. Sed *genus* pro humano genere eidem recte durum et inusitatum videtur, praecipue initio carminis. Nullus enim a Gronouio productus, locus *) probat, *genus*, absolute positum, et sine quibusdam aliis vocibus, quae vel praecedentes, vel sequentes ostendunt, agi de genere humano, significare genus humanum. Reliqui enim scriptores vel addunt semper *hominum*, vel *mortale*, *humanum*, vel simile quid, aut si absolute ponant, non longe ante aliquid praecessit, aut mox sequitur, vnde lector colligat facile, de humano genere agi. Deinde, vt ego quidem arbitror, duae istae sententiae, genus humanum continetur in officio, s. docetur, et error mortalium corrigitur, quoad sensum non multum differre, et vnum idemque notare videntur, adeo quidem, vt vero non sit simile, quicquid obloquatur doctissimus *van Bergen* l. c. τὸ *genus* eo, quo non pauci Interpretes volunt, sensu esse capiendum. Nihilo vero secius *genus* pro genere humano etiam Graevius capit, laudans Heinsium in Animadverss. ad Senec. Trag. a Scriuerio editis p. 345. sq. et explicans Phaedri locum eodem, quo Schefferus et Gronovius, modo. Vid. Epist. Graeuii ad Nic. Heins. in Burmanni Syllog. Epp. T. IV. p. 585. Ita etiam *Abresch.* ad Aeschyl. p. 158. Cl. Tzschuckius, si praeferatur vis vocis *genus* propria, ita vt humanum genus innuat, retulerit potius ad omne omnino animantium genus, quae exempli caussa producuntur. Eidem tamen placet Vs. 1. interpretari: Aesopi omnis ratio constat exemplis. Jam ante Burmannum et cl. Schirachium, quem v. in Clav. P. I. p. 150. Faber, Guyetus, Heins. Walch. *Aesopi genus* interpretati erant, genus scribendi, quo vtebatur Aesopus, i. e. docendi methodum per fabulas; *continetur* autem Fabro erat, *constat*. Dixit autem Cicero N. D. L. II. C. 23. *dii non venis et neruis et ossibus continentur, nec escis vescuntur.* Heumannus vs. 1. ita interpretatur: fabulae Aesopi continent exempla vitae; cum enim Aesopus inuentor fabularum dicatur, fabulas quasi ipsius genus et prolem esse.

---

*) Videri loca possunt in Not. Schefferi, maxime Burmanni, qui lustrat censura sua.

Laudat vero Prol. III. 33. Cf. N. B. P. XXVII. p. 607. Simili modo h. l. intelligit cl. Pauflerus; de quo vid. *Supplenda* et *Emendanda* ad h. l. Rigaltius denique *Aesopi genus* pro Aesopo ipso dici volebat, recte notatus a Fabro. Dici quidem potest *fabularum genus*, pro ipsis fabulis, quemadmodum Diodorus ἱστοριογραφῶν γένος dicit pro historicis; *Aesopi genus*, pro Aesopo, non item. Sed fac dici posse, an Aesopus exemplis contineri dici potest?

Videamus nunc de Conjecturis Criticorum. *Aesopi genus* habent MSS. Pith. Rem. et Edit. Vet. Male quidam, vt Lallemant. ediderunt, *Aesopi stilus*. Burmannus, vt suam hujus loci tueatur interpretationem, legendum proponit, *Aesopi hoc genus*; Heinsius vero Ep. XIX. ad Scheff. *Aesopi id genus*, sc. fabularum; Tollius *hoc scripti genus* conjicit. Bentlejus, gladio Gordium nodum resecans, vt Burmanni verbis vtar, ejicit *Aesopi*, et supponit, *exemplis continetur humanum genus*. Sed ostendit Harius, hic non vniuersim de exemplis, sed de solis Aesopi fabulis agi; nec ipse tamen se expedit, nisi totum infarciendo versum, quae ratio auctores tractandi periculosa et temeraria recte videtur Burmanno. Meursius totum prologum censet mutilum varieque trajectum, quem restituere conatur. Frustra; nam omnia bene cohaerent.

Vs. 9 — 11. Commodum et egregium hujus loci sensum esse, vnusquisque videt. Vid. Notas; nihilo vero secius varie viri docti vexarunt. Rittershus. Nevelet. Rigalt. Edit. 2. Vrsin. Faber Desbillon. *aliquid* cum *dictorum* jungunt, quod placet cl. Tzschuckio, cum *sensus*, (antea *aurem*) sic simpliciter positum, bene intelligi possit, et τὸ *dictorum* ad vtramque sententiam pertineat, rectius autem τῷ *aliquid* adhaerere videatur. Etsi vero non nego, τὸ *varietatis* absolute poni posse, quod multis probauit Burmannus contra Harium, non recte arguentem emendationem Bentleji; tamen non opus est, vt τῷ *aliquid* adhaereat *dictorum*, vt patet e Notis ad vocem *aliquid*. Separandum quoque notauit *dictorum* ab *interponere* Perizonius in Animaduers. Hist. C. II. p. 64. Heinsius Vs. 9. mallet legere, *sed vbi libuerit*, i. e. quotiescunque, quod nihil fere addit aut aufert sensui, notante Burmanno. Quia per compendium in Cod. Rem. et Pith. erat *siluerit*, inde Gronovius conjicit, *sed si fuerit aliquid interponere*, quia *est* cum infinitiuo aliquando pro *licet* occurrit. Sed ita hic etiam loqui cogetur

Phaedrus durissime et praeter morem suum. In qua correctione Gronovius quoque cogitur, in *aliquid* secundam productam pronuntiare, sine vllo exemplo, aut ratione. Vid. Burmanni et Hoogstratani Notas. Bentlejus reponit: *Sed si libuerit aliquid interponere. Diversum, sensus vt delectet varietas.* Sed τȣ *diuersum* nulla vestigia in editis et scriptis. Cum etiam *aliquid* non semper requirat adjunctum sibi adjectiuum, vt notaui ad vocem *aliquid,* Vs. 9. praeeunte Burmanno; hac emendatione non erat opus. Burmannus jubet legi: *sed si l. a. i. Factorum* vel *actorum sensus, vt* cet. nec sine ratione, quod fuse monstrat vir doctus. Facta enim opponuntur fabulis a Petron. C. LXXVI. Ovid. VI. Fast. 3. Cic. III. Off. 9 et 26. *dictorum* autem et *factorum* a librariis facile poterant confundi: *aliquid* denique cum genitiuo construi notum. Sed quia in vulgata lectione nihil est, quod lectorem morari possit, rectius retinet. Tollius in locum τȣ̃ *aliquid* substituit *aliud.* Versu 11. pro *accipias*, quod legitur in MSS. Pith. et Rem. Vs. 12. est: *ita sic rependet illi b. g.* Bentlejo obsequuntur Brotier. et Desbillonius.

Vs. 12. 13. Brotierio teste in MSS. Pith. et Rem. hic locus ita erat expressus: *Ita sic rependet illi breuitas gratiam.* (Gudius tamen in vtroque Codice contendit inueniri: *ita sic rependit illi b. g.*) *Cujus verbosa nescit commendatio.* Sic Editt. Pithoei, Rittershus. Nevelet. Vrsini, prima Burmanni, aliae; nisi quod Vrsin. habeat, *cui verbosa nescit commendatio*, et Rittershusius *cujus verbosa nescit commentatio*, nimirum rependere gratiam, censeat reponendum, probante Meursio. Cum vero particulae *ita sic* locum obscurum et intricatum reddere viderentur, alii tentarunt alia. Pithoeus, quem nonnulli sequuntur, (v. Brotier.) emendauit: *Ita sit, rependet illi breuitas gratiam.* At recte reponebat Heinsius: *Ita, si* pro, *ita sic*; *ne sit*, pro, *nescit*; *illam*, pro *illi,* quod ad scripturam antiquam propius accedit, quam *ista*, *istam*, *ipsa.* Editiones Rigaltii 2. Maittar. Walch. Hoogstratan. Danet. habent: *sic ista tibi rependet breuitas gratiam.* Gudius, praeter alia, conjicit: *studio rependet illi b. g.* id est, voluntati ili et beneuolentiae erga me. Ex *Stu* monachum descriptorem ait formasse *Ita*, atque *Dio* in *sic* conuertisse. Quae vix placebunt. Sanadon. satis temere elegi jubet: *saltem rependet ipsa breuitas gratiam.* Bentlejus, ex parte obsecutus Heinsio, conjicit: *accipiat velim*: *Ita, si rependit illi breuitas gratiam*: *Cujus v. n. s. c. Attende* cet.

in qua emendatione Burmannus vellet post *ita etiam* distinctionem duorum punctorum poni, vt Ovid. Trist. V. III. 53. *Idque ita*: *Si vestrum merui candore fauorem*; et Met. I. 377. Atque etiam idem vir doctus obseruat, si cum Bentlejo legamus, *accipiat*, quod videtur sequens *illi* poscere, quomodo deinde iterum conuerti oratio possit ad lectorem: *attende* cet. Refingit igitur, vt omnia cohaereant melius: Ita: *si rependet ipsa breuitas gratiam.* Bentleji *accipiat* recte quoque rejicit cl. *Bothe.* Barth. Ablegm. Crit. II. c. 23. mallet: *Ita, si rependet illi breuitas gratiam, Cui jus verbosa nescit commentatio.* Gudius enim testatur in MS. (Pith.) esse *cui jus.* Perizonius in Animadv. Hist. C. II p. 64. *Sic istam tibi rependet breuitas gratiam, Cujus v. n. s. c. Attende* cet. Ita ediderunt Philipp. et Lallemant. Graevius Ep. 519. ad Nic. Heins. in Burmanni Syllog. Epp. T. IV. p. 584. *ita* non refert ad vs. 12. sed praecedentes. Bonas in partes accipias velim, si quid interposuero dictorum. *Ita* sc. fiat. *Sic rependet istam breuitas gratiam.* Desbillonius totum locum sic construit:

Sed si libuerit, aliquid interponere
Dictorum, sensus vt delectet varietas,
Bonas in partes lector accipiat velim:
Sic ea rependet illi breuitas gratiam,
Cujus verbosa nec sit commendatio.

id est, quae verbose etiam non commendetur. A versu autem 14. et 15. incipit Desbillonius Fabulam I. hujus libri. At hi versus loco suo non mouendi, quod nonnullis visum est, post Pithoeum. Fuerunt adeo, qui continuo copularent fabulam I. cum Prologo, omissis verbis inscriptionis, *Iuuencus*, *Leo* et *Praedator.* Id quod factum a Fabro in Editione Phaedri. Bipontini ediderunt: *Lector accipias velim Ita, si rependet illi breuitas gratiam.* Brotier, qui vs. 11. legit, lectionem *accipiat* tuetur vulgatam, *ita sic rependet illi breuitas gratiam*, laudans Liv. L. II. C. 10. *Ita sic armatus in pontem disiluit.* Brotierio paret Didot. in Edit. stereotypa. Hisce addo, quae scribit Schirachius, V. D. in Clav. P. I. p. 321. Hunc difficilem locum non dubitamus, consentientibus vetustis libris, ita scribere: *Ita sic rependit illi breuitas gratiam* cet. Non ineptum videtur, seruare lectionem constantem in Codicibus, Vs. 12. et legere, *ita sic*, quod, nec sine exemplo, dici affirmat Gronouius in Emendationibus in Phaedrum (Vid. supra de Editt. Phaedri ann. 1703.) atque plane pleonasmus est germanus, cum

dicimus: *Auf diese Art also.* *Ita* enim pro *itaque* atque hoc modo explicandum. Sensus totius loci est: si vero hic ibi Aesopi fabellis aliquid adjecerim, atque varietati in narrando studuerim, aequi bonique consules, lector; quod si igitur a te consecutus fuerô, illi rei, quod tam beneuolus sis, gratiam rependit breuitas, quam hic in petendo sequor, dum non longiori petitione tibi molestus fiam. Ac ne hujus breuitatis meae verbosam commendationem instituam, qua demonstrem, quid ea mereatur, attende potius ad fabulam, quam narrabo, vt meum nunc est institutum, atque exemplo docebo, aequum esse iis, qui reuerentur petunt, obsecundare libentius, quam iis, qui importunius rogant. Haec optime conueniunt cum nota breuitate Phaedri." Non displicent, quae notat vir doctus de particulis *ita sic*; sed puto, non de breuitate in petendo, immo vero de breuitate historiae aut fabulae narrandae in hoc loco esse sermonem. V. Notas. Agmen claudat conjectura Cannegieteri, in Misc. Obs. Vol. VI. p. 603. rescribentis versu 13. *cui vis verbosa nescit commendarier,* vt vis verborum sit multitudo verborum.

Cl. *Lindnerus* P. I. Tentam. Critico-Philol. p. 4. Vs. 12. ita explicat: institutum interponendi veras fabellas, lector, bonas in partes accipias velim *ita*, hac conditione, si *ipsa breuitas narrandi* historiam, *rependet*, compensabit *gratiam*, suauitatem, quam habet fabula ficta prae historia vera. Et ne commendatio ejus breuitatis, contra ipsas breuitatis leges, verbosa sit, attende cet. Inesse autem fabellae fictae plus, quam historiae verae, gratiae suauitatisque, non tantum fabularum Romanensium copiam censet docere, quae omnes cupidius, quam de rebus gestis commentarii, arripiantur et legantur; verum etiam alacritatem puerilem, fabellis magis, quam narrationibus veris intentam. Quae interpretatio si forte placeat, vox *gratia* explicari debet, jucunditas, suauitas, Gallice *grace*; Germanice *Anmuth*. Cf. Notae.

Excursus XV.

Ad Libri II. Fabulam II.

Vs. 3. 4. *quendam.* Sic recte legitur ex Cod. Rem. in quo erat *quēdam*, lineola supra *e* adjecta. V. Gud. MS. Pith. *quae-*

dam, quod, quia sensus sic esset mutilus, Rigaltius propter sequens *tegebat* mutauit in *cuidam*, hoc sensu: mulier non rudis tegebat cuidam mediae aetatis annos. Sed non probat Guyetus, verba *aetatis mediae* referri ad *cuidam*; immo vero locum hoc ordine vult legi: Aetatis mediae mulier non rudis tegebat annos cuidam. Perperam; cum mulier vs. 10. *anus* dicatur. *Cuidam tegebat* ediderunt Neveletus, Vrsinus, Faber. *Tenebat*. In MSS. Pith. Rem. et Ed. Vet. legitur *tegebat*, quod defendit Tollius; sed propter sequens *celans* ferri non potest. Legendum *tenebat*, e certissima Praschii conjectura, a Gudio et Burmanno probata, et deinde tot virorum doctissimorum suffragiis confirmata. Ex quo intelligitur, vix opus esse emendatione Cuperi Obs. II. C. 20. *Aetatis m. cuidam mulier non rudis Degebat, a. c. e.* vt *degere alicui* sit, in alicujus obsequium; de qua locutione docte disputat Cuperus. Schefferus praefert *regebat*. Lapsus enim librariorum erat facillimus; atque etiam haec lectio nititur verbis Sueton. Galb. 14. *regebatur trium arbitrio*. Regere enim quendam mulier dicitur, quae eum sibi habet obsequentem, et ad nutum suum facientem omnia. Schefferum sequitur Johnsonius, quia anus quidem amabat, sed non amabatur a viro, cujus animos ceperat pulchra juuenis. Sed quaerit Burmannus: si non amabatur, quomodo *regere* virum dici potest, cujus verbi eadem est efficacia vere, quae τȣ *tenebat?* et fuisse aeque obnoxium vetulae ac juueni patet, quia vtrique caput suum spoliandum praebuit. Cl. *Jakob*, cui obsequitur cl. *Lange*, Proleg. ad Phaedrum p. 24. tuetur vulgatum *tegebat*, vt *tegere* idem sit, quod latus tegere, assectari, quo sensu legitur, apud Statium Silv. V. I. 25. sq. Docere enim fabulam, viros spoliari a feminis, siue eas ament, siue amentur ab illis; sed si legatur *tenebat*, virum vtramque et anum et pulchram juuenem amauisse putandum esse, quod repugnet scopo fabulae. Cl. *Jakob* assentit Censor doctus in A. L. Z. ann. 1785. II. p, 281. statuens, vero non esse simile, virum, eodem tempore, et puellae juuenis et anus amore fuisse captum; sed facile vetulam credi posse virum esse assecutam (*nachgegangen*) sicque *ament, amentur*, accommodatius dici et intelligi melius. Equidem cum Burmanno credo ita capiendam fabulam: primum se anui, forte propter opes, vel aliam ob caussam, virum hunc applicuisse, quae, vt fere solent, eum tenebat, et imperiose in potestate habebat: postea animos ejus cepisse juuenem puellam, ita vt re-

spondeat fabula illis *ament*, *amentur*; amabat puellam, amabatur ab anu, quam prius, ante puellam, amauerat, nunc vero minime. Praeterea Censor doctus in Ephem. litt. Gothan. ann. 1785. p. 411. monet haec: „*wir würden, wenn ja geändert werden soll*, *für* tenebat, *allemal eher* amabat, *als* tegebat *lesen*. Tegere *für* tegere latus *bleibt in dieser Stelle, des angezogenen Statius ungeachtet, ein unnatürlicher, gekünstelter Ausdruck.*"
Vs. 14. *annos*. In priori Editione Schefferus conjecerat *canos*; quod etiam Heinsius margini adscripserat, teste Burmanno; sed postea mutauit sententiam.

Annos celans elegantia. Sunt, qui per *elegantiam* intelligant id, quod Galli vocant *Galanterie*, vt Tan. Faber, cl. Sattler, qui vertit hunc versum: *die Jahre durch Galanterie verheelend;* recte, si intelligitur de comtu comae, pigmentis et reliquo cultu atque ornatu: quo sensu Germani non raro hac voce vtuntur; e. g. *ein Galanteriehändler*, *ein galantes Frauenzimmer*. At si capiatur pro suauitate morum et studio feminarum, vultu gestuque corporis et suauitate sermonis se commendandi viris, dubito, an sic recte celari dicantur anni. Atque etiam *elegantia*, sic absolute posita, vix occurrit alibi. Nam puto, efficere voluisse feminam, vt comtu cultuque junior videretur, quam re vera esset; quemadmodum Gellertus dixit: *ein altes Weib in junger Tracht.* Cf. Schefferum contra Fabrum disputantem. Cl. Schirach. *elegantiam* cepit, cum de cura comtuque corporis, tum de morum suauitate. V. Clav. P. I. p. 112. Walchius vero intelligit naturae elegantiam, siue faciem, naturae munere tam elegantem, vt per istam potuerit celare aetatem ingrauescentem, et prae se ferre speciem puellae mediae aetatis. Hunc confutauit Burmannus. Primo enim nihil affert Walchius, quo probet ita Latinis *elegantiam* dici; deinde ineptum certe ei videtur, cum anus cultu et munditie celaret aetatis et etiam ipsius faciei damna.

Excursus XVI.

Ad Libri II. Fabulam V.

Vs. 8. *Misenensem villam.* Sita erat prope Misenum, promontorium Campaniae, vicinum Cumis et Bajis, non procul

a Neapoli; sic appellatum a Miseno, tubicine Aeneae, qui cum ibi diem obiisset supremum, justis funeri solutis, ibidem sepultus est a). Exstructa est in vertice montis (*monte summo*) a C. Mario b): deinde emta a Cornelia, postea a Lucullo c), qui vel noua aedificia exstruxit loco veterum, vel has nouas ita restaurauerat, vt nouae possent existimari: id quod e Phaedri verbis, *posita Luculli manu*, colligi posse videtur d). Hinc appellata est *villa Lucullana* a *Suetonio* e). De immodico autem aedificandi studio Luculli, celebrataque ejus in exstruendis operibus magnificentia et profusione consulendi *Varro* f), Plutarchus g), alii h) quos laudat Desbillonius. Postea villa, Phaedro memorata, cessit Tiberio. Scribit enim *Tacitus* i): *mutatis saepe locis, tandem apud promontorium Miseni consedit* (Tiberius) *in villa, cui L. Lucullus quondam dominus.* Quem

---

a) *Virgil.* Aen. VI. 212—235. *Sil. Ital.* XII. 155. *Sol.* C. 2. *Mela.* L. II. C. IV. De hac villa cf. *Cluverii* Ital. illustr. L. IV. et *Cellarii* N. O. A. T. I. p. 834.

b) *Plin.* H. N. L. XVIII. C. 6. *Nouissimus in Misenensi villam posuit C. Marius septies Consul.* Senec. Ep. L. I. *illi quoque, ad quos primo fortuna Romani populi publicas opes transtulit C. Marius, et Cn. Pompejus et Caesar exstruerunt quidem villas in regione Bajana, sed illas imposuerunt summis jugis montium.*

c) *Plutarch.* in Mario C. 34. καὶ γὰρ ἦν ἐκεῖ (ἐν Βαΐαις) περὶ Μισήνȣς τῷ Μαρίῳ πολυτελὴς οἰκία, τρυφὰς ἔχȣσα καὶ διαίτας θηλυτέρας ἢ κατ᾿ ἄνδρα — ταύτην λέγεται μυριάδων ἑπτὰ ἡμίσȣς Κορνηλία πρίασθαι. χρόνȣ δ᾿ ȣ̓ πάνυ πολλȣ̃ διαγενομένȣ, Λεύκιος Λεύκȣλλος ὠνεῖται μυριάδων πεντήκοντα καὶ διακοσίων. ȣ̔́τως ταχέως ἀνέδραμεν ἡ πολυτέλεια, καὶ τοσαύτην ἐπίδοσιν τὰ πράγματα πρὸς τρυφὴν ἔλαβεν.

d) Cf. Not. *Heinsii* et *Desbillon.* in Addend. p. 49.

e) Tiber. C. LXXIII.

f) R. R. L. III. C. XVII. ad quem loc. v. *Schneider*, V. C.

g) in Lucull.

h) *Columell.* L. I. R. R. c. 4. *majores, quam postulauit agri modus, villas exstruxit.* Item *Plin.* H. N. L. IX. C. 54. *Lucullus exciso etiam monte juxta Neapolim majore impendio, quam villam exaedificauerat, euripium et maria admisit: qua de caussa Magnus Pompejus Xerxem togatum eum appellabat.*

i) Annal. L. VI. 50. Vid. etiam *Sueton.* Tib. C. 72. 74.

in eadem villa obiisse, testes sunt *Dio* et *Suetonius* k). Hanc Luculli villam, judicante Burmanno, etiam respicit Columella L. I. R. R. 4. vbi majorem fecisse villam, quam modus agri postularet, dicit: ex cujus praecepto videri etiam potest, non recte positam *monte summo*; cum ille velit medii collis positionem esse optimam, in eo tamen obsecutus praeceptis Lucullus, vt mare recte conspiceret, vt ait Columell. cap. sq. Cf. Burmann. Ditiores Romani atque ipsi imperatores villas habebant, in quas secedebant, et ibi a forensi strepitu remoti relaxabant animos.

Ad vs. 10. *Prospectat — despicit.* Sunt qui de fronte et tergo Phaedrum intelligant, et *respicit* praeferant, vt Heinsius, qui non veri esse simile censet, duo illa maria a fronte villam Tiberianam habuisse; sic autem locum interpretatur, vt ab antica parte Siculum, a postica Tuscum mare prospexisse statuat l). Quae rejicit Burmannus. „Quis enim, *inquit*, ad littus ita aedem poneret, vt latus spectaret mare, quod ipsum locum alluit, fronte vero prospiceret mare Siculum, tergo Tuscum? cum sine dubio tota frons obuersa fuerit in mare, tergum in agros, sed stantes ante villam, vel ex fenestris, vel maenianis prospicientes, a dextra in Tuscum, a sinistra in Siculum poterant oculos conuertere, h. e. quod Columella dicit, *recte mare conspicere*, i. e. a fronte villae m).“ Jac. Gronouius *perspicit* praefert, ita, vt *prospectat* de visu e longinquo; sed *perspicit* de visu e propinquo intelligat. Ipse tamen sibi diffidit, cum *prrspectare* etiam propinqua et vicina esse fateatur. Cui assentit Cl. *Schirach.* scribens n): „vt aedificia cet. eo spectare dicuntur, quo frontem vertunt; sic *prospectare* h. l. est, a summo monte Siculum mare e longinquo spectari, Tuscum vero subjacens *perspici*, namque magis erat vicinum,

---

k) *Dio* L. LVIII. C. 28. init. ad quem locum vid. Reimarus. *Suet.* Tib. C. 73. *Et tempestatibus et ingrauescente vi morbi retentus* (Capreis) *paullo post obiit in villa Lucullana.*

l) Vid. *Burmanni* Syll. Epp. Ep. 79. ad Scheff. T. V. p. 88. Sic fere Gronouius in litteris suis: „lego *respicit.* Vult frontem ejus in fretum, tergum in Etruscum mare versum fuisse.“ Vid. Not. Scheff. Etiam Tollius conjicit, *et respicit.* Vid. Ej. Not. P. III. Phaedri p. 156.

m) Vid. Exc. XVI. ad v. 8.

n) Clav. P. I. p. 301.

atque sic longe lateque hinc conspici posse dicitur. — In verbis *prospectat* et *perspicit* gratia quaedam, ταυτολογίας species. Sic Phaedrus L. III. F. X. 45." De lectione *perspicit* vid. Jac. Gronov. Emendatt. in Phaedr. p. 144. sq. coll. Not. Burmanni, cui tamen accedendum non est affirmanti, villam Siculo mari propinquiorem fuisse, quam Tusco; immo vero Tusco propinquior fuisse putanda est. *Chr. Crusius* o) legit: *respectat Siculum et prospicit Tuscum mare.* „Ita enim Burmanni, *inquit*, objectio de positu villae soluitur. Sita erat in Misenensi littore, ergo Tuscum mare prospiciebat, respectabat Siculum mare, quia in summo monte posita p). Graevius conjicit: *prospicit infernum, respicit Tuscum mare*, in qua lectione fingenda est villae positio talis, vt fronte spectaret inferum mare, tergo Tuscum. Sed inferum mare est ipsum Tuscum, siue Tyrrhenum, recte obseruante Burmanno. Cum hisce conjecturis conferendae sunt Notae ad h. l.

Vs. 11 — 13. Varie hos versus interpretantur viri docti. Equidem antea hunc locum vexatum ita explicari posse putabam: *dessen mit Franzen (Troddeln) besetzte Tunica von den Schultern an mit einer Scherpe, (Schurz) von Pelusischer Leinwand aufgebunden, straff angezogen war.* Tunica Romanorum non arcte inhaerebat corpori, sed paullo erat laxior, ad medium circiter crus pertingens q). Super tunicam cingebantur, et delicatiores quidem fluxius; at serui, vt h. l. Atriensis, ne inter discurrendum impedirentur, alte erant cincti et paullo strictius, ὑψίζωνοι. Contrarium *discinctus, tunicae demissae* r). Cingulum autem, s. balteus *(Scherpe, Schurz)*, quo tunica Atriensis erat destricta, s. constricta, factum erat ex linteo Pelusio, quod nomen traxit a Pelusiso, celebri et magna vrbe maritima Aegypti inferioris, nunc *Thine*. Lintei Pelusii meminit Plin. H. N. L. XIX. 1. Linteo autem succinctos fuisse veteres, docet locus *Suetonii* s), vbi de Caligula: *quosdam summis honoribus functos coenanti, modo ad pluteum, modo ad pedes stare*, succinctos linteo, *passus est.* Graeci ejus-

---

o) In Misc. Obs. Nov. T. X—XII. p. 383.

p) Cf. Ej. *Crusii* Probabb. Crit. p. 116.

q) *Nieupoort* A. R. Sect. IV. C. 1.

r) Hor. L. I. Sat. II. 25. coll. Ej. II. Sat. VIII. 10.

s) Calig. C. 26. coll. Joann. C. XIII. 4.

modi lintea σινδόνας appellant. Verbum autem *destringere* capi posse pro *zusammenziehen*, *anziehen*, fortasse probari potest e loco Senecae t): *est tanti vulnus suum premere, et patibulo pendere destrictum*; etsi probe sciam, h. l. et alio modo explicari posse. Denique notandum, tunicam atriensis in ima ora fuisse fimbriatam, s. cirros ex ea dependisse. Sunt autem cirri filamenta, ornatus caussa addita, nobis *Franzen*, *Troddeln*, dicti. Nam fila et floccos, fimbriae nomen habentes, quos Phaedrus *cirros* appellat, infimae tunicarum parti adsutos fuisse, nota res u). Hanc tamen interpretationem nunc non vrgeo a cl. Boettigero meliora edoctus. Vid. supra Notas. Alii aliter. Gronovius, qui legit *tunica districta*, explicat *colligata*, *consuta*, vt opponatur τῷ *resuta* apud *Sueton.* Oct. 94. *Sumenti virilem togam tunica lati claui*, resuta *ex vtraque parte*, *ad pedes decidit.* Cl. *Lindnerus* x) haec se non intelligere fatetur. Dicit enim: „quemadmodum acu et filo tunicae consuantur, sartores expedient; quomodo idem linteo Pelusio fieri possit, nemo expediet.“ Possit aliquis putare, Gronouium cepisse τὸ *consuere*, pro, *colligare*, nisi adjectus esset locus Suetonii, in quo τὸ *resuere* est, suturas, quibus vtraque tunicae pars, antica et postica, nexa erat super humeros, resoluere, (*auftrennen*) vt vtraque pars tunicae decideret ad pedes, idque factum, cum praetexta ademta, tunicatus staret. Vid. *Ernesti* ad loc. Sueton. Dixerat enim Gronouius, τὸ *consuta* opponi τῷ *resuta* Suetonii. Itaque cum ceperit τὸ *distringere*, pro, *consuere*, *zusammen nähen*; quae significatio ab hoc verbo est aliena: recte notatus est a Lindnero. Schefferus, retinens *destricta*, exponit, ad inferiora stricta, vt sit sensus: tunicam ab humeris demisisse ad ilia, ibique adstrinxisse linteo, ne madefieret inter aquae sparsionem, pectus brachiaque habuisse nuda. Sic cl. *Gail*, et sic fere Freinshemius, qui *destricta* in Indice reddit *abgestreift*, vt Col. XII. 47. 9. dixit: *sereno caelo oliua manu distringitur*, quo loco tamen malunt legere *destringitur*. Sic praeter Schefferum etiam alii explicant locum Phaedri. Schefferum confutare studet cl. *Lindner* y). „Schefferus, *inquit*, reddit: *ad inferiora stricta et ad ilia adstricta*, vt solent, qui stu-

---

t) Ep. CI. extr.

u) *Walch.* ad Cellarii Ant. Rom. p. 546.

x) Tentam. Phil. Crit. P. I. p. 4.

y) Tentam. Philol. Crit. P. I. p. 4.

diose laborant. Ad opus vero expediendum quid opus erat *tunica destricta*, cum tunicae essent sine manicis et vel sic impedirent neminem z)? Et nonne tum rectius dixisset: *constricta*, *adstricta*? Vno verbo, si nihil aliud his verbis dicere voluit, quam quod Schefferus indicat, versus vterque abesse commode poterat, cum idem jam versu praecedente expressum erat per *alticinctos*." Contra cl. *Schulze* obseruat a) haec: *Scheffer und Freinshem erklären es durch abgestreift, als sey die Tunica von den Schultern herunter gezogen, und der herabhangende Theil um die Gegend des Bauchs durch den Schurz eingefaſst. Das müſste viel unbequemer gewesen seyn.* Quae quidem a veritate non puto esse aliena. Sed cl. *Lindner*. τὸ *destricta* explicat *praetexta*, *subsuta*, hoc sensu: tunicam linteo Pelusio ab humeris praetextam fuisse, ita, vt cirri dependerent. Vertit autem Vs. 11. sq. sic germanice: *der eine Tunica an hatte, welche von den Schultern an mit Pelusischer Leinwand besetzt, verbrämet war, woran die Franzen herunter hingen.* Sed *destringere*, pro, praetexere, subsuere, apud Latinos scriptores vix occurrit. Deinde tunica linteo Pelusio praetexta fuisse nullo modo putanda est; cum vel e linteo Pelusio facta esset, quod vult doctissimus Boettigerus; vel atriensis linteo tantum esset succinctus, cirris vel in ipso cingulo linteo, vel in ima ora tunicae dependentibus.

Vs. 12. *linteo Pelusio.* Vid. Notam Boettigerianam ad h. v. Schefferus vult, Atriensem ad ostentationem pretiosa veste cinctum fuisse. Sed cum omnes fere linteae vestes ex Aegypto mitterentur, tam viliores, quam pretiosiores; nec Phaedrus indicet de lini hujus subtilitate, vel pretio aliquid; Burmannus capit potius de communi Atriensium et ministratorum ordinario vestitu, satis tamen mundo b). Sed vid. *Boettiger*.

Vs. 13. *cirris.* Cirri proprie de crinibus dicuntur (*Locken, gelocktes Haar*). Non sunt audiendi, qui hunc locum de plicis tunicae, aut de propendentibus ad latera vtrimque tunicae sinubus accipiant *). Praschius ex sententia *Pignorii* de Serv.

---

z) Non lubet, singula cl. Lindneri placita h. l. excutere; maxime cum in explicando hoc loco cel. Boettigero obsecutus sim.

a) Anmerk. zum Phaedr. p. 64.

b) Vid. Salmas. ad Capitol. Pertin. C. VIII. p. 549. et Ferrar. de Re Vestiar. L. III. C. 4. quos citat Burm.

*) Ita *Begerus*, teste Brotier. Not. ad Phaedr. p. 117. sq.

p. 222. sqq. et 461. capit de cirris comarum, dependentibus Atriensi, vt *cirratos pueros*, qui magistrorum scholas frequentabant, memorat Martial. IX. Ep. 30. **). Idem statuebat Burmannus in Editione prima, nec non Richterus, quibus deinde obsecuti sunt *Brotierius* c), *Desbillonius* d), cl. *Tzschucke* e). Aliis cirri, forsan melius, videntur esse fimbriae, quae oris extremis vestium adsui solebant. Quam sententiam tuentur Gudius, Salmasius f), Burmannus, cl. Schirach g), quibus et ego libenter accedo. Nonnullis tamen, vt Scheffero, cl. *Jördens*, Sattlero, Schulzio, quibus addendi Leonhardus et *Ferrarius* h), illi cirri videntur in linteo potius, quo atriensis erat succinctus, quam tunica fuisse, sicut habent hodie cingula, seu baltei, quibus sese cingunt in medio, aut etiam vestes quaedam sericeae ***). Neque etiam haec sententia displicet Burmanno i). *Neapolis* denique ad Ouid. IV. Fast. v. 933. putat, tunicae huic fuisse subtemen relictum, quod e linteo pendebat, et haec esse *lintea villosa* apud Martial. XIV. 138. quibus opponantur *lintea tonsa*, vel *tonsis villis*. Quae sententia recte placuit cl. Boettigero, quem vide, coll. Notis Burmanni.

Vs. 16. *come officium jactitans*. In MS. Pith. Rem. et Vett. Editt. quibus adjungenda Editio Didoti stereotypa, legitur: *jactans officium come*, quod est contra leges metri. Deinde τὸ *come* de serui officio offendit viros doctos, quia *comis* est su-

---

**) *Nec matutini cirrata caterua magistri*. v. Brot.

c) V. Not. ad Phaedr. p. 118.

d) Not. ad Phaedr. p. 25. „Crines soluti dependebant. Salmas. *de Coma* p. 349. *Soluti*, inquit, *crines et pendentes, cirri sunt*.“

e) Not. ad voc. *cirris*. „Cultus ille serui, quem et Pelusium linteum innuit, proprie de crinibus intelligi patitur. *Dependentibus* ex negligentia studium declarat.“

f) Ad *Capitolini* Pertin. C. 8. p. 549. *cirri* fimbris significant, quae per extimam vestis oram dependent, vnde tunicae cirratae Phaedro.

g) Vid. Clavis P. I. v. *cirrus*. Sic et alii *cirros* explicant, vt Cuperus L. I. Obs. 3. Κρόσσυς et θυσάνυς, teste Burmanno; Tollius, fimbrias, θυσάνυς.

h) De Re Vestiar. L. II. p. 38.

***) Cf. Not. Scheff.

i) Vir doctus laudat mappam illam Trimalchionis *fimbriis hinc illinc dependentibus* apud Petron. C. XXXII.

perior in inferiorem, dominus in seruum, v. Burmann. collato tamen cl. Tzschuck. Nec defuerunt, quibus *jactitans* hoc sensu locutio non bene Latina videretur. Itaque locus mirum in modum tentatus est. Olim legebatur *officium comae*, quam lectionem defendunt Praschius et Vrsinus. Etiam Desbillonius, agi credens de coma, non de officio, vel comitate Atriensis, legi jubet *jactans opificium comae*, hoc sensu, vt Atriensis opificium comae, siue capillos, vel vnguento delibutos, vel etiam calamistratos, curiose certe ac sollerter compositos, jactet, quemadmodum jubam jactare soleat equus, studio currendi inflammatus. Ad quod intelligendum praeparare Vs. 13. vbi memorentur cirri dependentes; *opificium* hic concinnitatem operosam significare, quale sit opificium, quo solent apes detineri, vt videre liceat apud Varronem, L. III. C. 16. comas denique, auctore Festo, dici capillos, cum aliqua cura compositos. Sed, vt ingenue fatear, displicent haec. Vt enim omittam, cirros dependentes alio sensu esse capiendos, hic de conspersione, non de coma sermo est, vt jam olim Schefferus vidit. Conf. Notae. Bentlejus conjicit: *jactans officium leue*, quod displicet Burmanno. Nam primo non leue censebat atriensis officium, potius jactabat vt insigne, nec debitum, et ideo sperabat praemium meriti et officii extraordinarii. Deinde si quis respectu Tiberii et ejus comitum *leue* velit capere, perit vis aduersatiuae, *sed deridetur.* Ipse autem Burmannus mallet legere, *domino officium jactitans*, vt L. III. F. VII. *domino officium praestare*; sed quia modo praecedit *domino*, vix audet. Alia quoque tentat, quae omitto. In Editione Jac. Gronouii est, *come officium jactans*, quod vix ferendum, obseruante Burmanno, cum spondeus claudat versum jambicum. Heinsius perperam conjicit *jactans comem offuciam*, vt apud Plaut. Most. I. III. 107. vel *come* retinet, sed transpositum loco, *come officium jactitans.* Harius, ostendens, recte et Latine dici *come officium*, nec tamen recipiendum, delabitur in Wasii correctionem, *jactans officium comes*, (v. Wasii Senar. p. 183.) quae nescit Burmannus, annon absurdior sit reliquis omnibus. Comites enim hoc tempore dicti soli amici principis, quos Tiberium in tres ordines distinxisse, narrat Suetonius; non ergo in sacro comitatu hic seruus poterat, esse, nec jactantior reliquis. Alia quoque conjicit, h. l. praetermittenda. v. Burm. Istam tamen Wasii emendationem amplectitur cl. *Bothe*, scribens: „Nil verius Wasii emendatione, *jactat officium comes*, i. e. comes

Tiberii, quod salse dictum, quasi Atriensis comitibus Imperatoris se adnumerari voluisset. Opponitur τῷ *comitari* mox *praecurrere*. Atque haec etiam Codd. MSS. scriptura est, littera finali *s* a sequenti verbo intercepta." Conjectura facilis profecto et felix; at, si quid ego judico, non facile admittenda; siue τὸ *comes* referatur ad Atriensem, siue ad alium quemcunque comitem. Etenim si intelligas de Atriensi, jam olim docuit Burmannus, hunc seruum in sacro Tiberii comitatu esse non potuisse. Neque etiam eo stultitiae processisse putandus est Atriensis, vt comitibus imperatoris se adnumerari voluerit, cum ne comitaretur quidem dominum, vt pedissequus; imo vero perambulantem viridia praecurreret, aestuantem humum conspergens, et sedans puluerem. Si vero τὸ *comes* cum Hario capias de alio quocunque, quem Atriensis sibi adsciuerit comitem, vt ineptam hano ejus opellam Tiberio et ejus comitibus venditaret et praedicaret; Burmannus nil vidit magis. „Itane, *inquit*, duos homines non apertius distingueret Phaedrus? et quid coactius et frigidius, quam *coepit conspergere* capere de Atriensi, *jactat* (quod etiam contra codices pro *jactans* supponitur) respicere alterum comitem illum: deinde *praecurrit*, iterum de Atriensi intelligi. Praeterea quis jam *deridetur?* an *conspergens*, an *comes jactans?* an *deridentur*, vt in Rigaltiana editione vidi, huic commento posset subseruire." Haec scripseram, cum nuper in Censura Phaedri Bothiani (Hall. A. L. Z. 1805. Partic. 258. p. 644) haec legerem, a Censore erudito obseruata: „In der Fabel von dem Atriensis nimt der Herausgeber *Wase's* Conjectur auf: *jactans officium comes*, für *come*, deren Feinheit *Burmann* nicht verstanden hat, indem er es lächerlich findet, daſs ein Sklave *comes Caesaris* genannt werde. Der Dichter will gerade durch dieses charakteristische Beywort die ganze Lächerlichkeit des Menschen bezeichnen, der sich eine solche Wichtigkeit zu geben suchte, als müſste er um den Tiberius herum seyn, und als gehöre er zu seinem Gefolge (comes)." At vero non est credibile, Atriensem ejusmodi opinionibus fuisse inflatum. Immo vero contextus orationis docet, nil magis ei curae cordique fuisse, quam vt gratiam iniret a Caesare, et libertate donaretur; id quod effici posse putabat, obeundo munus spargendi, quod ad ipsum non pertineret (*come officium*), in quo mirifice sibi placebat (*jactans*, vel *jactitans*). Cuninghamus satis

audacter legi jubet: *jactans officium suum.* Post Rigaltium omnes fere Critici substituerunt *come officium jactitans.*

Vs. 14. 21 23. ad voces: *dominus, dux.* Marchesellum, Italum, male habuit, quod Phaedrus Tiberium hac fabula appellauerit *Ducem*, quod eumdem *Dominum* vocauerit. Hocce tempore enim negat in more positum fuisse, vt Romanorum Imperatores titulo *Domini*, s. *Ducis* ornarentur. Quibus, praeter alia, inducitur ad credendum, hanc fabulam a scriptore istius aeui non esse scriptam, eamdemque esse fetum scriptoris alicujus recentioris, Perotti, Archiepiscopi Sipontini. Sed Tiberius a Phaedro vocari potuit *dominus*, non quia esset imperator, sed respectu serui, Atriensis, cujus erat dominus. Sic memorat *Dio* (L. LVI. p. 607.) dictum a Tiberio, *Dominum* se seruorum, Imperatorem militum Principem ceterorum esse. Ita Ter. Eun. III. II. 33. *apparet seruom hunc domini esse pauperis miserique.* Deinde certum est, hoc nomen tempore Phaedri imperatoribus Romanis interdum esse tributum, etsi boni principes ab hac appellatione abstinerent. Ita Suetonius C. 53. de Augusto: „*Domini* appellationem, vt maledictum et opprobrium, semper exhorruit. Cum, spectante eo ludos, pronuntiatum esset in mimo: *o dominum aequum et bonum!* et vniuersi, quasi de ipso dictum, exsultantes comprobassent: et statim manu vultuque indecoras adulationes repressit, et insequenti die grauissimo corripuit edicto, *dominum*que se posthac appellari, ne a liberis quidem, aut nepotibus suis, vel serio, vel joco passus est." Simili modo Tiberius acerbe increpuisse eos, qui ipsum *dominum* dixerant, dicitur a Tacito Ann. L. II. C. 87. Cui assentit Sueton. scribens Tib. C. XXVII. „*Dominus* appellatus a quodam denuntiauit, ne se amplius, contumeliae caussa, nominaret." Eodem igitur modo Tiberius a Phaedro vocari potuit *Dominus.* Atque etiam conjicere licet, Tiberium, qui tum, cum Phaedrus hanc fabulam scriberet, in bonorum Principum numero non amplius erat habendus, a poëta, adulandi studio abrepto, facile appellari potuisse *Dominum.* Post Tiberii tempora Imperatores Romani nomen *Domini* vsurpare coeperunt: quod primum fecisse Caligulam, testatur *Aurelius Victor* k). Qui *domini* titulus deinde

---

k) De Caes. C. III. *In principatu talis fuit, vt non immerito vulgaretur, atrociorem illo* (Caligula) dominum *non fuisse.*

a Domitiano est renouatus, teste *Eusebio* in Chronico p. 163. l). Huncce Imperatorem *Martialis* appellat *Dominum* et *Deum* m). Sed Imperatores Romani vocari quoque solebant *Duces*. Ita *Vellejus* n) narrat, milites seditiosos quaesiuisse nouum *Ducem*, vbi Tiberium intelligit. Et Ovid. I. Fast. 613. de Augusto: *augeat imperium* nostri Ducis *augeat annos* o). Huc quoque referendus locus Ovidii p): *Quae nunc sub Phoebo Ducibusque Palatia fulgent*, vbi intelligendi Augustus et Tiberius, quos poëta titulo *Ducis* insignire non dubitat, nisi cum Burmanno Cajum et Lucium malis intelligere, quem ad locum Ovidii citatum consules q); collato eodem ad Ovid. Ep. XIII. 43.

Excursus XVII.

Ad Libri II. Fabulam VII.

Vs. 8. *caedem.* Meursius scripsit *praedam*, quia nulla caedes facta sit, sed intra direptionem fiscorum vis omnis constiterit. Sed viri docti, maxime Burmannus, jure vindicarunt vulgatam, cui etiam fauent loca, in Notis producta. Nam vnde probabitur, caedem non esse factam? immo vero credibile est, fiscos cum pecunia non fuisse sine custodibus, qui cum mulionibus antea vel occidendi, vel vulnerandi, vel in fugam conuertendi erant a latronibus, quam hi diripere numos possent. Quis igitur dubitare possit, caedem esse factam? Atque etiam non sine caussa quaerit Burmannus: si caedes non facta est, quid opus erat ferro? Plura dabunt Notae. Heinsius

---

Adde, quae notat *Spanhemius* Diss. XII. de V. et P. N. Vol. II. p. 482.

l) Cf. Spanhem. l. c.

m) L. V. Ep. VIII. 1. *Edictum* Domini *Deique nostri.*

n) L. II. C. 125.

o) Cf. *Perizonius* in Ep. III. ad Nic. Heinsium in *Burmann.* Syll. Epp. T. IV. p. 738.

p) Art. Am. L. III. 119.

q) De titulo *Domini*, vide quos laudat Scriptores Gesnerus in Thes. L. L. coll. *Spanhemio* de Vsu et Praestantia Numism. Vol. II. Dissert. XII. p. 482. sqq.

adscripsit margini vel, *interque sepem*, vel, *vterque foede*, et in Ep. XIX. ad Scheffer. *interque se dum ferro mulum trusitant.* Ouveringius, Meursii vestigiis insistens, hunc versum transponit (citra necessitatem, cum omnia recte se habeant) in locum sequentis, pro *caedem* legens *praedam hunc.*

trusitant. In MSS. Pith. et Remens. est *trucidant*, quod repugnat et jambici versus metro, et veritati. Vid. vs. 12. Sic tamen edidit Rob. *Prevost.* Facile autem intelligitur, Phaedrum h. l. vsum esse verbo, quod responderet τῷ *laesus vulnere.* Vs. 12. sed rariori et difficiliori, quod deinde a rudibus librariis varie mutatum est. Non vnam Critici huic loco medicinam parauerunt. Meursius conjicit, *multum tunsitant*, verbum, nusquam alibi obuium; vel *tuditant.* Sic edidit Didotus. Rittershus. Nevelet. Vrsin. Gronov. Walch. *tonsitant*, quod et placet Scheffero, etsi nullo exemplo affirmetur, hoc sensu fuisse in vsu. Explicant autem, vulnerare in extrema cute. vid. Scheff. Pithoeus emendauerat *tunditant*, teste Brotierio. *Sauciant*, ex Heinsio excogitatum, placuit Bentlejo; quam conjecturam corroborat Codex Perotti, in quo legitur *sauciant*, quod receperunt Cuningham. Philipp. Lallemant. Brotier. Desbillon. At si scripsisset Phaedrus *sauciant*, inde non ortum esset *trucidant*, quod est in libris scriptis. Cf. Ephem. Gotting. 1784. Part. 67. Itaque cl. Tzschuckio τὸ *sauciant* ex glossa difficilioris irrepsisse recte videtur. Burmannus conjicit *lancinant*, cui lectioni ipse non multum tribuit: placet tamen Bipontinis, qui receperunt. Plerique, praeeunte Rigaltio, legunt *trusitant*, quod ad priscam Codd. MSS. scripturam accedit proxime; etsi nec sic omnis tollatur scrupulus. Heinsius denique legi posse putabat, *incursitant*, v. Notas Heinsii; at Salmasius *tusitant*, teste Gudio.

Excursus XVIII.

Ad Epilogum Libri II.

Vs. 1. *Aesopi ingenio.* In MSS. Pith. et Rem. corrupte fuit, *Aesopi ingentom.* Vnde Pithoeus emendauit: *Aesopi ingentem statuam.* Sed vulgo legitur, *Aesopo ingentem st.* Sic

Nevelet. Vrsin. priores Burmanni Editiones. At Gudius ob locum Prol. III. 52. 53. *Aesopi ingenio statuam posuere Attici*, legendum esse putat, cui suffragantur Bentlejus, Cuninghamus, Burmann. Lallemant. Brot. Bipontini, alii. Quam conjecturam deinde confirmauit Codex Perotti, in quo Epilogo Phaedri praemissus erat titulus: *ingenio et virtuti veram gloriam tribui*, primus autem versus diserte exhibebatur, vt Gudius conjecerat, *Aesopi ingenio statuam posuere Attici* r). Cui lectioni etiam fauet Cod. Divionensis. Vid. Additamentum in isto Codice post F. XXI. L. IV. quod inscribitur: *Aesopus de statua sua ad Ciues*, et *Lessingii* Romulum et Rimicium p. 52. sq. Voci enim *statuam* in Cod. Divion. non additur Epitheton; at legitur, *Aesopi ingenium.* Itaque lectio vulgata ob auctoritatem dictorum Codicum, et quia librarii non raro, pro *ingenio*, *ingentem* obtruserunt s), rejicienda est. Deinde non est probabile, vt recte videtur Burmanno, statuam, Aesopo positam, magnitudine alias, viris claris, et bene meritis erectas, superasse. *Spanhemius* t) et *Hoogstratanus* u) itidem probant conjecturam Gudii. Sed Gronov. Perizonius, Torrenius, alii, reponunt *ingenui statuam.* Contra] vulgatam *ingentem* tuentur, etsi frustra. Cl. *Schirach.* x), Schefferus, Desbillonius ad h. l. atque etiam retinet *Fabricius* y); admittunt denique non paucae Editiones, vt Hoogstratan. Interpretatur autem Fabricius *ingentem*, splendidam et illustrem, quod vellet probasset Burmannus. Desbillonius dubitat, an bene Latina sit locutio, *Aesopi ingenio statuam ponere*, praeeunte Franc. *Hare*, qui diserte dicit: „*ingenio alicujus statuam ponere* nullo, quod sciam, exemplo dicitur:" de quo dictum est in Notis. Causam vero, cur ingentem statuam Aesopo Attici posuerint, Desbillonius invenit in Epigrammate Agathiae z), quod exstat L. IV. Anthol. 33. sub finem, addita inscriptione: ἐις φιλοσοφὺς, ἐις εἰκόνα Ἀἰσώπυ a). In quo laudatur Lysippi, celeberrimi sculp-

r) Vid. Praef. Burmann. ad Edit. ann. 1727. sub fin.

s) Vid. *Acidalius* ad Curt. L. X. C. 5. p. 786. Edit. *Snakenburg.*

t) Ad *Juliani* Caesares, p. 528.

u) In Editione anni 1701. 4.

x) Clav. P. I. p. 11.

y) in B. G. Vol. I. p. 623. Edit. Harles. vbi vide.

z) Vixit Agathias, Scholasticus, Justiniani Imperatoris aeuo. v. Ritterhus.

a) Hoc Epigramma Latinis

toris, prudentia, quod Aesopum septem sapientibus annumerari cum vellet, eum non inter, sed ante ipsos collocauerit: Ἑπτὰ σοφῶν ἔμπροσθεν, propter doctrinam ejus praestantiorem. Vnde colligi posse putat, Aesopum, vt qui praestaret septem sapientibus, et ideo extra ordinem positus fuisset, habitum esse tamquam ipsorum principem, ac proinde insigniori, siue ingenti statua donatum. Quam quidem rationem nimis longe petitam esse, recte statuit censor eruditus in A.L.Z. ann. 1786. Vs. 476.

Vs. 15. MSS. Pith. et Rem. Veteresque Editiones, vt Pithoei, Rittersh. Rigaltii I. Nevelet. hunc versum ita exhibent: *Sin autem ab illis doctus occurrit labor*, quae viris doctis corrupta videntur, adeo quidem, vt Burmannus haec se non intelligere ingenue fatetur. Hinc jam olim Rittershusius emendabat, *sin autem illis d. o. l.* vt τὸ *m* non elidatur; vel, *sin autem et illis d. o. l.* b); sed Rigaltius, cui non pauci obsequuntur, in Editione anni 1617 corrigit, *sin autem doctus illis occurrit labor.* Rejicit tamen Desbillonius hanc emendationem, lectionem MSS. veterumque Editionum reuocans, hoc quidem sensu: sin autem fraudes laboriosae, siue docti doli mihi adversentur, siue objiciantur ab illis, quos in hanc lucem omnibus communem natura edidit sinistra, i. e. aliorum felicitati male consulens. Negat enim, per *doctus labor* opus Phaedri posse intelligi c), et indignatur, Interpretes patienter ferre, laborem Phaedri ab ipsomet *doctum* vocatum fuisse, desiderans alicujus antiqui scriptoris exemplum, qui proprium opus appellatione docti laboris indicauerit. Ad sustentandam autem interpretationem, paullo vt mihi videtur affectatam, affert Plauti *nimis doctum dolum!* Mil. Gl. II. II. 93. et Ter. Hec. III. 1. 6. *nos omnes, quibus alicunde aliquis objectus est labos*; Ciceronis denique Off. II. 2. *occurritur nobis et quidem a doctis et eruditis.* Quae exempla nil probant. Nam in loco Plauti ser-

---

metris inclusit Rittershusius, quem vide. Versionem Latinam, Grotio interprete, habes in *Fabricii* B. G. l. c.

b) Cuninghamus edidit: *si autem et illis*; Cl. *Jakob: sin autem et illis doctus occurret l.* Vrsinus: *sin autem*; *et illis*; Santorocus, *sin autem ad illos* doctus *occurret labor.* Praschius: *sin autem in illos d. incurrit l.*

c) Τὸ *doctus labor* etiam suspectus est *Christio* in libro de Moribus Eruditorum. Frustra. Vid. *Schirachii* Clav. Poëtar. P. I. p. 109.

mo est de docto dolo, i. e. dolo, callide excogitato; (*eine klug, sehr gut ausgesonnene List*) quae significatio loco Phaedri est aliena. Is enim loquitur de docto labore. Sed in loco Terentii *labor* est dolor, aerumna. Quid vero *doctus dolor*, *docta aerumna* sit, fateor equidem, me nescire. Vellem Desbillonius exemplum alicujus antiqui scriptoris attulisset, vnde probari possit, *doctum laborem* significare posse *fraudes laboriosas*; vellem luculentius indicasset, in quo consistant fraudes istae laboriosae, i. e. molestiarum et aerumnarum plenae. Denique a Phaedro opus suum non magis appellari potuit *doctus labor*, quam Proleg. III. 61. de se ipso dixit: *sollemnis mihi videtur gloria*, quod tamen patienter fert Desbillonius, quemadmodum complures alios ejusmodi se laudibus extulisse constat, quo referre solent Horatii *exegi monumentum aere perennius* *). Omitto ea, quae dixi in Notis ad Epil. IV. 6. 6. et ad h. v. Alii tentauere alia. Heinsius conjicit: *sin autem, vbi illis doctus occurret labor*; vel, *sin autem doctus illis arguitur labor*; et in Ep. XXI. ad Scheff. *ab illis doctus arcetur labor*; quae omnia non sine caussa displicent Burmanno. Sanadon. Philippe. Lallemant mallent legere: *sin autem et illos doctus offendet labor*; at Bentlejus pro arbitrio rescribit: *sin autem ab illis doctus obteritur labor*, sc. inuidia, livore et obtrectatione, quod, obseruante Burmanno, sensui satisfacit, sed nihil melius atque Heinsii *arguitur*; lectionem Bentlejanam tamen praefert Censor eruditus in Ephem. litter. Gotting. ann. 1780. *Zug.* p. 44. sq. Jac. Gronovius legi jubet: *sin autem asellis doctus occurret labor*, in quo praeiuerat Rigaltius, qui hanc lectionem defendit propter Vs. 16. hujus Epil. coll. L. I. F. XXI. 11. Hanc vero emendationem rejicit Burmannus, quia ille Phaedri mos non est, ita aperte conuiciari; nec asellorum est proprium, meliores carpere, sed nasutorum, vt alibi dicit. De conjectura Gronouii patris, *sin autem ad illos decurrit* cf. eumdem Burmannum. Heumannus perperam mutat *ab* in *hic*; *sin autem hic illos d. o. l.* vid. N. B. P. XXVII. p. 609. istud enim *hic* plane otiosum est. Scioppius mutat τὸ *ab*, quod est in MSS. in *ac*, probantibus Gudio, Scheffero et Burmanno, qui recipit, hoc sensu: *sin autem:* i. e. si vero minus; sc. si mihi non contigit, vt tu legas et magni facias; si animus tuus non sentiet, arte fictas esse fabulas; *ac doctus labor illis*

*) Vid. III. Od. XXX. 1.

occurret, i. e. in eos judices incidet, quos cet. Quae conjectura praeter ceteras arridet. Cl. Tzschucke, quia nihil posse, nisi meliores carpere, post dicit Phaedrus, vulgatam lectionem ita effingi posse existimat: *sin autem ab illis doctis occurret labor.* Sed cum *doctus labor* locum suum tuentur ob Prol. III. 26. hancce conjecturam non puto esse admittendam. Bipontini denique hunc locum vexatum sic emendant: *sin autem ab illis doctus occiderit labor.*

Sunt viri docti, quibus Epilogus hujus libri ex parte videatur mutilatus d); nec desunt, qui vel statuant, post vs. 7. omnia sequentia delenda esse; vel certe Vs. 12. sqq. vsque ad finem interpolatos esse et spurios. Nam praeter *Rigaltium* e) et *Heusingerum* f), quibus post V. 11. aliqua deesse videntur, etiam Cl. *Lindnerus* g) probare conatus est, post Vs. 12. vnum excidisse versum, quem supplere tentat. At lacunae suspicio est post vs. 11. non duodecimum, qui quoad sensum male cohaerere videtur cum antecedentibus. Sed audiamus doctissimum Lindnerum hac de re disputantem: In Epilogo L. II. 12. Phaedrus dícit: *Si nostrum studium ad aures peruenit tuas.* Hic quaeritur, ad quem pertineat *tuas*? Heusingerus íntelligit eum, ad quem hunc librum scripsit. Bene; sed porro quaeritur: isne, ad quem librum hunc scripsit, homo fuerit singularis, an subjectum, quod vagum dicunt? Si prius est, intelligi non potest, qui auctor dubitare potuerit, an peruenturum sit ad aures patroni sui studium suum h)? Ecquis enim

---

d) Ita *Sanadon* contendit, multas in hoc Epilogo esse lacunas, teste Brotierio.

e) Vid. Ej. Notas ad vs. 12.

f) Cf. Not. ad Epil. II. 5.

g) Tentamen Philólog. crit. P. I. p. 4. 5.

h) Mea quidem sententia Anonymus intelligendus est, ad quem librum fabularum scripsit. Sed e verbis poëtae: *Si nostrum studium ad aures pervenit tuas*, non potest colligi, istum dubitasse, fabulas suas ad aures patroni esse peruenturas, quoniam Phaedri consuetudo loquendi talem fert loquendi formulam. Ita in dedicatione ad Eutychum, Prol. III. 31. dixit: *Quem si leges, laetabor; sin autem minus, Habebunt certe, quo se oblectent posteri.* Persuasissimum habebat Phaedrus, Eutychum, etsi curis publicis

est, qui dubitet, an liber, a se scriptus, peruenturus sit ad aures ejus, ad quem eum librum scripsit? Ergo ille homo singularis et certus esse non potuit. At si subjectum vagum, h. e. lectores vniuerse, intelligi voluit auctor; tum, vt vere vidit Rigaltius, aliqua desunt, aut corrupta videntur. Neque enim ignorasse putandus est Rigaltius, probatam esse dictionem; *peruenire ad aures alicujus*, de quo ne semidoctus quidem dubitauit, nedum Rigaltius; sed acutius homo doctus vidit, et aliquid deesse subodoratus est. Nimirum in numero lectorum alii sunt *intelligentes* et *beneuoli*, alii *stupidi* et *malevoli*. De posterioribus auctor vs. 15. ita: *Sin autem* (sc. minus): *ac illis doctus occurret labor*, (sc. meus, h. e. fabulae) *sinistra quos in lucem natura extulit*, (h. e. stupidis) *nec quicquam possunt, nisi meliores carpere*, (h. e. malevolis). Quis non statim, his lectis, auguretur, opponi in prioribus debuisse lectores intelligentes et beneuolos? De *lectoribus beneuolentibus* vs. 13. agit. Quorum enim animus fabulas arte fictas sentit, ii sunt beneuoli. Nam maleuoli in aliorum virtutibus caecutiunt. Atqui nihil adest, quod respondeat versui 16. Ego locum mancum, sicut Rigaltio est visus, ita restituo:

Si nostrum studium ad aures peruenit tuas,
Quem protulit fausto natura sidere,
Et arte fictas animus sentit fabulas,
Omnem querelam submouet felicitas.

Potest alius locum aliter supplere, atque etiam quaerere: annon Phaedro licuerit, aut alteram partem omittere, ex serie orationis supplendam, aut per eos, *quorum animus fabulas arte fictas sentit*, vtrumque, et intelligentem et beneuolum, indi-

---

et priuatis distractum, lecturum tamen esse fabulas suas; nihilo vero secius dicit: *quem si leges, laetabor:* sed addit: si vero praeter opinionem et exspectationem meam non legeris, habebunt certe posteri, quo se oblectent. Si porro fingas, seruum, quem veteres dicebant Anagnosten, domino, seu Patrono Phaedri praelegisse fabulas (Vid. Notas ad vs. 12.), vtique Phaedrus dicere poterat in Dedicatione: *Wenn meine Fabeln dir zu Ohren kommen, und du an denselben Geschmack findest*; (si elegantiam suauitatem et vim fabularum, artificiose fictarum, percipis; *arte fictas animus sentit fabulas*) *so* cet. Prouoco ad lectorem, annon in alia re simili vtantur formula. *Schwabe.*

care? At tolle versum insertum, nec habebis, quo referas *et* vs. 13. i) nec facile expedies, quo referatur *tuas* vs. 12. k), quod Rigaltio causae satis est visum, cur locum corruptum judicaret."

Guyetus censet, totum hujus Epilogi locum a versu 8. vsque ad finem, non esse a manu Phaedri l); Versus 13. et 15. expressos esse e Prol. III. 3. et 26. versum 9. esse contra veritatem, cum vnus Phaedrus sit Aesopo secundus; neque etiam Phaedrum dicere potuisse, *plures habebit, quos opponat Graeciae*, cum Thracem se profiteatur Prol. III. Ad haec omnia quid responderi possit, certum est. (Vid. e. c. Notas ad vs. 9.) sed majoris momenti sunt, quae monet *Kohlius* m). Versus 12. sqq. vsque ad finem, *inquit*, suspecti videntur, quia nulla cum superioribus connexio, neque sensus, neque verborum. Deinde compositio quoque et oratio ipsa ab elegantia Phaedrinae dictionis plurimum abest. Quis enim nisi desipiens vocare sustineat suum ipsius laborem *doctum* n)? Quis Phaedrum ista scripsisse credat: *omnem querelam submouet felicitas*; *fatale exitium*, pro iniquiore censura; *fortunam pudeat criminis sui*: quae partim obscura, partim inepta et futilia sunt."

Huncce Epilogum passim interpolatum esse, non negauerim; sed cum non adsint Codd. MSS. quibus locis corruptis lux affundi possit; vera artis criticae ratio vult, vt potius intactum relinquamus locum, quam versus abjiciamus, suppleamus, sicque magis magisque interpolemus.

---

i) τὸ *et* in lectione vulgata bene jungit vs. 12. cum vs. 13. vt antecedentia docent; post *et* enim subaudiendum *si*, Vid. Not. ad vs. 13. *Schw.*

k) Non levis suspicio est, post Vs. 11. quaedam excidisse, quia vs. 12. sqq. nulla connexio, quoad sensum, cum antecedentibus; quae erat caussa, cur viri docti judicarent locum corruptum. Qui si plene aetatem tulisset, τὸ *tuas* optime responderet antecedentibus; at vero, vt locus nunc est, certe non potest esse obscurum, hanc vocem referendam esse ad Anonymum, cui Librum II. fabularum sacrum esse volui. *Schw.*

l) Vid. Not. Guyeti in Edit. Scheff. III. p. 250.

m) Comment. Crit. Pentad. I. 49. p 119.

n) Vide tamen Not. ad vs. 15.

SUPPLENDA ET EMENDANDA

IN

VOLUMINE I.

SUPPLENDA ET EMENDANDA.

a) *in Praefatione.*

Praefationi placet subjungere indicem Editionum, quas vel consului, vel in vsus meos conuerti. Sunt autem hae:

Editio *Rittershusii*, Lugd. Bat. 1598. 8.
— — *Neveleti*, in ejusdem Mythologia Aesopica. Frcf. 1610. 8.
— — *Meursii*, ex officina Plantiniana. 1610. 8.
— — *Rigaltii* II. Oliua Rob. Stephani. 1617. 4.
— — *Ursini.* Ratisbonae. 1657. 8.
— — Tan. *Fabri.* Salmur. 1657. 4.
— — *Freinshemii.* Argentorati. 1664. 8.
— — *Schefferi* III. quae habet Notas Guyoti. Hamb. 1673. 8.
— — *Daneti.* Paris. 1675. 4.
— — *Koeberi.* Jen. 1685. 12.
— — *Burmanni*, cum Notis Heinsii, Gudii, Rigaltii, Schefferi, Fabri, Rittershusii, Freinshemii. Amstel. 1698. et Hag. Comit. 1718. 8. maj.
— — *Hoogstratani.* Amstel. 1701. 4. maj.
— — *Gronovii*, cum Not. J. F. *Gronovii*, et Emendatt. Jac. *Gronovii.* Amstel. 1703. 12.
— — *Walchii.* Lips. 1713. 12.
— — *Richteri.* Jen. 1718. 12.
— — *Santorocci.* Marb. 1721. 8.
— — *Bentleji.* Cantabrig. 1726. 4.
— — *Burmanni*, cum nouo Commentario. Leid. 1727. 4.
— — *Maittari.* Londini. 1729. et 1772. 8.
— — Rob. *Prevost.* Paris. 1734. 12. maj.
— — *Leonhardi.* Jen. 1743. 12.
— — Londinensis. 1750. 12. typis *Brindley.*
— — *Cuninghami*, Edinburgi 1757. 8.
— — *Lallemanti de Maupas.* Rotomagi. 1758. 12.
— — *Funccii.* Rintel. et Lips. 1765. 8.
— — *Heusingeri.* Isenaci. 1772. 8.

Editio *Hartmanni.* Altenb. 1779. 12.
— — Henr. *Braunii.* Monach. 1779. 8.
— — *Brotierii.* Paris. 1783. 12.
— — Bipontina. Biponti. 1784. 8. maj.
— — Ludov. Henr. *Jakob.* Hal. 1785. 8. maj.
— — *Desbillonii.* Manhem. 1786. 8.
— — *Joerdens.* Berolin. 1788. 8.
— — *Tzschuckii.* Misen. 1790. 12.
— — *Schulzii.* Brunsuig. 1791. 12.
— — *Gailii*, ciuis Gallici, quae prodiit sub titulo: Les trois Fabulistes, Esope, *Phèdre* et la Fontaine, par *Champfort* et *Gail.* 1796. 4. Voll. in 8.
— — Xaverii *Weinzierl.* Monachii. 1797. 8.
— — stereotypa, a Petro *Didot* natu major. excusa. Paris. 1798. 12.
— — Wilh. *Langii.* Hal. 1799. 8.
— — Alb. Christian. *Meineke.* Lemgov. 1801.'

Editione mea Phaedri prelo jamjam tradita, tradidi autem nundinis Lipsiensibus vernalibus anni 1802, oblatae mihi sunt editiones sequentes:

Phaedri Aug. Lib. Fabulae Aesopiae, ad optimas editiones collatae juuenumque instructioni accommodatae, quibus appendix tripartita Fabularum Aviani et Anonymorum veterum addita est, studio et cura Joann. Joach. *Bellermanni*, Theol. et Philos. P. P. O. Gymn. Erford. Direct. Erford. 1802. 8.

Editio, nitide impressa, textum habet sine Notis. Recensionem Bipontinam praecipue, etsi non vbique locorum, secutus est Editor. Contulit enim, vt ait in praefatione, recensionem Burmannianam, Heusingerianam et Schwabianam, et earum lectione, interpunctione atque interpretatione explorata, optima quaeque selegit. Quinque fabulas propter obscenitatem omisit; Appendicem tripartitam addidit: 1) quinque fabulas Romuli, a Gudio e Codice Divionensi descriptas, et senariis numeris a Gudio, non a Petro Burmanno, redditas; 2) XVI. fabulas ex Rimicio, Anonymo et Romulo Nilantii, quas Burmannus in metrum jambicum redegit; 3) sex fabulas Aviani. Editio laudatur in *A. L. Z.* ann. 1803. mens. Mart.

Phaedri Aug. Lib. Fabular. Aesopiar. Libb. V. cum Notis grammaticis et exegeticis, lingua vernacula scriptis. Lips. 1802. apud Rabenhorst.

Non erat mihi tantum otii, vel singula excutiendi, vel

notabiliores Editoris Anonymi', [*Pausleri*, Rectoris Scholae Dresdensis] obseruationes suis locis inserendi. Non pauca tamen sub examen vocaui, et quid mihi videretur, in *Supplendis* exposui. In citandis et inculcandis praeceptis grammaticis praeiuerunt editori *Jani*, in *Arte poëtica Latina*, et *Broederus*, de studio Grammaticae Latinae praeclare meritus, quorum libris carere non possunt, quibus hac editione vti volupe est. Quo quidem nomine laudibus tollendus est Anonymus; studium enim Grammaticae a multis nostra aetate vilipendi solet ac negligi, quorum incuria in praefatione recte carpitur. Multis locis Phaedrum bene interpretatus est Editor. Cui etsi non in omnibus accedere licet; tamen non possum, quin laudem et ingenium et diligentiam viri. Anxie secutus est textum Burmanni; namque si recte memini, vix semel iterumque ab eo recessit, in quo me non habet assentientem. Adjecit multorum verborum etymologiam; id quod metuo, ne multis displiceat. Editiones, e quibus profecit, non indicauit. Ceterum liber non pauca continet, quae rectius abessent. Memorabo in sequentibus editorem libelli nomine *Anonymi*. Censuram habes in A. L. Z. edit. Hal. 1803.

Phaedro jamjam sub prelo sudante, oblata mihi est noua Phaedri editio, sub titulo:

Phaedri Aug. Lib. Fabular. Aesopiar. Libri V. *Publii Syri* aliorumque Veterum Sententiae. Cum Notis integris Rich. *Bentleji*, selectis aliorum, quibus et suas addidit Frid. Henr. *Bothe*. Lips. sumtu E. B. Schwickerti. MDCCCIII. 8.

Editor doctus dedit textum Phaedri, ex sua ipsius recensione, si tamen *recensionem* dicere fas est, in quâ codices MSti non adhibiti sunt, antea numquam vsurpati. A textu Bentleji multis locis, nec sine caussa idonea recessit. In emendando Phaedro secutus est cum emendationes aliorum, tum suas; in quo genere non raro ostendit, se esse in arte critica exercitatum, et linguae Latinae bene gnarum. Non vnam conjecturam esse ingeniosam et facilem, ingenue fateor; aliae tamen videbantur vel arbitrariae et justo audaciores, vel minus necessariae. Repugnant enim praeceptis criticis, quae in praefatione dixi me esse secutum, et multis locis Codicum ratio habita est omnino nulla. Sed hoc otium datum non erat, singula cl. Bothii placita disquisitioni subjiciendi; verumtamen memoraui omnes viri docti emendationes et conjecturas, atque etiam de nonnullis judicium feci in *Supplendis*. Censu-

ras editionis Bothianae vide in *Ephemer. Litteratur. Lips.* ann. 1803. Partic. 46. et Halens. ann. 1805. Nro. 258.

Praeter editiones Phaedri, paullo ante nominatas, adhibui: Editiones fabularum Aesopi curatas ab *Hauptmanno*, Lips. 1741. 8. maj. et Joann. Christ. Gottlieb *Ernesti*, Lips. 1781. 8. Praeterea Editionem Fabularum *Anonymi*, cura et studio Nilantii. L. B. 1709. 12.

Inspexi quoque Versiones gallicas, maxime *Albini*, i. e. Isaaci *le Maître de Sacy* et *Lallemanti*; Versiones denique germanicas, potissimum *Sattleri* et *Gerickii*, jamjam laudatas in praefatione. Nam Oertelianae videndae sero mihi copia facta est; passim tamen citaui in Supplendis. Prodiit autem libellus sub titulo:

Phaeders Aesopische Fabeln, prosaisch übersetzt, mit einem antiquarischen Wörterbuch erläutert, und zu einem durchaus faſslichen und unanstöſsigen Lesebuch für die Jugend bearbeitet, von Euchar. Ferd. Christian *Oertel*, der Weltweisheit Doktor und ordentlichen Lehrer am Königl. Gymnasium in Ansbach. Ansbach. 1802. 8. Censuram v. in Ephem. litter. Halens. ann. 1804. Partic. 98. Haec versio reliquis, prosa scriptis, facile palmam praeripit.

Hoc loco liceat mihi, quaerere a viris doctis, quod fatum expertum sit Phaedri exemplar, olim dono datum *Rudbeckio*, Libero Baroni Suecico, a Joann. Bapt. *Schioppalalba*, Bibliothecae Venetae, cui nomen inditum est a St. Marco, Praefecto. Possederat librum *Lucas Holstenius*, Vir eruditissimus, qui inseri jusserat chartas albas, refertas subsequenti tempore notis et obseruationibus exquisitissimis aeque ac praestantissimis, quas vt Rudbeckius in vulgus ederet, suisque locupletaret obseruationibus, majorem in modum rogabat Bibliothecae praefectus. Haec docuit me Vir Cl. et doctissimus W. C. G. *Schneider*, Gymnasii ill. Isenacensis Professor, quem mirifice diligo magnique facio.

SUPPLENDA ET EMENDANDA.

b) *in Notitia litteraria.*

P. 29. n. 2. Specimen scripturae e Codice Remensi, exhibens fabulam Phaedri integram, de *Vulpe ad Personam tragicam*, habetur in erudito Opere, edito sub titulo: *Spectacle de la Nature par Pluche* T. VII. p. 244. Editor libri acceperat istud specimen a Vacherio (*le Vacher*), Bibliothecae Abbatiae Rhemensis (de St. *Remi* de Rheims) praefecto. Venerabile quidem monumentum, cum ipse Codex flammis fuerit absumtus! Perpauca in isto specimine scribendi compendia inueniuntur, et litterarum ductus ita sunt comparati, vt non inepte statuant viri docti, loco paullo ante citato, Codicem saeculo nono decimoue non esse juniorem. Ceteroquin notandum, fabulam non per versus esse dispositam, sed continuo sermone conscriptam. Vid. ad L. I. F. XIV. 9. coll. Disp. de Phaedro Ant. Script. p. 219. sq.

P. 31. post lin. 2. Quaestionibus litterariis de Codd. MSS. Phaedri jamjam officinae typographicae traditis, oblatus mihi est eruditus idemque eleganter scriptus libellus, sub titulo: *Remarques sur l'Edition des Fables de Phèdre* donnée par Gabr. *Brotier*. 1783. auctore *Adryo* (Adry) V. C. Bibliothecae Oratorii Parisiensis quondam praefecto *). Quibus ex obseruationibus, quae spectant ad historiam Codd. MSS. Phaedri litterariam, cum quaestiones nostrae suppleri possint et augeri; ab instituto nostro non alienum visum est, easdem h. l. addere.

Dans la Préface, le P. Brotier avertit, qu'il a consulté deux manuscrits de Phèdre, l'un de plus de 900 ans, qui vient de Mr. Pithou, et qui appartenoit, dans ces derniers temps, au président *de Rozambo*, qui le communiqua à l'éditeur; l'autre, qui se trouvoit dans la bibliothèque de S. Remi de Reims, ou plutôt une copie de ce manuscrit, qui a peri dans l'incendie de cette bibliothèque, en 1774.

---

*) Vid. Magasin encyclopédique VI. Ann. T. II. p. 440. sqq. Editore *Millin* V. Cel.

Le P. Brotier prétend que le premier de ces manuscrits avoit été trouvé en Lorraine, par le P. *Sirmond* son confrère, qui l'envoya à François Pithou son ami, dont le frère Pierre Pithou, donna la première edition de Phèdre. Cette assertion singulière, pour ne rien dire de plus, a sa source dans les Journalistes de Trevoux, année 1708. p. 787.

Le P. Brotier, qui possédoit au suprême degré ce qu'on appelle *l'esprit de corps*, a adopté avec empressement, et sans examen, une opinion si honorable pour le corps dont il étoit membre, et qui étoit avancée par des personnes dont il se seroit fait un scrupule de révoquer en doute ou la science ou la bonne foi. Ces Journalistes, ce que ne disent ni le P. Brotier ni le P. Desbillons, vont bien plus loin. L'idée qui leur est venue est d'un ridicule trop rare, pour ne point rapporter ici leur phrase toute entière: „Quand le fameux P. Sirmond eut trouvé, en Lorraine, le premièr manuscrit de Phèdre dont on ait parlé, Mr. Pithou, à qui il le donna, s'imagina peut-être, sur l'autorité (ils devoient dire, d'après le silence) de Sénèque, que l'ouvrage étoit supposé et moderne; et, comme il connossoit avec combien d'esprit et de delicatesse le P. Sirmond écrivoit en Latin, il fut tenté de lui attribuer ces Fables.“

Autant de lignes, autant d'erreurs; et voilà assurément un brevet en forme, du plus habile *Dom Titrier*, dont on ait jamais entendu parler, donné libéralement au bon P. Sirmond, puisque l'on suppose que Mr. Pithou, très-connoisseur en manuscrits, l'a pû croire capable d'avoir fabriqué, *a capite ad calcem*, un manuscrit du huitième ou neuvième siècle.

Il est bien difficile de croire que le P. Brotier n'eût jamais lu l'excellent traité du P. *Vavasseur*, *de ludicra dictione*. Ce savant jésuite y parle du manuscrit de Phèdre, d'une manière infiniment plus exacte et bien précise, mais tout autrement que ceux que l'abbé d'Olivet appeloit *les Trevousiens*. C'est à la page 205: il dit que le P. Sirmond lui avoit raconté, qu' étant à Rome il reçut de Pierre Pithou, à titre d'ami, un exemplaire du Phèdre que celui-ci venoit de publier pour la première fois; que les savans de Rome parurent d'abord étonnés de cette apparition si tardive d'un auteur aussi ancien; et que, comme les Romains sont un peuple

— — — *Emunctae naris,*
Natura nunquam verba cui potuit dare,

ils supçonnèrent d'abord quelque fraude; mais qu' ensuite,

ayant lu et relu cet auteur avec une grande attention, ils y reconnurent le goût et le style du siècle *d'Auguste*.

Le P. Brotier n'est pas le seul qui se soit trompé sur le manuscrit de Phèdre. M. *Grosley* lui-même, quoiqu'il fût de Troye, patrie de nos *Varrons* françois, a partagé longtemps une autre erreur de *le Batteux*, de *Rivery* et de quelques autres écrivains. A la fin du catalogue des manuscrits de François Pithou, qui se trouve dans le second volume de la vie des Pithou, il met en note: „on sera sans doute étonné de ne point trouver ici le manuscrit de Phèdre; j'ai oui dire qu'il étoit passé dans la bibliothèque d'une communauté de Reims.“ Je lui fis remarquer, dans le temps, qu'il confondoit deux manuscrits différens; et depuis il a eu occasion, dans un de ses voyages à Paris, de constater, que le manuscrit de Mr. Pithou n'avoit jamais appartenu au college de Troye, ni à l'abbaye de S-Remi de Reims, qui en possédoit un autre. Voici ce qui a donné lieu à ces différentes erreurs.

Il n'y a jamais eu, dans ces derniers temps, que trois manuscrits de Phèdre; celui de Pithou, celui de Reims, celui de Pierre *Daniel*; encore ce dernier ne contenoit qu'une partie du premier livre. François Pithou, par son testament daté du 25 novembre 1617, laissa sa maison de Troye, pour qu'on y établit un collége, auquel il légua tous les livres qui se trouveroient en sa maison. Il laissoit ses autres livres à son neveu Pierre Pithou de Bierne. Celuici mourut sans postérité, et les biens des Pithou passèrent aux deux filles du savant Pierre Pithou, frère de François. *Marie*, la seconde de ces filles, épousa Jean. *l'Eschaffier*, et leur fille Marie l'Eschaffier épousa Louis *Le Pelletier*, père de l'illustre Claude *Le Pelletier*, contrôleur-général des finances. Il n'est donc pas étonnant que le manuscrit de Phèdre ait passé à Mr. *Le Pelletier de Rozambo*. Cet infortuné magistrat m'avoit promis de me le faire voir. On l'a vu dans sa bibliothèque, lorsqu'on s'empara de ses biens; et lorsqu'ils ont été rendus à sa famille, il ne s'est plus retrouvé. Je n'examinerai point ce qu'il peut être devenu, et on sera peut-être plus curieux de savoir, de qui M. Pithou le tenoit. Les deux frères ne se sont jamais expliqués là-dessus; cependant on avoit déjà contesté l'authenticité de Phèdre: l'offre de communiquer le manuscrit, et l'indication de la bibliothèque dont il avoit été tiré, auroient suffi pour répondre à une partie des objections. Mrs. Pithou ont gardé sur ces

deux articles un profond silence, et sans doute ils avoient leur raisons. On ne peut donner que des conjectures, et le lecteur jugera, si celles, dont je vais lui faire part, ont quelque vraisemblance.

Les Calvinistes avoient pillé, en 1562, la riche bibliothèque de S. Benoît-sur-Loire. Pierre Daniel, avocat d'Orléans et bailli de cette abbaye, avoit garanti du naufrage des manuscrits très-précieux et d'autres livres qui étoient dans cette bibliothèque, et il en racheta d'autres à vil prix. Parmi ces manuscrits, il s'en trouvoit un, non pas de toutes les Fables de Phèdre, mais d'une partie du premier livre; un tiers, selon le P. Desbillons, qui devoit dire deux tiers, puisqu'on cite des variantes depuis la première jusqu' à la vingt-unième fable inclusivement *). A la mort de Daniel, Paul *Petau* acheta ce fragment, qu'on avoit cité auparavant sous le titre de *vetus Danielis Charta*, et qui prit le nom de *Petaviensis Codex*. La reine *Christine* le fit acheter à la vente de Pierre *Petau*, et le communiqua à *Vossius*. On sait que les manuscrits de Christine ont passé dans la bibliothèque du Vatican.

MM. Pithou étoient très-liés avec Daniel, et il's l'étoient avec plusieurs protestans. Ils étoient *Helluones librorum*; et, comme on le dit dans le *Scaligeriana*, ils sentoient les livres, comme le chat les souris. Ils achetoient tous les manuscrits qu'ils pouvoit trouver, et sans doute ils ne négligèrent pas une si belle occasion d'enrichir leur *librairie* (c'étoit le terme), que celle que leur offroit la dispersion des livres de la bibliothèque de G. Benoît et des plusieurs autres bibliothèques. Il est à présumer que le vendeur, dont les titres n'étoient pas merveilleusement constatés, exigea des acheteurs un silence qu'ils lui gardèrent fidellement. On trouve dans le premier volume des oeuvres posthumes de D. *Mabillon*, une lettre très-curieuse de D. *Estiennot*, qui nous apprend le sort de la bibliothèque de S. Benoît. Voyez aussi le second volume de la Nouvelle Diplomatique. Si le P. Sirmond eût trouvé le Phèdre en Lorraine, MM. Pithou n'auroient pas eu les mêmes raisons, de garder le silence, et ils se seroient empressés de lui faire honneur de cette decouverte. Mais le P. Sirmond,

*) Compara Notit. Litter. de Codd. MSS. Phaedri, n. 3. de Cod. MS. Danielis. *Schwabe.*

comme on l'a vu, étoit en Italie, et il n'en revint qu'en 1608. A son retour il passa par Lorraine, et ensuite par Reims, où il trouva en effet un autre manuscrit de Phèdre, dont il communiqua les variantes au savant Nicolas *Rigault*, qui en profita pour donner, en 1617, chès Robert *Etienne*, sa belle Edition de Phèdre, in 4., avec une épitre dédicatoire au président de Thou. Cette épitre avoit déjà paru dans une édition in — 12, *Drouart*, 1600, avec la date du 10 des calendes de Septembre 1599, que Rigault conserva dans l'édition de 1617, quoiqu'il y eût ajouté, entr' autres choses, cette decouverte du P. Sirmond. Voilà ce qui a donné lieu aux jolies réflexions des Journalistes de Trevoux, et à l'erreur du P. Brotier *).

La première édition de Phèdre est de la plus grande rareté. En voici le titre: *Phaedri Aug. Liberti Fabularum Aesopiarum Libri V, nunc primum in lucem editi. Augustobonae Tircassium, excudebat Jo. Odotius, typographus regius.* Anno 1596, *cum priuilegio*; petit in — 12. de 67 pages, sans les variantes et l'extrait du privilége accordé à P. Pithou. Il y a en tête des beaux vers de *Q. Sept. Florens Christianus*, adressés *Petro Pithoeo, antiquitatis vindici*, qui ont été supprimés mal-à propos dans presque toutes les éditions suivantes. Ces vers sont suivis de la lettre de P. Pithou à François son frère, et de deux extraits, l'un d'Avienus, l'autre de Priscien. Je ne sais si P. Pithou eut même le temps d'être instruit de la sensation que le Phèdre fit dans Rome, puisqu'il ne survécut à l'édition qu'il en avoit donnée, que deux mois, selon M. Grosley, et peut-être moins, à ce que je crois. La cession du privilége est datée du 31 août; le Phèdre ne dut paroître que vers le milieu de Septembre au plus-tôt, et P. Pithou mourut à Nogent-sur-Seine le 1er novembre — — — *)

Le P. Brotier ajoute qu'il s'est aussi servi d'une copie du MS. de Reims, faite par D. *Vincent*. Il s'appuie de l'autorité de cette copie, même pour les deux premières pages; ce qui m'étonne, et voiçi pourquoi: D. *Vincent* s'étoit contenté de mettre les variantes du MS. de Reims, sur une édition de Phèdre,

---

*) Vide Notit. Litter. de Editt. Ph. ann. 1599. *Schwabe.*

*) Cf. Notit. Litter. de Editt. Ph. ann. 1596. *Schwabe.*

in — 12. Paris, *vid. Brocas*, 1743, qui se trouve à la bibliothèque nationale *).

Au bas de ce prologue, ce bénédictin a écrit: „jai manqué dans les temps, et je ne sais comment, de vérifier ce prologue et la page suivante;“ (c'est-à-dire, jusqu'au vers, *qui dissolutos mores*, etc. de la 2. fable). On a joint à cet exemplaire l'original de la lettre que D. Vincent écrivoit à quelqu'un des gardes de la bibliothèque, et dont l'adresse s'est egarée a). Au dessus de la 3. fable, il a écrit: Cette fable est les suivantes ne portent aucun titre moral dans notre MS. Après le dernier vers de la dernière fable:

Hoc cur Philete scripserim, pulchre vides.

il a mis, comme l'observe le P. Brotier: „Il n'y a point de feuillet perdu qui puisse faire juger que d'autres fables aient été aussi perdues. Les feuillets ne sont point séparés, et le tout fait suite. Les cinq fables qu'on ajoute ne sont point dans notre MS. „Cette dernière phrase a été omise par

---

*) Compara Notit. Litter. de Codd. MSS. Ph. N. 2. de Cod. MS. Remens. *Schwabe.*

a) Voici cette lettre:

Monsieur!

„Aussitôt mon arrivée, je me suis fait un véritable plaisir de tenir ma parole. Je Vous envoie le texte de notre Phèdre, avec les fautes et les bévues de notre copiste. A sa façon d'écrire, vous jugerez qu'il avoit sous les yeux un ancien manuscrit. Ainsi, par exemple, donnant au *o* le son du *q*, et mettant des *o* pour des *u*, il a écrit *qui* ou *quo*, *quoi* pour *cui*; ainsi il dit *intellego* pour *intelligo*, et *ingrabantibus* pour *ingravantibus*, etc. J'avois jugé, par le caractère, que notre manuscrit devoit être de la fin du septième siècle ou du commencement du suivant. J'en envoyai un *Specimen* à M. de *Foncemagne*. Je crus même qu'il ne seroit pas inutile d'en donner une courte notice, ainsi que de l'*Aulularia*, qui y est jointe. Elle se trouve dans l'almanach de Reims, 1774.

Je suis, etc.

J. C. Vincent.

A. S. Remi de Reims, le 9. octobre 1776.

P. S. Sur l'*Aulularia*, ou le *Querulus* du manuscrit de Phèdre; voyez, Monsieur, le Nouveau Traité de Diplomatique des Bénédictins, in 4. Tom. II. p. 92. et suiv.“

le P. Brotier, qui donne néanmoins ces cinq fables d'après Marquardus *Gudius*, sur un MS. de Dijon.

Après la perte de l'un des MSS. de Phèdre et la soustraction du second, il est difficile de juger, quel étoit le plus ancien. Le P. Brotier estime que le MS. de Pithou étoit à peu près du 10. siècle. M. *Pluche*, qui nous a donné un échantillon du MS. de Reims dans le 7. vol. du *Spectacle de la Nature*, dit que ce dernier est reconnu pour être du 9. ou 10. siècle. Ainsi je crois, que D. Vincent s'est trompé, et que les deux MSS. étoient à peu près du même âge, en observant néanmoins que le MS. de M. Pithou étoit plus complet dans l'origine, et qu'il avoit été copié sur un MS. de Reims. Dans celui-ci les lacunes ne sont point indiquées; tous les mots se suivent, lors même qu'il est évident que plusieurs vers sont omis; et on lit à la fin: *Phaedri Aug. liberti liber V. explicit feliciter*, quoique le P. Brotier n'en fasse pas mention. Dans le MS. de M. Pithou, au contraire, rien n'annonce une fin; il y en avoit même un feuillet déchiré a la fin, et il y en avoit d'autres dans le corps de l'ouvrage. M. Pithou en fait la remarque, et il indique ces lacunes par de lignes ponctuées. — —

P. 31. post lin. 2. Codex *Danielis* non est integer: complectitur enim tantummodo Libri I. Fab. I — XXI. Sed *integri* Phaedri Codices hodie dici possunt interiise. Codex enim, quo vtebatur Perottus, aetatem non tulit; certe nondum repertus est; Remensem constat flammis fuisse absumtum; Pithoeanus vero, qui ante hoc decennium Parisiis ornamentum erat bibliothecae Pelleterianae, *nunc* certe in perditorum librorum numero habendum esse, ex sequentibus patebit. Ex quo judicari potest, quanti momenti et quanti pretii sit specimen scripturae e Codice Remensi, paullo ante memoratum.

P. 34. ad n. 5. init. Apographum Codicis Perotti, cura d'Orvillii, quondam erat ornamentum Bibliothecae Ludovici magni, Gallorum regis. „De là cette copie a passé au P. Brotier et ensuite à son neveu.“ Vid. *Adry* libro paullo ante cit. p. 454.

P. 48. Post annum 1630 adde, Fabulas Latinas de *Phedro*, con notas, y traduccion en Castellano; por el Doctor Don *Juan de Serres*, Sacerdote del Oratorio de la Congregacion de Francia, y administrador del Real Hospital San Luis de los Franceses de esta Corte. Con privilegio (dat. 1632) en *Madrid*: en la imprenta de Don Gabriel del Barrio, impressor

de la Real capella de Su-May. se hallara en casa de Juan de Buytrago. 12. (pagg. 255. nulla anni impressionis facta mentione).

Adjecta est dedicatio: „a la memoria de la Senhora Donna Luciani Dominis y estrada." Textui subjunctae sunt notae marginales breves, sermone latino scriptae; vnumquemque vero fabularum librum excipit versio Hispanica. Hancce notitiam editionis Hispanicae litterariam debeo eruditissimo Adryo, supra laudato. Liber memoratus in numero rarissimorum est habendus.

Fabulas de *Phedro*, traduzidas em Verso Portuguez, por *Manuel de Moraes Soares.* Lisb. 1785. 8.

v. *Ruders* Bemerkungen über Portugal, p. 80.

P. 78 Verbum *subterfugerentur*, obvium lin. 12. revera legitur in loco Desbillonii, ibi citato. Sed male. Dicendum erat: si viri docti locutiones auctorum nullas explicatu difficiles *subterfugerent.*

P. 86. lin. 34. sqq. legendum: subjectus ad calcem libri et index — et epistola critica —.

P. 104. post annum 1755. adde: *Phaedri*, Aug. Lib. fabular. Aesopiar. Libri V. in gratiam studiosae juventutis notis illustrati. Cura Dav. *Hoogstratani.* Editio sexta. *Amstel.* ap A. Wor. 1755. 8.

Vid. Biblioth. *Gedickio-Thym.* Nachtr. p. 244. n. 274. et ann. 1699. de Editt. Phaedr.

P. 107. post lin. 2. adde: Repetita Editio *Lallemanti de Maupas.* Rotomagi 1766.

P. 112. post lin 4. adde: Fables *de Phèdre* avec la Construction en Latin et une Interpretation françoise litérale, par *Wandelaincourt*, ancien Principal du College de Verdun. Bouillon. 1772. 12.

La France Litt. par *Ersch* T. III. p. 413. Vid. vers. gall. ann. 1772.

P. 115. post ann. 1779. *Phaedri* Aug. Caes. Liberti Fabb. Aesopiar. Libri V. Nova Editio prioribus accuratior. *Avenione*, ex typographia Antonii Offray, typographi Collegii. 1779. 12. Textum habet editio, sine notis: ordo constructionis per numeros, singulis vocabulis impositos, notatus est.

Vid. Biblioth. *Gedickio-Thym.* Nachtr. p. 100. n. 57.

P. 117. post lin. 13. addenda haec: Confirmat placita nostra *Adryus*, V. C. scribens in schedis, mihi transmissis: „le

P. Brotier avoit sous les yeux le MS. de M. Pithou et une Copie des Variantes de celui de Rheims, quoi qu'il n'ait pas distingué ce qu'on y lit *primâ et secundâ manu.*"

P. 118. post lin. 8. adde: repetita Editio Bipontina anno 1796.

P. 120. ad ann. 1788. *Phaedri* Augusti Liberti Fabularum Libri V. Nova Editio, cui accesserunt notae gallicae, Publii Syri et aliorum Sententiae, nec non Fabulae parallelae Joann. de la Fontaine. *Parisiis*, ap. Paull. Dionys. Brocas, via Jacobaea, sub signo Capitis S. Joannis. 1788. 12. maj.

Editio nitide excusa, forte repetita ex Edit. anni 1743. Vid. paullo ante Observatt. Adryi, V. Cl., memorat librum Biblioth. *Gedickio-Thym.* Nachtr. p. 37. n. 176.

P. 120. lin. vlt. ad vocem *editae* notandum, ita revera legi in titulo libri, non *editi.*

P. 121. Repetita Phaedri editio. Norimb. ex offic. Riegel. 1792. 12.

Vid. de Editt. Ph. 1773.

P. 121. ad ann. 1793. *Phaedri* Fabulae ad vsum Scholar. piar. *Varsaviae* 1793. 12. typis S. R. M. et reipublicae in Collegio Scholarum piarum. Addita Appendix Fabular. V. a Gudio e Cod. Divion. descriptarum, et *Gabriae* Graeci Tetrasticha XXII. Latine reddita. Cf. Catal. Biblioth. Gedickio-Thym. p. 81. n. 1239.

P. 124. ad ann. 1802. adde: Fables selected from Aesop, *Phaedrus* and others, with instructive explications by Sam. *Croxall.* Wien 1802. 12.

Phaedri A. L. Fabb. Aesop. Libb. V. c. App. in commodum studiosae juventutis adornavit, textum auctorum recognovit, introductiones singulis praemisit, notas criticas ad calcem adjecit Franc. Nic. *Titze.* Lincii, Eurich.

Exstat in Ej. Bibl. Lat. class. T. II. Phaedrus separatim vendibilis. Vid. Catal. der Leipz. Osterm. 1804.

Fables de *Phèdre* avec la Construction du Latin et une interprétation française et interlineaire. 1804. 12. Editore *Wandelaincourt.*

Intell. Bl. der A. L. Z. Hall. 1805. Nr. 175. p. 1443. coll. Vers. gall. ann. 1772.

P. 153. Versionibus Hispanicis addenda haec: Fabulas de *Fedro*, Liberto de Augusto, traduzidas al Castillano en Verso y Prosa par D. *Rodrigo de Oviedo.* Madr. 1801. Prosaica Versio

in vsum puerorum, metrica adultiorum facta est. Hic liber laudatur in *Commentariis Soc. Philol. Lips.* Vol. III. Partic. II. p. 335.

Hoc loco quoque in memoriam revocanda sunt, quae notaui de versioue Hispanica Joann. *de Serres*, edita Madriti 1632. 12.

P. 159. ad not. n). Tyrwhittus recte vidit, non solum editam a Neveleto συναγωγὴν, quod Bentlejus affirmauerat, sed omnes, quae adhuc supersunt, fabularum Collectiones *) a Babriano Opere originem duxisse, differentias autem eorum scriptorum multitudini imputandas esse, qui diuersis temporibus et locis, et ingeniis et studiis, metrorum elegantissimorum partes varias, pro libitu suo quisque, in prosam traducendas sumserunt. Nempe numquam non in scholis Graeculorum factum esse videtur, quod Grammaticis suis vel maxime commendat *Quintilianus* J. O. I, 9. „Adjiciamus tamen eorum curae quaedam dicendi primordia, quibus aetates nondum rhetorem capientes instituant. Igitur *Aesopi fabellas*, quae fabulis nutricularum proxime succedunt, narrare sermone puro, et nihil se supra modum extollente, deinde eamdem gracilitatem stylo exigere condiscant: versus primo solvere, mox mutatis verbis interpretari: tum paraphrasi audacius vertere, qua et breviare quaedam et exornare, salvo modo poëtae sensu, permittitur. Quod opus, etiam consummatis professoribus difficile, qui commode tractauerit, cuicunque discendo sufficiet.“ *Huschke.*

*) Recte quidem *collectiones* scribit Tyrwhittus, sed rem deinde ita definit, quasi *omnes*, quae his collectionibus continentur, *fabulae* e Babriano opere fluxerint, quod falsum esse, vel ea exempla docent, quae infra a nobis proferentur. Numquam defuerunt Graeculi, qui priscis et genuinis fabulis novas, i. e. suas adderent. Quorum in numero sine dubio fuit Planudes. Is, nisi fallor, omnes, quas Collectio Accursiana complectitur, fabulas stylo suo exegit. Sed non est omnium auctor; quod Bentlejum credidisse, ne Tyrwhitto quidem credimus. Vid. Diss. de Babrio p. 28. et p. 41. Harl. *Huschke* in Diss. de *Fabulis Archilochi* p. 8. 9. Adde eumdem virum doctum l. c. p. 10.

P. 160. Editio Babrii, curante *Wilhelmo*, V. Cl., in lucem emittenda, prodiit sub titulo: *Babrii* ejusque imitatoris *Babriae* atque Epitimatoris *Ignatii* Hellenistae et Grammatici

metricae Fabellae Aesopiae ex duodecim Codd. MSStorum fide vna cum fragmentis ex Suida aliisque collectis primum conjunctim editae. Haec editio praeter alia complectetur L. Fabulas metricas, a *Babrio* ejusque imitatore *Babria* scriptas; LXXIII Tetrasticha, auctore *Ignatio*; Fragmenta Babriana, e Suida aliisque collecta; LXXIII. Epimythia. Vid. Intell. Bl. für Litteratur und Kunst. 5. St. p. 71. edit. Lips. 1803.

P. 169. l. 26. legendum: Sic discernitur in libro, qui exstat sub titulo: *Supplementum Supplementi* cet.

P. 182. lin. 6. Vincentium non solum Speculo suo *doctrinali*, verum etiam *historiali* inseruisse XXIX Fabulas Aesopias Romuli, vel intelligi potest e Praefatione nostra ad Fabulas Romuli, vbi vide.

P. 183. ad voc. *ondit*, lin. 4. obseruanda haec in MS. Div. legitur ōndit, i. e. ostendit. In eadem linea legendum *altercationis*, non *alterationis*.

P. 187. post lin. 8. adde: Judicia varia de Phaedro legi possunt in Edit. Phaedri, curata a P. Axenio, Hamb. 1671. 8. in mea Phaedri editione, Halae 1779 — 1781. Voll. 3. excusa, vbi vide Vol. 1. p. LXXI. sqq. Adde *Morhofii* Polyhistor. P. I. p. 876. Ed. 4. Lubec. 1747. 4. *Schroeckhii* Allg. Weltgesch. T. II. p. 290. sq.

P. 187. post lin. 24. adde:

E. L. D. *Huchs* Aesopus, oder Versuch über den Unterschied zwischen Fabel und Mährchen. Witteb. et *Zervest*. 1769. 8.

Super origine Fabularum Commentatio; in *Deutsch. Museum* ann. 1784. p. 553.

Jo. Joach. *Eschenburgs* Entwurf einer Theorie und Litteratur der S. W. Berolin. 1783. 8. p. 56. sqq.

Gotth. Ephr. *Lessings* Abhandlungen über die Fabel. Berl. 1777. 8. min. Contra Lessingium disputat *Jakob* cet.

P. 189. post lin. 5. adde:

Imm. Gottl. *Huschkii* Diss. de *Fabulis Archilochi*, edit. Altenb. 1803. 8. maj. in *Matthiae* Miscellan. Phil. Vol. 1.

P. 194. post lin. 14. Judicium de *Christii* Fabulis exstat in *Fabricii* B. G. Vol. 1. p. 654. „Non omnibus, qui nasum habent, et de Gratiis Veneribusque Aesopi Phaedrique fabularum judicare possunt, satisfecit vir alioqui elegantissimus et doctissimus."

P. 194. post lin. 19. *Desbillonii* Fabulae Aesopiae lucem

adspexerunt Manhem. 1768. et 1780. Voll. 2. in 8. cum figuris aere sculptis. In nova editione accesserunt plus quam CLXX novae fabulae, omnes curis posterioribus emendatae. In praefatione Desbillonius agit de fabularum natura, et qui fabulas composuerunt, scriptores recenset, omissis Anglis et Germanis. Hoc vero opus elegans videre mihi non contigit. Censuram libri vid. in *Klotzii* Act. Litt. Vol. 5. P. 1. p. 26. In gallicam et germanicam linguam translatae istae fabulae, teste F. *de Blankenburg* in Zus. zu Sulzer, T. 1. p. 553.

Esope en trois langues, ou Concordance de ses Fables avec celles de *Phèdre*, Faerne, Desbillons, de Lafontaine, et autres célèbres Fabulistes François. A Paris, chez Leprieur, libraire, rue Saint-Jacques, près Saint-Yves. An. XI. — 1803. Vol. in 12. de près de 400. pages.

Magazin encyclopédique redigé par A. L. *Millin*. 12. 20. Ventose, an 11. p. 565.

P. 208. Oscitantia Correctoris bis peccatum est in hac pagina. Nam lin. 15. omissum est verbum *negans*. Scripseram enim: At vero Vavassor, negans, maligne et invide a Seneca Phaedrum silentio praetermissum, censet cet. Deinde Not. b lin. 2. deficit vox *Clavis*, vt legendum sit: praefix. *Ej.* Clav Poëtar. Classicor.

P. 212. not. m. haec addenda sunt: Adryus (*Adry*), Gallus V. C., in *Magazin encyclop.* VI. Année. T. 2. p. 458 vocem *improbus* eodem sensu capit, quo passim occurrit apud Martialem, vbi sermo est de Eroticis. Intelligit autem eum, qui *facit*, aut *narrat* nequitias, addens: „Nous ne connoissons pas assez Phèdre pour assurer, qu'il étoit *improbus* dans le premier sens, mais quelques fables, echappées sans doute d'un plus grand nombre, prouvent, qu'il aimoit à raconter de ces *nequitias*.“ Quae ab interpretatione nostra epitheti *improbus* non multum differre videntur. Plura de loco Martialis affert idem vir doctus l. c. p. 455 sqq. Desbillonio *improbus* est, vafer et callidus.

P. 222. post lin. 5. inserantur haec: Verumtamen spem Codicis Pithoeani in lucem proferendi, vt abjicerem, ego quidem adduci non poteram. Adii enim per litteras Virum Clarissimum et doctissimum *Christianum Hase*, Vimariensem, ingenii divini et insignis doctrinae laude conspicuum, qui hocce tempore Parisiis otio fruebatur litterario, majorem in modum rogans, vt ex iis, quorum interesset, haec scire, et quibus

sciendi copia esset, de Codice MSto Pithoei enixe percontaretur. Quod quidem mandatum vir doctus, a quo graecae litterae non vnum ingenii et doctrinae fetum exspectant, ea, qua solet, diligentia et cura persecutus est. Frustra. Certior enim factus est a viris doctis, possessorem Codicis, Praesidem quondam Senatus Parisiensis, *Pelletier de Rozambo*, (non enim cum Brotierio scribendum *Rosanbo*) tempore *terrorismi*, quem vocant, conjurationis incusatum et securi percussum, interiisse; subsequenti tempore filio praesidis, ad supplicium tracti, rem familiarem cum bibliotheca fuisse restitutam; at vero Codicem manu scriptum Pithoei amissum (nesciunt viri docti, quo casu) hodie nusquam inveniri; atque etiam Brotierium, editorem Phaedri, ante aliquot annos vita excessisse.

SUPPLENDA ET EMENDANDA.

c. in Notis ad Librum I.

Prologus.

Vs. 3. De versibus senariis videndi *Jani* in A. P. p. 58. §. 3. G. *Hermannus*, V.C., de metris p. 147. sqq. *Bellermann.* in Praef. ad Phaedr. p. 10.

Vs. 4. *Vitam.* Quaerit Anonymus, an forte Phaedrus h. l. respexerit ad mores aulae, et politos et cultiores aetatis suae homines, in aula viventes, quos prudenti consilio moniturum esse dicat. Etsi vero *vita*, hoc sensu, passim occurrit (Tibull. II. I. 37.); tamen cum poëta confiteatur, se nil aliud per fabellas quaerere, quam vt corrigatur error mortalium (Prol. II. 1. 2.) et cum mens esset ei, non singulos, aut certum hominum ordinem notare, verum ipsam vitam et mores hominum ostendere (Prol. III. 50.); hanc interpretationem rejiciendam esse arbitror.

Fab. I.

Vs. 4. *jurgii caussam intulit.* Anonymus vocabula *caussa* et *jurgium* censet h. l. esse synonyma, quae capienda sint pro

lite, caussa forensi; hisce positis, admittendum esse pleonasmum nominum, de quo videndus *Jani* in A. P. p. 222. §. 3. notionem enim *ansae* inesse in verbo *inferre*, non in *caussa*, quemadmodum dicatur *inferre bellum*, pro, *ansam praebere belli*. Sed quid opus erat istis argutiis? cum *inferre* simpliciter dicatur, pro, *proferre*, vt Cic. Off. I. 40. dixit: *inferre sermonem*; *caussa* vero pro *ansa*, quemadmodum luculenter comprobat locus Ciceronis Manil. 22. supra ad h. l. laudatus, vbi verba, *quibus caussa belli inferatur*, explicanda sunt: quibus detur ansa, occasio belli aduersus nos excitandi. Cui addi potest locus Caes. B. G. I. 39. *quorum aliis alia caussa illata, quam sibi ad proficiscendum necessariam esse diceret, petebat, vt ejus voluntate discedere liceret.* Vult enim auctor, alium aliam intulisse, i. e. protulisse caussam, quam sibi ad proficiscendum necessariam esse diceret. Eodem modo hic *intulit*, seu protulit lupus *caussam jurgii*. Vides igitur, notionem ansae quaerendam esse in *caussa*, non in verbo *inferre*. Atque etiam locutionem *inferre bellum* distinguendam esse arbitror ab altera, *caussam belli inferre, dare*. Nam *bellum inferre* non est, caussam belli dare, sed re ipsa bellum facere, initium facere belli; id quod manifesto docet locus Ciceronis Phil. II. 22. *caussam belli contra patriam inferendi dedisti.* Plura exempla addi possent, si opus esset.

Vs. 12. Cl. *Bothe*, rejecta emendatione Bentleji, edidit: *Pater hercule tuus, ille inquit, maledixit mihi.* Designatio enim loquentis personae magis necessaria ei videbatur.

Vs. 13. Bothius distinguit: *lacerat injusta nece.*

F. II.

Vs. 1. *Athenae.* Descriptionem et historiam inclytae hujus vrbis succinctam vide in Notis Anonymi.

F. III.

Vs. 2. *ne libeat — suoque.* Illud *que* perinde hic fuerit ac *sed*, *at*, *verum*. Atque non ita raro apud alios quoque scriptores, inprimis Tacitum, particulae conjunctivae *et*, *atque*, oppositioni inseruiunt: quo nomine illud Taciti Hist. V. 7. in fine *et* (pro *sed*) *egerentibus inexhaustum*, defenditur a VV. DD. *Que* rarius eamdem significationem accipit. Exstat tamen apud Col. V. 8. locus, ab Horatio Turs. v. *que* prolatus, qui ap-

prime huc facit. *Olea*, inquit, *neque depressa loca, neque ardua, magisque modicos clivos amat*, cet. *Bothe.*

Vs. 11. *Notam* absolute poni probat Burmannus e Prop. I. XVIII. 8. Ovid. II. Trist. 466. Ovid. VI. Fast. 609. sq. Compara Notam cl. *Bothii* ad h. l. cum nota Burmanni ad h. l. in Commentario novo, coll. *Harii* Ep. crit. de Notis Bentleji in Phaedr. p. 12.

Vs. 9 — 11. Versio ad vs. 9. ita emendanda: *Hier wurde sie abgewiesen, und mufste sich eine neue kränkende Beschimpfung gefallen lassen,* Praeclare Oertel: *die zerzauste Krähe kehrte nun mismuthig zu ihrem Volke zurück, wurde aber auch hier mit kränkender Beschimpfung abgewiesen.*

Vs. 13—16. Nexus orationis docet, *sedes* esse stationes et receptacula, quas natura dedit generi graculorum (Vid. supra Not. crit. ad vs. 13.); verba autem, *quod natura dederat*, capienda esse pro aliis naturae donis, maxime pennis, datis a natura graculis, vt locus explicandus sit: Si contentus fuisses pennis, quas natura nobis dedit, neque te pennis pauonum exornatum immiscuisses formoso istarum auium gregi: nec illam expertus esses contumeliam, de qua mentio facta est, vs. 8. 9., nec hanc repulsam tua sentiret calamitas, i. e. tu calamitosus, rediens ad genus nostrum, a nobis non fuisses repulsus. Non obscurum est, vocem *calamitas* mere referendam esse ad repulsam, relatam a graculis, vs. 11. non pauonibus vs. 8. 9. quemadmodum comprobat oppositio, quae inest in voculis *hanc* et *illam*; istam vero graculi calamitatem in eo consistere, quod a genere graculorum repulsus nunc cogeretur, vitam viuere tristem et solitariam. Hinc recte *Oertel*: *noch würdest du jetzt das Unglück empfinden, aus unserer Mitte verstoſsen zu seyn*, quae interpretatio praeferenda versioni, quam attuli Not. ad vs. 16. Jam vero notandum contra Anonymum, τὸ *sedes* non plene respondere τῷ *habitus* vs. 2. hocce enim vocabulum vix potest vsurpari, vt Germanorum *Platz*, *Stelle*, pro statu, conditione, et quicquid possidemus beneficio naturae et fortunae, quod esset ab vsu linguae latinae alienum. At plene respondent *sedes* et *pennae*, junctim sumtae. Cum hac nota compara Anonymi Notas ad h. l.

F. IV.

Vs. 4. Displicet Bothio, V. Cl., emendatio Bentleji, (vid. V. L. ad h. v. in Edit. nostra) cum ineleganter vox *canis* re-

petatur; quare malit: *aliamque praedam ab alio quo ferri putans.* Verumtamen emendationem non recepit in textum.

F. V.

Vs. 7. Accedit Bothius Cuninghamo, Brotierio et Bipontinis, qui legunt *nominor quoniam Leo.* Censet enim, nimis subtiliter ad veritatem leonis verba exigere Bentlejum, salsamque scriptoris mentem non assecutum esse, cum nominibus rerum ducantur mortales.

F. VI.

Hanc Fabulam reprehendit *Lessing* zur G. d. F. p. 238.

Vs. 6. Loco Columellae, quem in Notis produxi, adde alium Virg. G. I. 378. *veterem in limo ranae cecinere querelam,* quibus verbis inest notio clamoris continui semperque ejusdem. Vid. *Heyne* ad h. l.

F. VIII.

Vs. 8. Quam graphice Phaedrus dixerit *colli longitudinem* obseruauit *Jani* in A. P. p. 329. post Ramlerum, quem v. in *Einleit. in d. S. W.* T. I. p. 308. sq. Ed. 3.

Anonymus conjicit, Phaedrum hac fabula respicere Taciti Annal. L. IV. C. 3. maxime verba: *sumitur in conscientiam Eudemus, amicus et medicus Liviae, specie artis frequens secretis.* Ἐπέχω. Fabulam carpit Lessingius Gesch. d. Fab. p. 240.

F. IX.

De hac fabula consulendus *Lessing,* G. d. F. p. 241.

Vs. 8. *Mortis in solatio.* Sic vulgo, cujus lectionis germanitatem Burmannus (Epist. crit. de his Bentleji notis) cum plerisque doctis addubitans, correxit, Heinsio praeeunte: *mortis en solatia,* vel *solatium. Bothe.* Quod Vir cl. scribit de Burmanno, intelligendum de Hario, Anglo. Harius enim (*Hare*) auctor est Epistolae criticae de Notis Bentleji in Phaedrum, non Burmannus. Vid. Epist. cit. ad calcem Editionis Burmannianae p. 15. Etenim Burmannus edidit *in solatio,* quam lectionem tuetur loco Ouidii. M. V. 191. et Lucani VIII. 314. addens, Heinsii conjecturam *en solatia,* quae placeat viri doctissimo (Hario), tolerabiliorem esse, quam Gebhardi lectionem, non ferendam, *mortis cit solatium.* Edidit

autem Bothius, *mortis en solatium*, etsi *en solatia* scriptioni propius accedat. Vide Notas ad h. l. coll. Not. Burmanni in nouo Commentario.

F. XII.

Vs. 2. *exsérit.* Excusari potest τὸ *exserit*, nam hoc verbum non ita raro *demonstrare* significat, vt Suet. Tib. 33. *principem exseruit. Bothe.* Edidit tamen V. Cl. e Codice Danielis, *saepe inueniri, testis haec narratio est.* In editione Pithoei principe legitur, *exserit.* Compara notas criticas ad h. l.

Vs. 13 *O me infelicem!* Exclamatio pertinet ad figuras, quibus Phaedrus parce vtitur. Tunc recte adhibetur, vt h. l. si res magnas et graues persuaseris, non in leuibus subtilibusque docendis. Cf. *Ernesti* Rhet. p. 176. et mox F. XIII. it. L. I. VII. L. IV. V. et alibi.

F. XIII.

Vs. 13. 14. Anonymus cum aliis conjicit, versum 13. a glossatore fuisse adsutum; versum vero 14. interpretatur hoc modo: calliditas, seu astutia vincere solet vim, *List geht doch immer über Gewalt*, vt coruus dicat: dolosae vulpi contigit, vt per astutiam raperet caseum; id quod aliis non contigisset per vim: astutia igitur magis timenda, quam vis. Sed cum neque *sapientia* dici possit pro calliditate, neque *virtus* pro vi; viro docto non assentiendum esse puto. Alteram ejusdem interpretationem, cui ipse non multum tribuit, silentio praetermitto. Cf. Excurs. VIII. ad hunc locum spurium et interpolatum, in fine.

F. XIV.

Vs. 1. *deperditus.* Cum *perditus*, imo etiam *deperditus egestate, amore, luxu* bene dicatur, *de* autem significationem simplicis verbi tantum augeat, Burmannus vulgatam retinet, cui adstipulor. *Bothe.*

Vs. 4. *timidus pascebat senex.* Cum nullum aptius sit seni epitheton, nescio quid in mentem venerit viris doctis, vel *tumidus*, vel *quidam* supponere, de quo Phaedrus numquam cogitauit. Non tamen ideo repudiari debet, quia *quidam* semper a Phaedro adjectiuo, non substantiuo jungitur. Quid enim est, quaeso, *senex*, nisi adjectiuum? aeque ac *maritus*,

garrulus, *petulans*, quibus omnibus *vir*, aut homo subest. *Burmann.*

Vs. 6. *ne possent capi.* Nescio, quare *posset* hic debeat reponi. Sine dubio enim senex aeque fugae consilium ceperat, ac suadebat asino; sed quia τὸ *timidus* fuit rejectum, hoc quoque mutari debuit. Sed manet tamen, *territus subito clamore hostium*, an ergo territi non fugere solent? suadet ergo asino, vt suum exemplum sequeretur, et auaderent ambo simul; nam dominus aselli erat senex, qui certe nollet, seruato per fugam asino, in manus hostium ipse deuenire. *Burmann.*

Vs. 7. *lentus.* Cum haec vox quoque ad animum transferatur, Virg. Ecl. I. 4. Tibull. IV. XI. 6. non male h. l. explicari potest *aequus*, sine timore, tranquillus, *ruhig*, *gelassen*, *gleichgültig*. Praeclare *Oertel*:

Esel. (ganz gelassen.) Mein, wird mir der Sieger wohl zwey Sättel auflegen?

Greis. Das eben nicht.

Esel. Ei nun was liegt mir dran, welchem Herrn ich diene? meinen Sattel muſs ich doch tragen.

F. XVI.

Vs. 1. 2. Edidit cl. *Bothe* hos versus e verisimili Burmanni emendatione, cui et nos cum Bentlejo et Heusingero obsecuti sumus. Vid. Excurs. X. ad h. l.

F. XVII.

Vs. 8. Bothius ex parte tantum correctionem Bentleji arbitrariam amplectitur, legens: *Ouis vt jacentem in fouea conspexit Lupum.* De omisso *vt* enim facile conuenit. Τȣ̃ *ouis* autem repetitionem plane absurdam esse, praesertim in fabula, non contenderit. Sed vide notas nostras ad h. v. cum exegeticas, tum criticas, quibus addi possunt Hario obseruata in Epist. crit. p. 19. vbi Anglus egregie vindicat acutissimam Heinsii emendationem, *bidens*, quae aliis omnibus egregia emendatio visa est; nec sine caussa addit, τὸ *ouis*, quod est in MSS. Pith. et Rem. manifesto glossam esse τȣ̃ *bidens*; τὸ *vt* citra necessitatem, non inepte dicit *bellum illud editionis Bentlejanae emblema*.

F. XX.

Vs. 2. Comparandus locus Phaedri L. IV. XIII. 5.

F. XXI.

Vs. 9. *extudit.* Bothius dedit, *exterit*, quod Bentlejus et Burmannus in MSto altero dicunt inueniri. Falso. Vid. Not. crit. ad h. l. Mox idem editor rescripsit: *Quod ferre cogor, certe bis videor mori*, praeeunte Burmanno. Nec mihi inepta videtur haec lectio, quae etiam placet Heusingero.

F. XXII.

Vs. 12. *jactant.* Bothe *jactat*, e conjectura Rittershusii.

F. XXIII.

Vs. 5. *Heus, inquit, linguam* cet. Vix abesse potest pronomen; quare lubens rescripserim: *Heus, inquit ille, l. v. p. Ille* absorptum a sequenti verbo. *Bothe.*

Vs. 6. *pro re domini.* Anonymus interpretatur, pro domino, vt L. IV. VIII. 4. *si qua res esset cibi*, vbi vide.

F. XXIV.

Vs. 8. *quis major esset.* Ad vindicandam hujus locutionis Latinitatem, Harius, post Pricaeum, notat locum Virg. A. XII. 658. *quos generos vocet*, vbi Seruius, *quos* pro *utros.* Huc quoque refert illa Lucani: *Quis justius induit arma, Scire nefas.* Caesar nempe, an Pompejus? Compara Notas crit.

F. XXV.

Vs. 6. sq. Bothius hunc locum ita constituit:

Sic Corcodilus: qua lubet, inquit, otio
Accede, lambe, pota sedulo *), ac dolum
Noli vereri

probantibus Censoribus doctis, in Leipz. A. L. Z. ann. 1803. Partic. 46. et in Hall. A. L. Z. ann. 1805. n. 258. p. 642. Quibus vt accedam, nondum ego possum induci. Cf. Not. ad h. l.

*) *Potare sedulo* opponitur τῷ *lambere* in cursu, vel celeriter. *Bothe.*

F. XXVI.

Cum hac fabula comparanda Graeca Aesopi fabula ejusdem argumenti in Collect. Hauptmann. F. 327. p. 261.

Vs. 1. 2. Mihi quidem totum promythium displicet: vtpote superfluum, cum ciconia ipsa vs. 12. summam fabulae breuiter et melius etiam, nisi fallor, exponat. Saepissime

autem in hoc quidem circa promythia et epimythia erratum est. Vid. fab. sq. *Bothe.* Kohlius in eadem fuit sententia, vt suo loco indicaui; neque etiam vero est absimile, cum promythia, tum epimythia, in Phaedri fabulis passim esse interpolata; non tamen propterea ejicienda, sed ferenda, putauerim. Ponderanda enim sunt, quae hoc de argumento obseruat Censor doctus Lipsiensis, loco paullo ante citato. His adde quae obseruata sunt in A. L. *Z.* Hall. 1805. n. 258. p. 642.

F. XXVIII.

Vs. 4. Alii explicant: in nidum posuit pullis, vt *pullis* vel sit datiuus personae, vel datiuus commodi, *für seine Jungen.*

Vs. 4. *carperent.* Heinsius *carperet*, Bentlejus *conderet.* Sed praeterquam quod inconcinnum est, *ponit vt conderet,* quae verba fere idem hic notant; quis vmquam audiuit, in nidis volucres escam condere, vt in horreis, vnde hieme, aut tempestatibus haberent paratum cibum? nec etiam *post aliquod tempus* reddidit incolumes matri, sed e vestigio: vulpes enim statim persecuta aquilam rogauit, vt redderet, et cum contemneret, illico facem admouet arbori, ita vt Aquilae tempus non esset, condendi pullos Vulpis. Rectius ergo, *pullis escam posuit, vt eam carperent. Burmann.* Displicet Bentleji conjectura, propter ταυτολογίαν, quam infert sententiae. Quid enim est *condere*, nisi *reponere*? Vid. Burmanni (Harii) Epist. crit. de his Bentleji adnotationibus (p. 27.) *Bothe.*

Vs. 10. Recepit cl. *Bothe* conjecturam Heusingeri, *Hostis dolore damnum vlciscens sanguinis*, repudiata Bentleji emendatione. At vide Censuram Phaedri Bothiani in A. L. *Z.* Hal. 1805. Nro. 258. p. 643. Cf. Exc. XII. ad h. l. Nostram hujus loci interpretationem firmant quoque Notae Harii, cujus Epist. crit. vide p. 27.

Huschkius V. Cl. in Dissert. erudita de *Fabulis Archilochi,* quae exstat in *Matthiae Miscellaneis* Philolog. Vol. I. edit. Altenb. 1803. 8. acute vidit, basin hujus fabulae esse fabulam Archilochi de Aquila et Vulpe, adumbratam post Archilochum, vt videtur, a Babrio, ex quo subsequenti tempore prata sua irrigauit narrator fabulae graecae, prosa scriptae, quae est prima cum in collectione *Hauptmanni*, tum in Editione *Ernesti.* Eadem fabula narratur, aliqua tamen lectionis

varietate, in Codice Augustano, ex quo juris publici fecit *Huschkius* Dissert. cit. p. 16. sq. Non inutile visum est, obseruata Huschkii hoc loco subjungere: „Haec narratio, *inquit*, vtcunque explicata, ipsum fabulae Archilocheae argumentum, nisi omnia me fallunt, nobis exhibet. Procedit ea a primaria sententia, Aquilam cum Vulpe pactionem fecisse de amicitia mutuo inter se colenda. Inde etiam profectum esse Archilochum, testatur, quod adhuc reliquum est, fragmentum. Nec quicquam hac in fabulae parte mutatum erat aetate Aristophanis, qui diserte scribit Av. 652.

— ὅρα νῦν, ὡς ἐν Αἰσώπυ λόγοις
Ἐστὶν λεγόμενον δή τι· τὴν Ἀλώπεχ' ὡς
Φλαύρως ἐκοινώνησεν Αἰετῷ ποτέ.

Porro Babrium hac in re aliquid mutasse, nemo dixerit. Vnde enim sua hausisse putabimus prosaicae fabulae scriptorem? Ex Archilocho? Hujus poëtae opera dudum interceperat priorum saeculorum barbaries. Secutus est hic, vt alibi, Babrii sui vestigia. Atqui cum ista, quam diximus, primaria sententia reliqua omnia arctissimo colligata sunt vinculo. Qua quidem sublata, noua euasit fabula, sed ineptissima. At hoc facinus Graecis, quantum scire possumus, imputari nequit. Nam quoad intra Graeciae fines se continuit, eodem semper modo narratam fuisse hanc fabulam reperimus ab Archilocho ad Planudem. Successerunt interea Latini, Phaedrus, et qui ita a Phaedro pendent, vt graeci fabulatores a Babrio, Romulus et Anonymi illi, quos ediderunt Neveletus et Nilantus. Hi rem plane nouam commenti sunt et discrepantem. Iste scilicet Augusti libertus, reliquorum dux et auctor, quoties a simplicitate Graecorum declinauit, id quod fecit saepissime, toties ineptum se praebuit ac deridendum. Exemplis aliquot hoc illustrauit Lessingius, vir in paucis, dum viueret, perspicax et acutus, praetermissa tamen fabula de Aquila et Vulpe, quam interpolauit Phaedrus, in cujus fabula multa offendunt. Quorsum enim Aquila rapuerat catulos vulpinos? Vt escam, inquit, carperent pulli. Non intercedo. At per omne illud temporis interuallum, quod a raptu ad restitutionem praeterlapsum est, incolumes seruati sunt οἱ ἀλωπεκιδεῖς, re scilicet Phaedri ita exigente, vt possit aliquando suos e mortis periculo eripere Jouis armiger. (At lege, quae Censor doctus objicit, in A. L. Z. Hal. 1805. Nro. 258. p. 643. *Schw.*) Vides,

multum interesse inter aquilas graecas et Latinas. Altera, minus sane religiosa, credo, vt officium praestaret Archilocho, ambagibus vti nolebat, sed, quod ait, interpres, ὁ ἀετὸς ἀπορῶν τροφῆς — καὶ τὰ γεννήματα ἀναρπάσας, μετὰ τῶν αὐτῦ νεοττῶν κατεθοινήσατο. Altera cunctando — *restituit rem.* Deinde scire velim, quo tandem modo exstinctum sit illud incendium, quo totam arborem circumdederat Vulpes? Non dixit Phaedrus. Significauit saltem Romulus, qui locum ita vertit: Cumque fumus et flamma perstreperent, et ad summitatem arboris prope pertingerent, aquila nimio dolore compulsa, ac pullorum cura, ne perirent, vulpinos catulos incolumes matri supplex reddidit, *obsecrans adductum restingueret incendium.* At quomodo hoc effecerit Vulpecula, Romulus etiam non curauit. Quid denique ex hac fabula discimus? Nempe id, vnde duxit Phaedrus narrationis ingressionem:

Quamuis sublimes debent humiles metuere,
Vindicta docili quia patet solertiae.

Quod satis jejunum est dictum, simile illud prouerbio graeco, quod comparant h. l. interpretes:

Ἔνεστι κἂν μύρμηκι κἂν σέρφῳ χολή.

Paullo latius patet veriorque est sententia, quam illustrare voluit Archilochus, h. e. ea, quam egregie expressit poëta latinus:

Raro antecedentem scelestum
Deseruit pede Poena claudo

perjurum inprimis, qualis Lycambes nobis proponitur. Nulli enim sceleri, secundum doctrinam veterum Ἀοιδῶν, tam certa a diis immortalibus constituta est poena, quam perjurio, vt contra, quod Pindarus ait Ol. II. 117. Huic sententiae explicandae omnes fabulae graecae partes accommodatae sunt. Hinc aquilae non aliunde infertur pernicies, sed ea sese ipsa, quasi aliud agens, inextricabilibus Poena diuinae laqueis constringit, totamque domum euertit. Vid. *Herodotus* VI. 8. Ac profecto numquam fabula aliqua vim habuit efficaciorem certioremque euentum, quam haec Archilochi de Aquila et Vulpe, si verum est, quod scripsit Horatii Scholiastes (Vid. Edit. *Cruquii* ad Hor. Epod. VI. 13.) et ipsum Lycamben, et ex dolore patris Neobulen laqueo vitam finiuisse."

Vs. 11. 12. Hi versus Censori erudito (in *All. Litt. Zeit.*) loco paullo ante citato, additamentum monachi cujusdam esse

videntur, quod censet rectius abesse. Equidem aliter sentio, de quo suo tempore alio loco disputabitur.

F. XXIX.

Vs. 2. *destringunt.* Bothius V. Cl. *distringunt*; sic quoque cl. *Tzschucke.*

Vs. 6. *mentiri velit.* Anonymus explicat: libenter mentiatur, laudans *Jani* A. P. p. 342. §. 35.

Vs. 7. *demisso pene.* Bothius *emisso*; censet enim, sententiam repudiare *demisso.*

F. XXX.

Vs. 5. *cum decertarent.* Retinet Bothius cum Neveleto, Scheffero, Vrsino, Desbillonio lectionem librorum scriptorum, *cum illi certarent.*

Vs. 7. Bothius: *Natio, ait, separata, ac diuersum est genus,* post Salmasium, Scheffer. Maittar. Walch. Sed praeferunt viri docti *statio*; cum *natio* nec versui, nec sensui satis conveniat. Vid. *Harii* Epist. crit. p. 29. Emendationem Bentlejanam excussit Harius l. c.

F. XXXI.

Vs. 6. *genus inerme.* Cf. *Jani* A. P. p. 474. §. 7. sq.
Vs. 7. Comparanda similis locutio L. IV. I. 2.
Vs. 10. *tradunt sese miluo*, subintellige, tutandas. (V. 1.)

L i b e r II.

Prologus.

Vs. 1. *Exemplis continetur Aesopi genus.* Pauflerus, post Heumannum (vid. Excurs. XIV. ad vs. 1. huj. Prol.), hunc locum ita jubet explicari: Fabulae Aesopi continent exempla, quae homines monere possint prudenti consilio; vel, fabulae Aesopi continent praecepta vitae saluberrima. Putat enim, Phaedrum vocabulo *genus* passim ita vti, vt circumscribendae nationi inserviat (Prol. III. 33. L. IV. VII. 2.); *Aesopum* per metonymiam caussae poni pro *fabulis*; *genus Aesopi* igitur idem esse quod *genus fabularum*, id quod simpliciter capiendum sit pro *fabulis.* Quae si forte non placeant, e vs. 2. vult suppleri *fabellarum*, hoc sensu: genus fabellarum Aesopi contine-

tur exemplis; nec aliud per eas quaeritur, quam cet. praefert tamen rationem priorem.

Vs. 4. *Acuatque sese diligens industria.* Anonymus e glossariis graecis probare conatur, *industriam* significare integritatem, virtutem; et cum Phaedrus saepius ponat abstractum loco concreti, *diligens industria* ei est homo, in quo cernitur eximius percipiendae colendaeque virtutis ardor, vt sensus loci sit: nil aliud per fabellas quaeritur, quam vt virtutis amantes ad exercendam colendamque virtutem concitentur. Qui sensus etsi videri potest aptus et commodus, editor tamen exemplis, e priscis Latii scriptoribus petitis, non docuit, *industriam* absolute notare probitatem, virtutem. Maneat igitur, intelligendam esse industriam, in investigando fabulae sensu adhibendam. Cf. Notae ad h. l.

F. IV.

Vs. 8. 9. *Quod vides — quercum vult evertere.* De ellipsi, h. l. admittenda, consulendus *Jani* A. P. p. 426. §. 15. coll. Not. crit. ad vs. 9. *Oertel*: Du siehst doch, wie die falsche cet. Dadurch will sie cet.

Vs. 17. *tuto.* Bothius *noto*, ex emendatione Heinsii et Bentleji.

Vs. 24. *Felique et catulis.* Ita cum aliis rescripsit cl. *Bothe*; displicet enim viro docto emendatio Bentleji, *feli atque catulis*, scribens: „melius haud dubie Burmannus, vt nos edidimus, qua ratione verbum *feli* integre auditur, cum, secundum Anglum, in monosyllabum cogatur, quod minus conuenit, quia felis princeps est fabulae persona.“ At Burmannus in editione majori edidit, *Felisque catulis*; improbat enim cum emendationem Bentleji, paullo ante memoratam, tum Harii Angli, *felique et catulis*, addens: „neutro opus est; non enim de se sollicita admodum felis, sed de catulis, quorum caussa has insidias et fallacias struxerat; sua enim caussa, quae evagari poterat, et vndique victum parare, tales insidias struxisse, non verosimile est, neque ingenium impenderet poëta id fingendo, cui nota erat animalium sollicitudo pro catulis et pullis, vt libenter matres abstineant cibo, dum prolem saturent“. Vid. Not. ad h. l. coll. Not. Burm. in nov. Commentar. ad h. l. et Harii Ep. crit. p. 40.

Vs. 26. Cl. Bothe, post Bentlejum et Cuninghamum, intrudit *hinc* post *habere*, libris scriptis non addicentibus. Cf.

Not. crit. ad h. l. Idem notandum de emendatione Heinsii, *documentum hoc*, minime necessaria; cum Phaedrus hanc particulam saepe omittere soleat. Vid. Harii Epist. crit. p. 40.

F. V.

Vs. 10. Placuisse Bothio, V. Cl., correctionem Bentleji, *despicit Tuscum mare*, quam recepi, maxime laetor.

Vs. 20 - 22. Bothius in constituendo hoc loco obsecutus est Rigaltio. Vid. not. crit. ad vs. 20.

F. VII.

Vs. 4. 5. *eminet — jactat.* Ita edidit cl. *Bothe*, scribens: „praetulimus Burmanni correctionem." Sed ita emendauerat Harius, post Richterum, non Burmannus, vt intelligi potest e notis Batavi, coll. *Harii*, Epist. crit. p. 44. Recte tamen recepit istam correctionem, quemadmodum patet e notis nostris.

Vs. 7. *Latrones* proprie sunt principum custodes corporis, graece σωματοφύλακες milites, h. l. grassatores, praedones. Vid. *Brisson.* de V. 5. Latronem Servius Aen. XII. 7. per *insidiatorem* explicat. *Hartmann.*

Vs. 8. *trusitant.* Cum *truso* inveniatur, quidni admittamus frequentativum? *Bothe.*

Vs. 14. Bothius vncis inclusit hunc versum addens: „versus propter ταυτολογίαν suspectus, quem libenter deleverim." Vid. notata in *Supplendis* ad L. I. XXVI. 1. 2.

F. VIII.

Vs. 11. *nec ideo videt.* Bothius contra codices tres voces intrudit, legens: *neque is eum videt. Schwabe.* Male vulgo: *nec ideo videt*, quasi propterea, quod frondem affert bubulcus, necessario animadvertendum animal fuisset. Occasio videndi illud erat, non caussa. Nec non desideratur h. l. nomen, vel pronomen. *Bothe.* Dicit Phaedrus latinissime, vt solet, etiamsi bubulcus attulerit frondem, et dederit in stabulo bovibus, tamen non vidisse cervum. Sumsit autem ex Virgilio G. II. 96. *Scheffer. Nec ideo* igitur capiendum pro, *nec tamen.* Hisce adde quae notat Censor (in A. L. Z. Hal. 1805. No. 258. p. 644): „der Bothische Grund scheint uns mehr spitzfindig als überzeugend. Warum soll *ideo* nicht von der bloſsen Veranlassung gesagt werden können? der Knecht bringt Laub, und sieht ihn darum dennoch nicht."

Vs 23. sq. *tollere haec aranea quantum est laboris?* Oertel: *Die Spinneweben da wegzuthun, wäre wohl auch eine gewaltige Arbeit gewesen!*

Epilogus.

Vs. 2. *aeterna in basi.* Alii male capiunt τὸ *basi* synecdochice, pro statua, vt sit pars pro toto; statuam vero *aeternam* dici existimant, quia praeberet famam semper duraturam.

Non satis accurate h. l. Oertelius: *Und setzen das Standbild des Sklaven auf ein verewigtes Gestell.* Cf. Notas.

Vs. 3. Bothius rescripsit: *Patere honoris scirent vt cuncti viam*, rejecto Bentleji *honori*. Nam *viam honori*, quod interpretatur, *viam ad honorem*, dure et insolite, ei dictum videtur, cum *via laudis*, *via gloriae* passim legantur apud optimos quosque scriptores. Accedit Bothio Censor doctus in A. L. Z. 1805. No. 258. p. 644.

Vs. 5. 6. Hunc locum Heinsius Not. ad Ovid. IV. Ep. XVI. 30. ex Ponto refert ad Cajum Cilnium Melissum, Maecenatis libertum, quem Suet. de ill. Gramm. 21. inter Grammaticos recenset, et Togatas eum edidisse prodit, quas inscripserit *Trabeatas*, addens: „Atque vt ipse tradit, sexagesimum aetatis annum agens, *libellos ineptiarum*, qui nunc *Jocorum* inscribuntur, componere instituit, absoluitque centum et quinquaginta, quibus et alios diuersos postea addidit.“ Isti autem *Jocorum* libelli Heinsio constitisse videntur. ex Apologis Aesopicis, id enim scribendi genus *jocos* vocasse veteres. Sic Phaedrum de se passim; hinc apud Martialem *improbi jocos Phaedri*; vt hic Phaedri locus videatur intelligendus de Melisso. Recte dissentit Burmannus, scribens: „Et Ouidius et Martialis sua poëmata *jocos et jocosam Musam* vocant, nec tamen fabulas scripserunt. Deinde se Aesopo comparat, non Latino poëtae, Phaedrus: nam mox in hoc scribendi genere sectatores se habiturum gloriatur, *Latium plures habebit, quos opponat Graeciae*, ita vt tamquam auctor hujus scribendi generis velit haberi apud Romanos.“ Atque etiam *Cannegieter* Diss. de Aviano C. X. p. 268. sq. quae est ad calcem Editionis Aviani, non sine caussa negat contra Heinsium, Cilnii Melissi libellos jocorum constitisse ex Apologis Aesopiis; sed Melissi jocos, quos hic ipse *ineptias* nominauit, vir doctus interpretatur facete dicta et sales vrbanos (*bons mots*, *bonnes contes*), quibus Romani olim mirifice capiebantur, et ob id eos non in vno loco commendat Cicero. Tanto magis autem Melissi libellos facetiarum, non fabularum Aesopiarum, jocos habuisse credit *Cannegieter*, quod Seneca fabellas et Apologos Aesopios opus Romanis ingeniis intentatum scribat in Consol. ad Polyb. C. XXVII. Ex quo potest intelligi, Phaedrum fabulae Aesopiae apud Romanos esse principem; etsi jam olim Ennius (Gell. N. A. L. II. C. 29) fabulam Aesopiam in metrum redegisset; Horatius vero in carminibus non vnam fabulam tangat, vt suo loco docui. Cf. v. *Blankenburg* Zusätze zu Sulzer T. I. p. 547.

Vs. 17. Bothius vncis inclusit hunc versum, cujus Latinitatem et numeros egregie vindicant Harius atque Burmannus.

Vs. 18. *exitium.* Non plane obsoleuit ille τὸ *exitium* significatus, quo idem valet atque *exitus*; nam sic Sallustius: *dignum moribus factisque suis exitium vitae inuenit*, et ne quis librarios culpet, faciunt nonnulli poëtarum loci. Quare vulgatam seruo. *Bothe.*

Errata Vol. I. (*)

Pag. 4. a. lin. 4. leg. ὃ. — P. 8. a. l. 6. leg. *post* L. V. — P. 15. b. l. 6. leg. III. IX. 3. 4. — P. 28. l. 9. leg. vid. V. L. ad loc. — P. 43. l. 34. leg. *praefixo.* — P. 44. l. 17. leg. *repetitio.* — P. 45. b. l. 6. del. punctum post *disputat.* — P. 64. l. penult. leg. *sed cum* — P. 74. l. 9. leg. *caperis.* — P. 87. l. 17. leg. L. V. X. 9. — P. 133. l. 31. leg. *trag'schen* — P. 139. l. 12. leg. *si comparentur.* — P. 140. lin. 2. leg. *falso.* — P. 151. l. 13. leg. repetita Nic. *Bailey* versio. — P. 156. a. l. 10. leg. ἀμᾶν et mox χαμειραίᾳ. — P. 160. a. l. 4. pone semicolon post *existimat.* — P. 164. l 16. leg. *editae sunt.* — P. 168. l. 18. leg. *frusta.* — P. 175. l. 14. leg. *terebatur.* — P. 179. b. l. 2. leg. *scriptores, quos laudant cel.* — P. 187. l. ult. pone colon post *suscepit.* — P. 201. l. 25. leg. *apud Phaedrum legitur.* — P. 210. l. 25. leg. *satis certa* — P. 211. l. 34. leg. *substantivo.* — P. 215. b. l. 17. leg. L. I. I. 73. sq. — P. 221. l. 5. leg. *rei* — P. 225. l. 12. leg. *elegantiam.* — P. 273. a. l. 2. leg. Prol. III. 17-23. — P. 276. l. 11. a et b. leg. *corcodilus.* — P. 276. l. 27. a et b. leg. *de reliqüis.* — P. 293. b. l. 12. leg. καταθοινήσασθαι — P. 307. l. 8. leg. *e conjectura.* — P. 313. a. l. 15. pone semicolon post *absolute.* — P. 316. l. 5. leg. *versui laboranti.* — P. 320. a. l. 2. leg. καλεῖσθαι. — P. 336. l. 9. leg. *cum grue.* — P. 340. b. l. 10. del. L. III. Obs. c. 8. et mox lin. 13. leg. *Gronov.* L. III. Obs. c. 8. — P. 344. b. l. penult. l. *repugnet.* — P. 352. l. 1. leg. Fab. XII. — P. 363. a. l. 19. del. 5. et pone *Schw.* — P. 364. b. l. 2. l. Schessero *rex* est. — P. 376. l. 22. l. *offendit.* — P. 377. b. l. 16. leg. *editiore.* — P. 383. b. l. 15. leg. *ut det.* — P. 384. a. l. 4. leg. *factos.* — P. 386. a. lin. 23. leg. *exitium.* — P. 392. a. lin. 23. leg. *censent.* — P. 402. l. 15. leg. *nil amplius.* — P. 416. b. l. 24. leg. *violato.* — P. 417. l. ult. b. et mox p. 418. a. verba: *non erat propositum cani — coepit* referenda ad *concupisti* p. 417. b. l. 23. — P. 431. l. 3. leg. *proculcatas.* — P. 432. l. 16. leg. *hominum.* et l. ult. post *Grut.* adde: et Cortium habent *exitium* pro *exitum.* — P. 440. a. l. 4. leg. *lectorum* et l. sq. *legant.* b. l. 13. adde: et L. I. VI. 2. b. lin. 32. pone punctum post *quaesisse.* b. l. 36. leg. *mentes.* — P. 446. b. l. 2. del. *petentem.* — P. 456. a. l. 4. leg. *ad imam.* — P. 457. b. l. 2. leg. *variatio.* b. l. 19. leg. *producenda* et mox l. 22. cf. Rittersh. — P. 460. l. 10. leg. *Harius.* — P. 461. a. l. 6. leg. *perrexi.* — P. 462. l. 4. leg. *praeferre.* — P. 464. a. l. 14. leg. *Sic auctor.* — P. 467. a. l. 2. leg. *cinaedus.* a. l. ult. leg. *aquam ad.* — P. 471. b. l. 34. pone punctum post *eum.* — P. 474. b. l. 27. leg. *invehi.* — P. 478. a. l. 6. leg. *contra jus*; et b. l. 12. leg. *vis et nequitia.* — P. 481. l. 8 leg. *etiam.* — P. 483. l. 3. leg. *tristi.* — P. 487. l. 8. leg. *et ablativus.* — P. 491. l. 3. leg. *bubili*; et l. 11. leg. *bubulos rust*... et mox l. 14. leg. de L. L. VII. — P. 492. l. 13. del. 2. — P. 493. a. l. 25. leg. *irrupi*; b. l. 10. leg. *bubili.* et b. l. 29. leg. *noctis.* — P. 496. l. 9. leg. *versatur.* — P. 497. b. l. 21. leg. *saluberrimae.* — P. 501. a. l. penult. leg. T. I. — P. 508. b. l. 5. leg. *poëta.* —

---

*) In numerandis lineis incipiendum est a titulo uniuscujusque paginae. Ceterum lectores monendos putavi, plagellarum, typis excudendarum, correctionem non a me esse curatam. *Schwabe.*

P. 511. b. l. 8. l. 'Αισώπειοι — P. 512. l. 11. leg. *redactae.* — P. 513. b. l. 12. leg. *refutavit*; et b. l. 18. leg. *auctori.* — P. 514. a. l. 12. leg. *Aristophanis Aves*; et b. l. 18, leg. *habeat.* — P. 515. l. 23. leg. *fuisse.* — P. 519. l. 7. leg. *aequae*; et a. l. 5. l. αὐξῆσαι. — P. 522. l. 7. leg. *proficiscentem.* — P. 537. l. 39. leg. *at ille lentus.* — P. 538. l. 22. leg. *additum.* — P. 542. l. 31. leg. Gronovio. — P. 543. l. 20. leg. *exhibetur.* l. 36. leg. *Heumanno, haec ita explicans*; — P. 548. l. 28. leg. *ducent.* — P. 550. l. 30. leg. *sanguinis sui.* — P. 552. l. 27. pone comma post *dolet.* — P. 554. l. 31. leg. *varietas.* — P. 555. l. 6. dele punctum post *interponere.* l. 18. post Pith. et Rem. adde: Bentlejus reponit *accipiat*, quia in MSS. Pith. et Rem. — P. 556. l. 19. leg. *constituit.* l. 32. leg. *accipiat*, lectionem tuetur cet. l. 34. leg. *desiluit.* — P. 557. l. 12. leg. *reverenter.* — P. 558. l. 24. leg. *fere.* l. 37. leg. *assectatam.* — P. 559. l. 15. leg. *intelligatur.* — P. 560. a. l. 14. leg. *exstruxerunt*; b. l. 19. leg. *euripum* — P. 561. l. 27. leg. *prospectare* — P. 562. l. 30. leg. *Pelusio.* — P. 565. a. l 16. leg. *fimbrias* — P. 571. l. 21. leg. *ingenii.* — P. 574. a. l. 10. leg. *ad quem Phaedrus.* — P. 576. b. l. 7. leg. *voluit.* — P. 588. l. 10. leg. *cette fable, et les* — P. 589. l. penult. leg. daté de 1632. — P. 590. l. 2. leg. *Capilla de Su Mag.* — P. 592. lin. penult. leg. *prodibit*; l. 8. leg. ad not. c).
